BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

POETÆ LATINI
MINORES

DE RE ASTRONOMICA

CICERONIS ET GERMANICI

CARMINA EX ARATO TRANSLATA;

ITEM

M. MANILII ASTRONOMICON

LIBRI QUINQUE EX RECENSIONE JOS. SCALIGERI

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEXTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVI

M. TUL. CICERONIS

ARATEA PHÆNOMENA

CUM SUPPLEM. HUG. GROTII.

Ab Jove Musarum primordia : [Semper in ore
Plurimus ille hominum est, qui compita numine magno,
Conciliumque virûm complet, pelagusque profundum,
Et pelagi portus. Fruimur Jove et utimur omnes.
Nos genus illius; nobis ille omine læto
Dextera præsignat, populumque laboribus urget,
Consulat ut vitæ : quando sit terra ligoni
Aptior aut bubus monet, et quo tempore par sit
Aut serere, aut septas lymphis adspergere plantas.
Ipse etiam in magno defixit lumina mundo,
Ordine quæque suo, atque in totum providus annum
Astra dedit, quæ nos moneant, qua quælibet hora
Apta geri, certa nascantur ut omnia lege.
Idem ergo primus placatur, et ultimus idem.
Magne pater, magnum mortalibus incrementum,
Progenies prior, et dulces ante omnia Musæ,

1. *Ab Jove.* Edd. quædam veteres *Majore*, vitiose. — *Musarum.* Nihil est in Græco Arati quod huic voci respondeat, sed tantum hoc : A Jove ordiamur : Ciceronem videtur respexisse Virgilius, Ecl. III, 60 : « Ab Jove principium Musæ; Jovis omnia plena ». Non *Ab Jove*, sed *A Jove* est in lib. de Leg. II, 3. Verum prius granditatem dat carmini, posterius familiari colloquio est accommodatum. Ed.

Cuncti una salvete mihi, et dum sidera canto,
Si jus fasque sinunt, longum deducite carmen. |

ARCTI.

Cætera labuntur celeri cælestia motu,
Cum cæloque simul noctesque diesque feruntur :
[Axis at immotus numquam vestigia mutat;
Sed tenet æquali libratas pondere terras;
Quem circum magno se volvit turbine cælum:]
Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus, [quorum hic non cernitur, ille
Ad Boream, Oceani supera ad confinia tendit.
Quem cingunt Ursæ celebres cognomine Plaustri],
Quas nostri Septem soliti vocare Triones.
[Alterius caput alterius flammantia terga
Adspicit, inque vicem pronas rapit orbis in ipsos
Conversas humeros. Creta, si credere fas est,
Ad cæli nitidas arces venere relicta.
Jupiter hoc voluit, quem sub beneolentibus herbis
Ludentem Dicti grato posuere sub antro,
Idæum ad montem, totumque aluere per annum,
Saturnum fallunt dum Dictæi Corybantes.]
Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur;
Altera dicitur esse Helice, [quæ monstrat Achivis
In pelago navis quo sit vertenda, sed illa]

19. Videtur Cicero apud Aratum, Phæn. 19, legisse ἰόντες pro ἰόντες, ut dant Grot. et Bulh. ex eo. Hunc vid. vol. I, p. 381. Bene animadvertit Grotius, Ciceronem cum omnibus interpretibus male οἱ μέν, quod est apud Aratum, exposuisse ceu sit διακριτικόν, quum sit magis δεικτικόν· respicit enim ad ἀστέρας, quorum mentio in versibus Arati prioribus.

24. *Duplici de cardine vertex Dicitur esse polus. Duplici de cardine* dictum pro *duplicis cardinis*, ut *fulgor ab auro* pro *fulgor auri*.

25. *Dicitur esse polus*, metri explendi caussa fusius expressum pro *Dicitur polus*. Infra : « Dicitur esse Helice .. Dicitur esse Bootes.

34. *Dicti*. Expressa ex Virgilio, Georg. IV, 152 : « Dictæo cæli regem pavere sub antro ». Ed.

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte videtur.
Hæc vero parva est; sed nautis usus in hac est:
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe,
[Signaque Sidoniis monstrat certissima nautis.]

DRACO.

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' Draco serpit subter, superaque revolvens
Sese, conficiensque sinus e corpore flexos,
[Quos cani tangunt immunes gurgitis Arctoi.
Verum hæc extremæ circumdatur agmine caudæ;
Qua spiræ sinus est, involvitur altera cælo.
Nempe Helice extremæ circumdatur agmine caudæ;
Qua spiræ sinus est, caput est Cynosuridos ursæ:
Quæ tamen usque pedes summo illum a vertice tangit.
Retrogrado hic iterum cursu convertitur Anguis.]
Huic non una modo caput ornans stella relucet;
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,

40. *Hac fidunt*. Occurrit hoc fragmentum apud Cic. in Lucullo, cap. 20: « Ego vero ipse et magnus quidem sum opinator (non enim sum sapiens) et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram *Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto*, ut ait Aratus, eoque directius gubernant, quod eam tenent *Quæ cursu interiore brevi convertitur orbe*, sed ad Helicen et clarissimos Septemtriones, id est, rationes has latiore specie, non ad tenue elimatas ». Grotius legit: *Illa se fidunt*, ita ut *Illa* ad priorem versum pertineat; *Hac* enim, ut nunc legitur, ad *Helicen* spectare, et indigitari tamen *Cynosuram*; quare dicendum fuisset Ciceroni *Illa*, cui tamen repugnabat metrum. Adparet, Ciceronem laudantem versum in opere de Natura Deorum *Hac* pro lubitu posuisse, sicut in loco supra ex Lucullo exscripto *Qua* posuit, et *nam cursu interiore* pro *quæ cursu interiore*. Quomodo in ipso carmine integro ab eo scriptum fuerit, non amplius constat. Conf. Scholiast. ad Arati Phæn. l. l.

46. Citavit hoc fragmentum bis etiam Priscianus, XIV, pag. 403, sub fin. ubi de præpositionibus loquens ait: « Quædam etiam syncopam passæ sunt, ut *supra* pro *supera*, et *infra* pro *infera*, et *extra*

E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet;
Obstipum caput et tereti cervice reflexum
Obtutum in caudam majoris figere dicas.
[Opposita extremæ capitis sunt dextera caudæ.]
Hoc caput hic paullum sese, subitoque recondit,
Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una.

ENGONASIN.

Adtingens defessa velut mœrentis imago
Vertitur: [hanc nemo certo tibi dicere possit,
Aut quisnam, quo sit fessus, labor: attamen illam]

pro *extera*. Nam antiqui trisyllaba ea proferebant, ut Cicero in Arato: *Torvu'. Draco serpit subter, superaque retorquens sese* ». *Retorquens* pro vulgato *revolvens* habet Priscianus etiam in altero loco, ubi hunc versum adtulit. Edd. quædam legunt *repit* pro *serpit*. Grotius maluit *sinus e corpore flexo* pro *flexos*.

60. *Obstipum caput et tereti cervice reflexum Obtutum in caudam majoris figere dicas. Obstipum caput* (λοξὸν κάρη) est obliquum, in alterum humerum reclinatum, *et tereti cervice reflexum*. Horat. Serm. II, 5, 92: « Davus sis comicus, atque Stes capite obstipo ». Persius, Sat. III, 80: « non ego curo Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones, Obstipo capite et figentes lumine terram ». Male vulgo interpretantur *obstipum* caput, fixum, immobile. Vid. Grot. ad h. l. p. 72. Reposuit idem recte *In caudam*. Apud Aratum: ἄκρην εἰς Ἑλίκης οὐρήν. Edd. quædam *In cauda*, male.

63. *Hoc caput hic paullum sese subitoque recondit*. Occurrit hoc fragmentum etiam apud Hygin. Poet. Astron. IV, 3, ubi est *Quod caput*. Latet gravius mendum in hoc versu; omnino enim sensus justus ei non inest. Neque tamen apud Hyginum, neque in Ciceronis MSS ulla est lectionis varietas. Davisius conjecit *summo æquore condit*, quæ quidem conjectura mihi valde adridet. Buhlerius malebat: *se subjecto æquore condit*; sed nimis jejunua tum evaderet locutio, nec Arati mentem adsequeretur. Noluit hic dicere, caput Draconis æquor *subire*, sed *stringere* potius. Idem opponere licet emendationi Grotii: *sese subito æquore condit*. — Sed miror cur huic metrum repugnare dixerit Buhl. Pingræus eam probat. Ed.

64. *Parte admiscentur in una*: sic quoque Hygin. Cic. MSS et edit. Victorii *partim*. Grot. *partem admiscentur in unam*. Ex Arateo: Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλοισι, quid Cicero scripserit, colligi nequit. Utrum malis, parum refert. Edd. quædam *miscentur* pro *admiscentur*.

65. *Adtingens defessa velut mœrentis imago*. Grotius exhibuit :

Engonasin vocitant, genibus quod nixa feratur.
[Illa petit binis manibus diversa locorum,
Atque humeros supera tensis dispenditur ulnis,
Et super ora cavis spirantia naribus ignem
Serpentis dextræ figit vestigia plantæ.]

CORONA.

Hic illa eximio posita est fulgore Corona.
[Hanc Ariadnæum Bacchus testatus amorem
Intulit in cælum, qua Nixi terga fatiscunt.
Juxta humeros sertum est. Propter caput Anguitenentis,]

OPHIUCHUS.

Quem claro perhibent Ophiuchon nomine Graii,
[Est caput illius, summoque ex vertice Nixi
Perfacile alterius candentia sidera nosces.]
Huic supera duplices humeros adfixa videtur
Stella micans tali specie, talique nitore,
[Fulgeat ut, pleno quum lumine luna refulget.
Non par est geminis manibus vigor, et licet illis
Nec nullus splendor, nec sit parvissima moles,

Quod tangens, non bene. *Adtingens* positum pro *proxima* aut *vicina*. — Hoc sensu Cæsar, de Bell. Gall. I, cap. 1 : « Adtingit a Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum ». Ed.— Objecit Grotius Ciceroni, quod non recte hic expresserit Arateum μογέοντι ἀνδρὶ ἐοικὼς per *defessa velut mærentis imago*. Arbitrabatur Davisius, Ciceronem in mente habuisse figuræ cælestis historiam secundum Panyasin in scholiis ad Aratum, in Avieni paraphrasi, Eratosthenis Catasterismis, cap. 4, et Hygini Astron. II, 6 relatam; quo tamen non opus est confugere. Multo minus emendandum cum Buhlerio: *morientis imago*, quæ lectio longius adhuc ab Arati verbis recederet. Expressit Cicero versum Arateum eodem modo, quo Germanicus: *Effigies inde est defecta labore*; nec caussam video, cur aliquid in Ciceronis versu mutemus. Non recte videtur Grotius *mærentis* ad μογέοντι traxisse; respondet huic potius *defessa imago*. Cf. Schaub. V. C. ad Eratosthen. Catasterism. p. 76, et ibid. Ill. Heyn. p. 18.

68. *Engonasin vocitant, genibus quod nixa feratur.* Aliæ edd. *dicunt* pro *vocitant*, et *quia* pro *quod*.

72. Hic versus Germanici est vs. 69: « Serpentis capiti figit vestigia sæva ». Ed.

76. Verba Ciceronis: *Propter caput autem Anguitenens* in aliis edd. leguntur: *Propter caput Anguitenen-*

Attamen est tenuis disperso lumine fulgor.]
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
Atque eo ipse manet religatus corpore toto;
Namque virum medium Serpens sub pectore cingit.
Ille tamen graviter nitens vestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectusque Nepai.
[Hic pressus dextra, surgit : sed parte sinistra
Sertaque supremæ tangunt Minoia malæ.

CHELÆ.

Sub spira quæres immenso corpore Chelas,
Quæ tamen haud magnum jactant pro mole nitorem.

ARCTOPHYLAX.

Ipsam Helicen sequitur non dispar forma Bubulco,]
Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arcton.
[Clarus hic, et] subter præcordia fixa videtur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.

VIRGO.

[Hic se] sub pedibus profert finita Booti
Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

tis, tamquam esset hemistichium cum sequenti versu cohærens. Dedit hemistichium Grotius.

87. *Atque eo ipse*. Ita restitui e MSS Cic. Vulgo : *Ejus et ipse*, male. Buhl. *ipso* vitiose.

88. *Sub pectore cingit*. Vulgo : *sub pectora*. Corrigebat jam Grotius *sub pectore*, et ita legunt quoque MSS Cic.

90. *Nepai*. Est genitivus antiquus. *Nepa* est Scorpius, nomine ex lingua Africana desumpto, teste Festo. Colum. II, 2 : « Cal. April. Nepa occidit mane, tempestatem significat ». Conf. Erasmum ad Adag. *Imitabor Nepam*.

98. *Subter præcordia fixa videtur*. Aliæ edd. *tenetur*.

100. *Sub pedibus profert finita Booti*. Servavit hunc versum Priscian. Gramm. lib. VI, pag. 192 : « Cicero in Arato : *sub pedibus profert finita Booti* pro *Bootis* ». Apud Ciceronem l. l. hic versus non legitur, ubi ad sequentem versum fit transitus his verbis : *Cui subjecta fertur*, scil. Virgo. — *Finita*, i. e. posita, constituta clausa. Eodem modo infra loquitur de Pistrice : « finita in partibus Austri ». Ed.

101. *Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo*. Servius ad Virg. Georg. I, vs. 111 : « Dicimus autem

[Sive illi Astræus pater est, qui dicitur idem
Sideribus stellisque pater, seu quilibet alter,
Sit felix: sane hæc narratur fabula vulgo.
Incoluit cælo terras Astræa relicto,
Conventusque hominum non dedignata priorum,
Sed nec femineos spernens invisere cœtus,
Leti expers, generi mortali mixta resedit,
Nomine Justitiæ gaudens; senibusque coactis,
Sive foro in magno, seu latipatente platea,
Civiles populis dictabat sedula leges.
Nec mala lis fuerat, necdum discordia nota,
Nec fera seditio furiarat mobile vulgus,
Sæva nec audaces fuerant freta pressa carinas:
Sed bubus tracto sulcantes vomere terras,]
Malebant tenui contenti vivere cultu,
[Sufficiente Dea justis pleno omnia cornu.
Hæc manet, in sanctis dum gens manet aurea terris.
Sed non argenti nimis est lætata metallo;
Moribus at versis, prior est quoque versa voluntas,
Raraque pejori junxit sua numina genti.
Sola sed ex raucis descendens montibus ibat
Sub noctem, nulli teneris blandita loquelis.
Sed simul ac magnas hominum venisset ad urbes,
Improba terrificis sic ulta est crimina verbis:
« Non ego me dignor posthac monstrare videndam,
Degener o primæ proles nunc altera prolis,
Degeneres iterumque iterumque habitura nepotes.
Tunc fera bella hominum generi, cædesque nefandæ

hic spicus et *hoc spicum*. Cicero in Arato: *spicum illustre gerens insigni corpore Virgo* ». Occurrit *spicum* genere neutro sæpius apud antiquiores scriptores Latinos. Laudat Grotius Varronem lege Mænia: « Neque in bona segete nullum est spicum nequam; neque in mala non aliquod bonum ». — Cæterum hic *Spicus* est stella clara quam Virgo habet in summa sinistra manu. Virginem enim nonnulli Cererem frugum Deam esse crediderunt. Varias de illa fabulas vide ad

Impendent, culpamque comes sua pœna sequetur».
Sic ait, et populos intenta etiam ora tenentes
Linquit, et ad montes silvarumque avia tendit.
Hæc ætas vitam liquit, sobolemque reliquit.]
Ferrea tum vero proles exorta repente est,
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitumque juvencum.
[Tunc mortale exosa genus Dea in alta volavit,]
Et Jovis in regno, cælique in parte resedit;
[Illustrem sortita locum, qua nocte serena
Virgo conspicuo fulget vicina Bootæ.
Huic humeros supera duplices convertitur, alam

PRÆVINDEMIATOR.

Ad dextram, Graio Protrygeter nomine dicta,
Stella micans, tali specie, talique nitore,
Qualis et immensæ sub cauda volvitur Arcti.
Illa quidem flagrans; sed et huic flagrantia plura
Sidera, quæ parvo poteris reperire labore.
Quin etiam ante pedes magno fulgore notata
Stella nitet: dehinc prima humeros subit, altera lumbos].
Tertia sub caudam ad genus ipsum lumina pandit.
[Cætera sed certo passim sine nomine fulgent.]

GEMINI.

At natos Geminos invises sub caput Arcti:
Subjectus mediæ est Cancer, pedibusque tenetur

Avieni Aratea, vs. 286, huj. op. tom. V, p. 550. Ed.

136. *Manu victum.* MSS quidam *vinctum*; non bene, ut recte Grotius monuit. Bos *manu victus* est χειροτίθης, χειρόδμητος, mansuetus, manuum patiens. Conf. Buhl. not. ad Aratum.

138. *Cælique in parte resedit.* Aliæ edd. *recepta est*, quæ lectio librarium christianum redolet.

149. *Ad genus* pro *ad genu.* Vid. Prisc. VI, p. 169, et inf. 280, 281. Ed.

151. *At natos Geminos.* Apud Cic. de Nat. Deor. II, 43. *Et natos*, accommodatius sermoni ibi instituto. Legendum tamen: *At natos.* Aratus: κρατὶ δὲ οἱ Δίδυμοι.

152. *Subjectus mediæ est Cancer.* μέσση δὲ ὑπὸ Καρκίνος ἐστί. Aliæ edd. *subjectus medio... subjectus medii*, perperam.

Magnu' Leo, tremulam quatiens e corpore flammam.
[Explicat hic summos ardores semita Phœbi:
Tunc nullæ adparent per culta novalia spicæ;
Principioque adeo solis per cærula cæli]
Hoc motu radiantis, Etesiæ in vada ponti
[Procumbunt glomerati, et longo flamine spirant.
Tunc mihi non remi placeat ratis indiga, verum
Larga satis, rectoque ad venti commoda clavo.

ERICHTHONIUS.

Si cupis Aurigam atque Aurigæ noscere stellas,
Ullaque fama tuas Capræ pervenit ad aures,
Hædorumque simul, quorum duo lumina cernunt
Sæpe per iratum jactata cadavera pontum:
Aurigam invenies ingentem : corpore toto]
Sub læva Geminorum obductus parte feretur.
Adversum caput huic Helicæ truculenta tuetur.
At Capra lævum humerum clara obtinet : [illa putatur
Ubera adhuc parvo lactenda dedisse Tonanti;
Hanc Jovis Oleniam capram dixere ministri.]
Verum hæc est magno atque illustri prædita signo.
Contra Hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem
[Aurigæ in manibus : cujus vestigia servans]

157. *Hoc motu radiantis, Etesiæ in vada ponti.* Licentia qua contractio non fit, sed hiatus remanet. Sed mirandum adeo fidelem interpretem Ciceronem fuisse, ut idem in Arato hiatus sit, atque in eadem sede versus. Citat hunc vers. Cic. in Oratore, cap. 45. Ed.

165. Hic versus non Grotii, sed anonymi supplentis esse videtur apud Olivet. Ed.

166. *Sub læva Geminorum.* Grotius interponit *sub læva is Geminorum*, nempe Auriga nexus cum superioribus gratia.—*Obductus parte feretur.* Grot. maluit *abductus*; nam κεκλιμένος apud Aratum quum *obductus* tum *abductus* significare potest. Id quidem non nego; retinendum tamen puto *obductus*, ut sit idem quod *adclinatus*.

167. *Adversum caput huic Helicæ truculenta tuetur.* Ita dedi ex emendatione Grotii. Aratus: Ἑλίκης δέ οἱ ἄκρα κάρηνα Ἀντία δινεύει. Vulgo: *huic Helice*.

168. *At Capra lævum humerum clara obtinet.* Codd. quidem MSS Ciceronis *humero*. Quod si prætuleris, recipienda est Grotii emendatio : « At Capra lævo humero clara obtinet ».

Corniger est valido connixus corpore Taurus,
[Quem non difficili ratione agnoscere possis.

TAURUS.

Namque illum exornant externi haud indiga signi
Sidera, quæ vivum caput olli utrimque figurant,
Inclyta per totam spargentia lumina frontem.]
Has Græci stellas Hyadas vocitare suerunt.
[Sed pes Aurigæ dexter, cornuque sinistrum
Tauri uno igne micant, pariterque feruntur uterque.
At prior Auriga latum petit Oceanum bos,
Quum tamen e placidis surgant simul æquoris undis.

CEPHEUS.

Quin etiam Iasidæ domus antiquissima Cephei
Ærumnis est nota suis, quam Jupiter, auctor
Progenii, subito præclaris intulit astris.]
Namque ipsum ad tergum Cynosuræ vertitur Arcti
[Iasides, pansis distendens brachia palmis;
Tantaque ab extrema cauda disterminat Arcti
Regula utrumque pedem, quanta pes a pede distat.

CASSIEPEA.

Quod si a Cephæo paulum tua lumina balteo
Dimoveas, versus sævi agmina prima Draconis,
Hic erit, haud plena poteris quam cernere luna,]
Obscura specie stellarum Cassiepea.
[Nam non crebræ illi stellæ, neque sidera juncta
Egregium ex variis componunt ignibus ignem:
Sed quali portas firmatas objice clavi
Obcludit vectis bifori vis obdita valvæ,
Talia et hanc etiam prive disposta figurant

174. *Connixus corpore.* Buherius ad Cic. de Nat. Deor. l. I. conjecit legendum *convexus*, perquam absurde. Vulgata lectio sana est. — Vox autem *connixus* habitum Tauri exprimit. Sic enim Cicero infra: « Atque genu flexo Taurus connititur ingens ». Ed.

194. Hunc locum expendit Huetius, Animadv. in Manil. I, 355. Ed.

Sidera; et ipsa adeo passis distenditur ulnis,
Non secus ac sortem natæ miseretur iniquam.]

ANDROMEDA.

Hanc namque illustri versatur corpore propter
Andromeda, aufugiens conspectum mœsta parentis:
[Quam non sollicitus noctu labor inquirendi;
Tam clarum caput est, tam magno sidere flagrant
Ambo humeri, summique pedes, vestesque fluentes.
Hæc etiam in varias distendit brachia partes,
Utque prius, sic nunc in magno vincula mundo
Non relevant duro defessas pondere palmas.]

EQUUS.

Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput alvo, stellaque jungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex astris cupiens connectere nodum.
[Sed latus atque armos depingunt terna caballi,
Æquali a sese spatio quæ sidera distant,
Eximio fulgore, quibus par nec caput altum,
Nec longa est cervix: flagrantis at ultima malæ
Quatuor his aliis non cedat stella nitore,
Fulgentes inter stellas media ipsa refulgens.

202. *Hanc namque illustri.* Sic Grotius ad Aratum propius. Apud Ciceronem de Nat. Deor. l. c. *Hanc autem illustri.*

203. *Aufugiens.* Aliæ edd. *fugiens.* Grotius: *effugiens.* Cod. Palat. monente Grutero ad Cic. l. l. *haud fugiens.*

211. *Summum contingit caput alvo.* Ita MSS et edd. veteres. Davisius emendavit *summa*, quod apud Aratum legatur γαστέρι νειαίρῃ, quam emendationem adeo in textum receperunt Morellius et Grotius. Sed recte monuit Buherius, *alvo* duas voces γαστέρι νειαίρῃ satis exprimere, et Avienum quoque ita vertisse, ni Ciceronem *summum* scripsisse inde colligas: « qua vertex crine tumescit Andromedæ capiti succingitur indiga pleni Alvus equi ».

213. *Æternum ex astris.* Grotius conjecit: *Æthereum ex astris.* Non placet: neque exemplum ab eo adductum satis quadrat vers. 252: « Quam Veteres soliti cælestem dicere Nodum ».

Non equidem hic quadrupes, verum media tenus alvo
Conspicuus profert sonipes venerabilis ora.
Hunc fama est olim propter juga summa Heliconis
Hippocrenæum nobis donasse liquorem.
Tunc nondum Aonii maduere virentia montis
Fecundo latice : ut generosi prima caballi
Ungula humum feriit, simul ingens prosiliit fons,
Unde caballinum primi vocitare bubulci.
Ille quidem stillans e saxis irrigat agros,
Thespia terra, tuos; sed Equus, pro munere tanto,
Exornat magni penetralia lucida cæli.]

ARIES.

Exin contortis Aries cum cornibus hæret.
[Ille quidem æternum longos agitatus in orbes
Segnior haud currit signo Cynosuridos Arcti,
Languidus obscurusque tamen, ceu luna retundat
Flammæ aciem, Andromedæ se propter cingula volvit.]
Cominus hanc subter possis cognoscere fultum :
Nam cæli mediam partem terit, ut prius illæ
Chelæ, tum pectus qua cernitur Orionis.

231. *Cornibus hæret.* Buherius ad Cic. loc. l. conjicit : *claret* aut *ardet*, parum feliciter.

236. *Cominus hanc subter possis cognoscere fultum.* Hoc versu inchoant, quæ feruntur Arati Ciceronis fragmenta ab Aldo seorsim excusa. Vulgata lectio est : *E quibus huic subter.* Aliæ edd. *E quibus hinc subter.* Grotius emendavit : *E quibus hunc subter.* Cod. Fragm. Cic. Lugd. Bat. *A quibus.* Est autem difficultas in verbis *E quibus* sive *A quibus*, quæ quorsum in antecedentibus referenda sint, non patet. Apud Aratum est : ζώνῃ δ᾽ ἂν ὅμως ἐπιτεκμήραιο Ἀνδρομέδης· ὀλίγον γὰρ ὑπ᾽ αὐτὴν ἐστήρικται. Igitur Aries dicitur fultus paullum subter zonam Andromedæ. Ad hunc sensum Ciceronis versus refingendus erit, quum quid Cicero vere scripserit, in tanta lectionis varietate haud facile fuerit divinare. Quare recepi emendationem Turnebi, Adv. XII, 17 : « Cominus hanc subter ». Legitur in aliis edd. *Paullum hanc subter*, quod tamen a scriptura codd. nimis recedit.

237. *Nam cæli mediam partem terit.* Reposui *Nam* cum Grotio. Aratus : Μεσσόθι δὲ τρίβει. Vulgo *Jam.*

238. *Ut prius illæ Chelæ, tum pectus qua cernitur Orionis.* Vulgo

DELTOTON.

Et prope conspicies parvum, sub pectore claro
Andromedæ, signum, Deltoton dicere Graii
Quod soliti, simili quia forma litera claret.
Huic spatio ductum simili latus exstat utrumque;
At non tertia pars lateris; namque est minor illis,
Sed stellis longe densis præclara relucet.

PISCES.

Inferior paullo est Aries, et flamen ad Austri
Inclinatior, atque etiam vehementius illo
Pisces, quorum alter paullum prælabitur ante,

legitur : « ut prius illæ Chelæ, quum pectus quod cernitur Orionis », nullo sensu. Aratus : ἦχι περ ἄκραι Χηλαὶ, καὶ ζώνη περιτέλλεται Ὠρίωνος. Grot. malebat : « ut prius illæ Chelæ, tum pectus quoque cernitur Orionis », qua tamen medela ulcus non sanatur. Buhl. versum ad Arati sensum reformavit, ita ut pro *prius* poneret *qua prius*, et *pectus quod cernitur* mutaret in *pectus qua cernitur*, quod posterius jam proposuit Turnebus l. l. Sic lectio saltem quoad sensum bene se habet. — Sed metrum laborat: servandum puto *ut*, ita ut sit pro *ubi*, quod Avieno familiare. Vid. tom. V, huj. op. pag. 543. Ed. — Cæterum *pectus* eleganter dictum a Cicerone pro *cingulo*, ut est apud Aratum.

239. *Sub pectore claro.* MSS Cic. *claræ* (non *clara*, ut Grotius notavit), ita ut cum *Andromedæ* jungenda sit vox. Parum refert, utrum præferas.

240. *Deltoton dicere Graii Quod soliti, simili quia forma litera claret.* Additi sunt versus a Cicerone præter Aratum. Cod. Lugd. Batav. M. L. *quia tali forma litera daret.* Sed manifesto *daret* vitiose exaratum pro *claret*.

243. *Namque est minor.* Ita legit vetus codex, et correxerunt jam Turnebus et Grotius. Recte, ut geometricæ rationes docent. Aratus: ἡ δ' (sc. pars tertia) οὔτι τόση. Vulgo: *nam non minor illis*, male. Recte quoque monuit Jos. Scaliger ad Manil. p. 47 pro vulgato : *At non tertia pars lateris*, legendum esse *At non tertia par lateris*, id quod a me rescribi debuit. *Latus* est *linea*.

246. *Atque etiam vehementius illo.* Cod. Lugd. Batav. *Atque causam*, male. Idem et alii codd. et edd. *vehementius ille*. Aliæ edd. *illi*, scil. Pisces. Legendum utique *illo*, nempe Ariete, uti jam dederunt Grot. et edd. Ciceronis seriores.

247. *Paullo prælabitur ante.* Ita Grotius. MSS et edd. velt. *prolabitur*. Laudatur hic et sequens versus ad Cic. de Natura Deorum, II, 43, sub fin.

Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.
Atque horum e caudis duplices velut ære catenæ,
Discessuque diu versæ per lumina serpunt,
Atque una tandem in stella communiter hærent,
Quam Veteres soliti cælestem dicere Nodum.

PERSEUS.

Andromedæ lævo ex humero si quærere perges,
Adpositum supera poteris cognoscere Piscem :
E pedibus natum summo Jove Persea vises,

248. *Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.* Aliæ edd. *horriferis*, quod fortasse verius. Germanicus, « sub horrifero Aquilone ». Avien. « Horriferis Aquilonibus illa rigescunt ». Sed codd. vett. *horrisonis*. Pro *alis* edd. quædam *auris*, minus bene.

249. *Atque horum*, etc. Legebantur hi versus in vulgatis edd. corruptissimi et vario modo. Aldus dederat : « Atque horum et caudis duplices esse catenæ Dices aut diversa per lumina serpunt ». Seriores edd. quædam : « At quæ horum e caudis duplices velut esse catenæ Dicuntur sua diversæ per limina serpunt ». Grotius restituebat recte *Atque* pro *At quæ*, et *lumina* pro *limina*. Lectionem Grotianam sequuti sunt editores posteriores. Neque tamen in hac sanus est sensus. Suspecta quoque sunt : *Duplices velut esse catenæ Dicuntur.* Itaque e cod. Msto pro *esse* reposui *ære*. Quod alterum versum prorsus immutavi, factum est quidem auctoritate codicis Parisiensis, cujus lectionem a Puteano, Senatore quondam Regio, excerptam in notis ad h. l. adtulit Gruterus. Idem Puteanus alius codicis Paris. lectionem memoravit hanc : « Dicet quæ diu diversæ per lumina »; qua etiam nostræ lectionis veritas firmatur. In proximis versibus pro *Atque una tamen* et *Quem Veteres*, quemadmodum edd. vett. habent, cum Grotio rescripsi *Atque una tandem* et *Quam Veteres*.

253. *Si quærere perges.* Ed. Ald. et Victor. *si qua exere perges.* Hinc exsculpsit Morellius lectionem : *si quæsere perges.* Est autem *quæsere* antiqua forma verbi *quærere*, sæpius apud Ennium atque etiam Apuleium obsoleta venantem obvia. Vide Grotium ad h. l. Dedit tamen archaismum Morellius sine caussa ; nam ex Aldina scriptura *qua exere* etiam *quærere* et facilius quidem exsculpere poteris. Prætulerunt *quærere* Lambinus et Grot.

255. *E pedibus natum summo Jove Persea vises.* Edd. Ald. Victor. Lambin. *E pedibus vntum summo Jove Perseus es*, nullo sensu. Turnebus emendavit : *E pedibus varum*, quod non tam legisse videatur Cicero γαμβροῦ, sed σκαμβροῦ. Nihil ad rem. Nostram lectionem restituit Grotius. Consentit cum ea lectio cod. MS a Grutero collati et Lugd. Batavi, qui posterior habet *visa est* pro *vises.*— Sensus est : E lævo humero Andromedæ poteris piscem

Quos humeris retinet defixo corpore Perseus,
Quum summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiepeæ,
Diversosque pedes, vinctos talaribus aptis,
Pulverulentus uti de terra clapsu' repente,
In cælum vector magno sub culmine portat.

VERGILIÆ.

At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ septem vulgo perhibentur more vetusto
Stellæ, cernuntur vero sex undique parvæ.
At non interisse putari convenit unam;
Sed frustra temere a vulgo ratione sine ulla
Septem dicier, ut veteres statuere poetæ,
Æterno cunctas ævo qui nomine dignant:

cognoscere; ibi enim situs est. Ex pedibus autem ejusdem, Persea cognosces: is enim pedes Andromedæ humeris retinet. Ed.

256. *Quos humeris retinet.* Cod. Lugd. Bat. et ed. Ald. *Quos humeros*, non bene.

257. *Quum summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.* Poscit sensus *Quum*, et habet ita quoque Cod. Lugd. Batav. Aliæ edd. *Qua* sive *Quem.* In Aldina et nonnullis aliis edd. vett. *Quam*, vitiose. Laudatur versus a Cic. de Nat. Deor. II, 44.

260. *Pulverulentus uti*, etc. ex emendatione Grotii, quam confirmant codd. Gruteri et Lugd. Bat. Turnebus emendaverat: « Pulverulentus uti, de terra lapsu' repente In cælum victor, magna sub culmine portat ». Cf. not. ad Arat. Phæn. 253, Buhl. vol. I, p. 406.— *Pulverulentus uti*, h. e. habitu cursoris qui pulverem in stadio collegerit. Sic enim effingitur Perseus. Ed.

262. *At propter lævum genus.* Servius legit *Hujus propter*, quod teste Buherio reperitur etiam in multis Mstis. *Hujus* a Cicerone tamquam unius syllabæ vox usurpari potuit. Exempla vide apud *Wase* de Essent. vet. poet. p. 103. Versus laudantur apud Cic. de Nat. Deor. II, 44. — *Omni ex parte.* Cod. Lugd. Batav. *omni parte.* — *Vergilias*, Pleiadas. Vid. Aratea Avieni, v. 602. Ed.

264. *A vulgo.* Cod. idem *ac vulgo.*

269. *Æterno cunctas ævo.* Idem pro *ævo* habet *sane.* — *Qui nomine dignant.* Codd. MSS plures *signant.* Tuetur vulgatum Grotius. Occurrit *dignare* sensu activo sæpius apud Accium, ipsum Ciceronem, quin etiam apud Virgilium, Æn. III, 475: « Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo ».

Alcyone, Meropeque, Celæno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent:
At magnum nomen signi, clarumque vocatur,
Propterea quod et æstatis primordia clarat,
Et post, hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet, ut mandent mortales semina terris.

LYRA.

Inde Fides leviter posita et convexa videtur;
Mercurius parvis manibus quam dicitur olim
In cunis fabricatus in alta sede locasse;
Quæ genus ad lævum Nixi delapsa resedit,
Atque inter flexum genus, et caput Alitis hæsit.

270. *Celæno.* In quibusdam edd. vett. vitiose *Celeno.* Est græce Κελαινώ.

271. *Electra, Steropeque*, etc. De Electra vide Veterum fabulas ad Avieni Phæn. 591, et ibi notata, huj. op. tom. V, p. 564. Ed.

274. *Propterea quod et æstatis primordia clarat.* Lectio ante Grotium erat: « Propterea quod ad æstatis primordia clarent », vel *claret.* Codd. quidam pro *clarent* legunt *signant*, quod haud dubie ex glossa profectum. Ut nos dedimus, emendarunt Turnebus et Grotius. Uterque docet *clarare* apud Veteres occurrere pro *declarare.* Grotius etiam Horatium laudat, apud quem *clarare* sit λαμπρύνειν. Respondet jam optime versus proximus: « Et post hiberni præpandens temporis ortus ».

277. *Inde Fides leviter posita et convexa videtur.* Hæserunt interpretes in vulgata lectione. Turnebus conjecit *levis adposita et convexa*, parum ad rem. Grotius pro *convexa* maluit *convecta* συγκομισθεῖσα (non *confecta*, ut perperam notavit Buherius ad Cic. de Nat. Deor. II, 44); sed neque hoc satis placet. Buherius proponit *conversa;* notum enim Astronomos Lyram ponere conversam, quæ conjectura forsitan optima fuerit. Cæterum pro *Inde* in Cod. Lugdun. legitur *Unde.*

278. *Mercurius parvis manibus.* Edd. vett. quædam *Mercurius parvus manibus*, non bene. — *Quam dicitur olim In eunis fabrieatus.* Sie utique legendum, monentibus Grutero, Grotio, aliis. Apud Aratum παρὰ λύκνῳ. Conf. Theon. ad h. l. Vulgo: *Infirmis fabricatus*, scilicet manibus, quæ lectio ex vitiosa cod. Aldini scriptura orta est.

280. *Quæ genus ad lævum Nixi delapsa resedit.* Edd. quædam vett. *Hæc* et *Nisi* pro *Nixi.* Innuitur ὁ Ἐγγόνασι. — Vid. Avienus, Phæn. v. 172. Ed.

CYCNUS.

Namque est Ales avis, lato sub tegmine cœli
Quæ volat, et serpens geminis secat aera pennis.
Altera pars huic obscura est, et luminis expers:
Altera nec parvis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre jacit quatiens e corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gestit; jam vero clinata est ungula vemens
Fortis Equi propter pennati corporis alam.

EQUUS.

Ipse autem labens utrisque Equus ille tenetur
Piscibus; huic cervix dextra mulcetur Aquari.
Serius hæc obitus terrai visit Equi vis,
Quam gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore setifero magno Capricornus in orbe;

282. *Namque est Ales avis.* Cic. de Nat. Deor. II, 44, *Inde est Ales avis.* Cod. Lugd. Bat. *Jamque est.* Nostra lèctio convenit magis cum Arato: ἤτοι γάρ.

288. *Ungula vemens.* Ἀρχαϊκῶς pro *vehemens*, omissa adspiratione.

290. *Ipse autem labens utrisque Equus ille tenetur Piscibus.* Leguntur hic versus et duo sequentes mendosissimi in ed. Aldina aliisque hanc sequutis. Pro *utrisque* Aldus habet *multis*, scil. Piscibus; quod quum astronomicis rationibus repugnet, variæ sunt propositæ emendationes. Morellius *binis* aut *geminis* legendum putavit, et ipso *geminis* in textu exhibuit, adprobante etiam Lambino; convenit enim hoc cum Arato: δύ' ἰχθύες ἀμφινέμονται Ἵππον. Turnebus autem maluit *mutis*, quod mire placuit Grotio, mihi tamen valde displicet; nam quid *muti* pisces hoc loco? Prætuli itaque aliam Grotii emendationem *utrisque*, propius ad codd. scripturam accedentem, simulque Arateo versui consentaneam.

292. *Serius hæc obitus terrai visit Equi vis.* Apud Aldum legitur: « Serius hæc obitus terrai jussit equinis », sine ullo sensu. Quare fuerunt, qui versum omnino delendum putarent, et versu subsequenti pro *Quam gelidum* legerent *Tum gelidum.* Sed restitui potest integritati versus. Cod. Lugd. Batav. habet *terræ pervisit.* — *Equinis* Turnebus ingeniose mutavit in *Equi vis*, quod idem in mentem venit Grotio, fuse cæteroquin de mente Arati in his versibus omnino disputanti.

294. *Corpore setifero magno Capricornus in orbe.* Aldus: *Nam Capricornus in orbe.* Sed Priscian. lib. VI: « Capricornus, inquit, secundæ invenitur declinationis: Cicero in Arato: *Corpore semifero magno Ca-*

Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.
Hoc cave te ponto studeas committere mense:
Nam non longinquum spatium labere diurnum;
Non hiberna cito volvetur curriculo nox:
Humida non sese vestris aurora querelis
Ocius ostendet, clari prænuntia solis.
At validis æquor pulsabit viribus Auster:
Tum fissum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
[At nautæ, fulicæ similes, mergoque natanti,
Anxia per totum jactantes lumina pontum,
Necquidquam nusquam parentia litora quærunt,

pricornus in orbe. Idem in eodem: «*Tum magni curvus Capricorni corpore propter Delphinus jacet*». Buherins ad Cic. de Nat. Deor. II, 44: «Interpretes Ciceronis litem moverunt de lectione vulgata *semifero*, quum Capricornus non *semiferus*, sed *ferus* fuerit dicendus; et recte quidem illi. Credidi aliquando, scribendnm *squamifero*; sed nnnc legendum videtur *setifero*, quod Avieno etiam videtur lectum; dicit enim: *Hispida setosi marcet facies Capricorni*». Præclaram hanc Buherii emendationem in textum migrare jussi.

295. *Titan Brumoli flectens contorquet tempore currum*. Turn. Adv. XII, 17, *quum torquet*; sed recte Grotius vulgatum *contorquet* defendit. Idem quoque maluit *currum* pro *cursum*, ut vulgo. Vix diei potest *cursum contorquere*. Cod. Lugd. Bat. legit *curvum*, quod aperte vitiose exaratum est pro *currum*, et similem ortum habet mendom apud Prisciaunm, qui legit *corvum*. Receperunt qooque *currum* jam plures recentiores Arati Ciceroniani editores. — Pingr. vero *cursum*. Ed.

297. *Cave te ponto*. Codd. MSS et Lngd. Bat. *cove te in pontum*, male.

298. *Longinquum spatium*. Codd. *longe quum spatium*.

301. *Ocius ostendet*. Cod. Lugd. Bat. *ostendit*.

303. *Tum fissum tremulo quatietur frigore corpus*. Ita Cod. Lugd. Bat. Malebat Grotius *fessum*. Vulgo: *fixum*.

304. *Sed tamen anni jam labuntur tempore toto*. Aldos: «sed tamen jam anni», invito metro. Grotins conjecit: «sed tamen en anni». Volgatnm bene se habet. Notaodnm autem *anni* esse genitivum, non nominativum pluralis, et *labuntur* referri ad *nautas*.

305. *Nec cui signorum cedunt*. Cod. Lugd. Bat. *Ne cui*.

Dum tenuis nigro tabula hos distinguit ab Orco].

SAGITTIPOTENS.

Atque etiam supero, navi pelagoque vagato,
Mense, Sagittipotens solis quum sustinet orbem,
[Non multo leviora putes instare pericla,
Ante nigras cautus tenebras subducere puppim].
Nam jam comminus exiguo lux tempore præsto est.
Hoc signum veniens poterunt prænoscere nautæ:
Nam prope præcipitante licebit visere nocte,

311. *Atque etiam supero, navi pelagoque vagato, Mense, Sagittipotens solis quum sustinet orbem....* Sunt utique hi versus depravatissimi. Sensus qualis esse debeat, constat ex Arato: Multa in priori mense mari passus, arcum quando Sol incendit et rectorem arcus, sub vesperam navem reducito, fidens non amplius nocti. Patet hinc, excidisse in Ciceronis Arato versum, quem Grotius sic explere conatus est: « Subducas fessam, veniet quum vespera, navim ». Dum autem ignoramus, quomodo ipse Cicero hæc expresserit, difficile est, etiam versus exstantes priores ad integritatem revocare, inprimis quum codd. mire varient. Claud. Puteanus e Cod. Paris. legit: « supera navi pelagoque vagantur ». Sic quoque Cod. Lugd. Bat. Turnebus: « haud supera navi pelagoque vagator ». Docet autem Lambinus, *vagato* sæpius dici pro *vagator*, ut apud Lucretium. Grotius emendavit: « Atque etiam supero endo mari pelagoque vagatus Mense, Sagittipotens solis quum sustinet orbem ». Displicet mihi in hac emendatione *mare pelagusque* conjunctum, licet etiam in vulgata lectione in *navi pelagoque* hæream. Igitur equidem satius habui, vulgatum reddere, quale reperi, nisi quod altero versu cum Grotio exhibui *quum sustinet* pro *tum sustinet*. *Supero mense* dictum pro *superiori*, ut apud Arat. ἐπὶ προτέρῳ.

315. *Nam jam comminus exiguo lux tempore præsto est.* Vulgo: « Nam jam quum minus, etc. » Turnebus et Grotius correxerunt: « Nam jam tum minus ». Sed recepi lectionem codd. Lugd. Bat. et Paris. a Puteano excerptam atque etiam aliis viris doctis probatam. Sensus est hic: « Hoc tempore navigatur toto anno, neque solum mense, quo Sol est in Capricorno (i. e. Januario), verum etiam quum Sol est in Sagittario (Decembri). Jam tum enim dies breviores sunt. — Pingr. habet *Nam jam tum nimis*. Ed.

317. *Nam prope præcipitante licebit visere nocte, Ut*, etc. Ita restituit Grotius e codd. Vulgo: « Jam prope præcipiti ante licebit visere nocti, Ut sese ostendens emergat Scorpius alte ». In vulgata lectione posterioris versus male codd. conspirant; patet enim de mari alto sermonem esse. Uti posteriorem versum dedit Grotius, ita citatur quoque a Cicerone, de Nat. Deor. II, 44; nec erat, quod eum illustraret.

Ut sese ostendens emergit Scorpius alte,
Posteriore trahens flexum vi corporis Arcum.
[Sed Nepa non multum prior, at prior exit ab undis.]
Jam supera cernes Arcti caput esse minoris,
Et magis erectum ad summum versarier orbem.
Tum sese Orion toto jam corpore condit
Extrema prope nocte, et Cepheus conditur alto
Lumborum tenus, a palma depulsus ad umbras.

SAGITTA.

Hic, missore vacans, fulgens jacet una Sagitta,
Quam propter nitens penna convolvitur Ales;
Et clinata magis paullo est Aquilonis ad auras.

AQUILA.

At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore, sed grave mœstis

319. *Flexum vi corporis Arcum.* Cod. Lugd. Bat. *plexum.*

321. *Jam supera cernes.* Idem cod. *Jam super hunc cernes.*

323. *Orion toto jam corpore condit.* Idem cod. *condet.*

324. *Cepheus conditur alto.* Ita MSS Paris. teste Puteano. Vulgo: *ante.* Emendaverat *alto* jam Grot.

325. *Lumborum tenus, a palma depulsus ad umbras.* Codd. edd. Ald. et vett. ante Morellianam legunt *a prima.* Morellius refinxit versum ad Arateum: ἀπὸ χειρὸς ἐπ' ἰξύν. Recte, quamvis improbante Grotio. Nimis licentiosa est Grotii conjectura: « a ripa depulsus ad undas ». Legitur enim vulgo *ad undas*, non *ad umbras*, ut equidem ex codd. restitui. — *Ad undas* etiam Pingr. Ed.

326. *Hic, missore vacans, fulgens jacet una Sagitta.* Bene restituit Morellius. Edd. Ald. et aliæ: « Hic misso revocans, etc. » Avienus: « Inscia nam domini est ». Adprobarunt Morellii emendationem Turnebus, Lambinus et Grotius.

328. *Et clinata.* MSS et edd. *Hæc.*

330. *Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis.* Edd. quædam vett. *mulgens*; ridicule, ut recte notat Grotius. Jam supra habuimus v. 291: « Huic cervix dextra mulcetur Aquari ». Cæterum deest versus in codd. Paris. et Lugd. Bat. teste Puteano, nec respondet illi versus Græcus; quare interpolationis suspicionem incurrit.

331. *Non nimis ingenti cum corpore.* Ita jam dedit Morellius, et suffragantur codd. Puteani, Leid. et Grotius. Aratus: οὐ τόσσος μεγέθει. Male in edd. vett. « Non minus ingenti cum corpore » (quod tamen dedit Pingr. Ed.) Grotius post versum sequentem unum vel duo ver-

Ostendit nautis perturbans æquora signum.

DELPHINUS.

Tum magni curvus Capricorni cornua propter
Delphinus jacet, haud nimio lustratu' nitore;
Præter quadruplices stellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas disterminat unum :
Cætera pars lata tenui cum lumine serpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore corusco,
Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ,
Atque inter spatium et læti vestigia solis.
At pars inferior Delphini fusa videtur
Inter solis iter, simul inter flamina venti,
Viribus erumpit qua summi spiritus Austri.

ORION.

Exinde Orion, obliquo corpore nitens,
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri.
Quem qui, suspiciens in cælum nocte serena,

sus excidisse putat, aut Ciceronem non intellexisse Arateum illum; Χαλεπὸς γέ μεν ἐξ ἁλὸς ἐλθεῖν, Νυκτὸς ἀπερχομένης· καί μιν καλέουσιν Ἀπτόν.

334. *Haud nimio lustratu' nitore.* Edd. quædam vett. *aut nimio*, male.

335. *Præter quadruplices stellas.* Cod. Leid. *propter*, perperam.

337. *Cætera pars lata tenui cum lumine serpit*, ex emendatione Grotii. Edd. vett. *late.* MSS « latet et nullum cum lumine serpit »; unde Pingr: *latet ac tenui.*

338. *Illæ quæ fulgent luces ex ore corusco.* Grotius ad h. l. p. 76, ita : Non prætereundum est, quod ante nos monuit Scaliger, Aratum non intellectum a Tullio adolescente. Nam Aratus hoc loco μετάβασιν facit ἀπὸ τῶν βορείων εἰς τὰ νότια. Sed Cicero per τὰ μὲν οὖν intelligit stellas in priore Delphini parte sitas, sive, ut ipse loquitur, in fronte et in ore, quum revera in ore nullæ sint, et τὰ δὲ νείοθι interpretatur partem ejus inferiorem. Ait enim : « At pars inferior Delphini fusa videtur ». Sic enim legendum; non ut vulgo *fusca*. Aratus : κέχυται. Firmant Grotii emendationem codd. quidam Puteani et Lugd. Batav. In aliis codd. Puteanus invenit *fulsa*; quare conjecit *fulta*; sed recepta lectio Grotiana melior. In v. 339 : « Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ ». Grotius malebat *Aquilonis*; repugnat autem metrum.

341. Pingr. lect. nostr. respuit, et edidit *jam pertractanda*, quod nullibi inveniri potuit; et supra vs. 338 legit *splendore corusco*. Hæ sunt emendationes meræ. En.

346. *Quem qui, suspiciens in cælum nocte serena*, etc. Ita dedi ex ar-

Late dispensum non viderit, haud ita vero
Cætera se speret cognoscere signa potesse.

CANIS.

Namque pedes subter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille Canis, stellarum luce refulgens.
Hunc tegit obscurus subter præcordia venter:
Nec toto spirans rabido de corpore flammam
Æstiferos validis erumpit flatibus ignes.
Totus ab ore micans jacitur mortalibus ardor:
[Sirion hunc Græci præclaro nomine dicunt.]
Hic ubi se pariter cum sole in culmina cæli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
Suspensos animos arbusta ornata tenere.
Nam quorum stirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima, vitali flamine mulcet.
At quorum nequeunt radices findere terras,

bitrio Grotii, in partem præeunte vetere codice et Turnebo. Aratus: μή κεῖνον ὅτις καθαρῇ ἐπὶ νυκτὶ Ὕψοῦ πεπτηῶτα παρέρχεται, ἀλλὰ πεποίθοι Οὐρανὸν εἰσανιδὼν προφερέστερα θηήσασθαι. Cicero legisse videtur ἀλλὰ et ὅτις interpretatus est ὅστις, ut et alibi. Πεπτηῶτα *dispensum* transtulit, non *dispersum*, quod pertinaciter referunt omnes codices. Turnebus præterea malebat « Cætera ne speret ». Vulgo: « Quem qui suspiciet in cælum nocte serena Late dispersum non viderit, abdita vero, etc. » absque ullo sensu.

349. *Namque pedes subter*, etc. Arbitratus est Cicero, Aratum ponere Canem sub pedibus Orionis, et ita quoque Avienus: « Talis et ipse virum gemina ad vestigia custos Insequitur ». Sed alia fuit Arati mens, dicentis vs. 327 ἀμφοτέροισι κύων ὑπὸ ποσσὶ βεβηκώς. Intelligit Canem suis pedibus posterioribus innitentem, non sub pedibus Orionis collocatum.

351. *Hunc tegit obscurus subter præcordia venter.* Ita restituit hunc locum Turnebus et probat quoque Grotius. In codd. scriptum erat *ver* pro *venter*. Hinc ortæ lectiones *Vesper, vester*, ut in edd. vett. Sed Arat. 319: ἀλλὰ κατ' αὐτὴν Γαστέρα κυάνεος περιτέλλεται. Aldus habet *obscuris* pro *obscurus*. Grotius reponi vult *tenet* aut *gerit* pro *tegit*, in quo tamen codd. conspirant.

352. *Nec toto spirans ... flammam.* Sic utique legendum. Aratus: ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος. Edd. Ald. et vett. « Ver toto », vitiose. Correxit jam Morellius. Cod. Leid. « Et vero toto ». — *Rapida* edidit Ping. sed mavult *rabido*. En.

356. *Hic ubi se pariter.* Cod. Leid. « Hic subit pariter », perperam. — *In culmina cæli.* Aliæ edd. « in lumina cæli ».

Denudat foliis ramos et cortice truncos.
[Tendentem occiduas etiam hunc sentimus ad oras.
Cætera signandis sunt languida sidera membris.]

LEPUS.

Hunc propter, subterque pedes, quos diximus ante,
Orioni' jacet levipes Lepus. Hic fugit, ictus
Horrificos metuens rostri tremebundus acuti:
Nam Canis infesto sequitur vestigia cursu
Præcipitantem agitans, oriens jam denique paullum,
Curriculum numquam defesso corpore sedans.

ARGO.

At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo,
Conversam præ se portans cum lumine puppim:
Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Ante solent, rostro Neptunia prata secantes;
Sed conversa retro cæli se per loca portat.
Sicut quum cœptant tutos contingere portus,

365. *Hunc propter, subterque pedes, quos diximus ante, Orioni' jacet.* Ita codd. plures et Leid. recte. Vulgo *Oriona*. Nostram lectionem jam proposuit Grotius.

369. *Præcipitantem agitans oriens jam denique paullum.* Turnebus corrigebat, adsentiente etiam Grotio: « orientem denique paullum », ut sensus sit: « Canis Leporem insequitur occidentem agitans et paullum jam ortum. Nescio autem, an hic sensus satisfecerit ulli; neque Arato convenit, 340: Σείριος ἐξόπιθεν φέρεται μετιόντι ἐοικώς, Καί οἱ ἐπαντέλλει, καί μιν κατιόντα διώκει. Equidem vulgatum magis Arato respondere crediderim. Sensus est: Canis agitat Leporem ad occasum præcipitantem haud multo postquam ipse ortus est.

370. *Curriculum nunquam.* Hunc versum post 367 transponit Pingr. Patricium sequutus. Cicero quidem de Nat. Deor. II, hunc Lepori tribuit. Ed.

371. *Prolabitur Argo.* Alii codd. et edd. *prælabitur Argo*. Occurrit hic locus usque ad vs. 383, etiam apud Hygin. fab. 14.

372. *Conversam præ se portans cum lumine puppim.* Aliæ edd. *convexam*, male. Eadem lectionis varietas supra vs. 277.

375. *Sed conversa retro cæli se per loca portat*, ex emendatione Turnebi a Grotio etiam recepta. Sic sup. 329: « At propter se Aquila ardenti cum corpore portat ». Vulgo: « cæli semper loca portat ». Excidit hic versus apud Hyginum.

376. *Tutos contingere portus.* Ita

Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Aversamque trahunt optata ad litora puppim;
Sic conversa vetus super æthera labitur Argo;
Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum,
A malo ad puppim clara cum luce videtur.
Inde gubernaclum, disperso lumine fulgens,
Clari posteriora Canis vestigia tangit.

PISTRIX.

Exin semotam procul in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quærere Pistrix
Pergit, et usque sitam validas Aquilonis ad auras
Cærula vestigat, finita in partibus Austri.

ERIDANUS.

Hanc Aries tegit, et squamnoso corpore Pisces,
Fluminis illustris tangentem corpore ripas.

citat hunc versum Hyginus, quocum conspirant plurimi Ciceronis codd. Aratus : καθάπτεται ἠπείροιο. Vulgo : *constringere*. Nostrum receperunt jam Lambinus et recentiores Ciceronis editores; probavit quoque Grotius.

378. *Aversamque trahunt*, ex emendatione Grotii, cui omnes codd. adstipulantur. Germanicus : « Aversamque ratem votis damnatus ad oram Perligat ». Vulgo : « Adversamque trahunt ».

379. *Sic conversa vetus super æthera labitur Arga*. Vulgo : « vertitur Argo ». Vix autem scripsit Cicero « sic conversa ... vertitur Argo » in eodem versu; neque *vertitur Arga* h. l. sensum præbet satis idoneum. Restitui igitur ex Hygino *labitur Arga*.

380. *Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum*. Codd. Leid. « usque ad proram ad cæli summam sine lumine malum », vitiose. Desunt versus hic et sequens apud Hyginum.

381. *Cum lumine clara videtur*. Codd. MSS « cum luce clara videtur ».

382. *Inde gubernaclum, disperso lumine fulgens*. In hac lectione omnes codd. consentiunt. Apud Hyginum versus legebatur imperfecte sic : « Inde gubernaclum ... » Supplerunt otiosi homines : « tendens a puppe volante ».

383. *Vestigia tangit*. Vulgo : « vestigia condit ». Turnebus maluit *condunt*, propius ad Aratum. Sed recte restituit Grotius ex Hygino *tangit*.

384. *In tutoque locatam*. Cod. Leid. « in totoque locatam », perperam.

388. *Squamnoso corpore Pisces*. Ita citat Cicero ipse, de Nat. Deor. II, 44. Vulgo *squamnosi*.

389. *Fluminis illustris tangentem*

Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funestum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrymis mœstæ Phaethontis sæpe sorores
Sparserunt, letum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis sub læva cernere planta
Serpentem poteris; proceraque Vincla videbis,
Quæ retinent Pisces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti.
Hic una stella nectuntur, quam jacit ex se
Pistricis spina valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Pistricem fusæ sparsæque videntur
Atque gubernaclum stellæ quas contegit omnes
Formidans acrem morsum Lepus. His neque nomen,
Nec formam Veteres certam statuisse videntur.

corpore ripas. Alii *Fluminis illustri*, minus recte. Aratus, 358: ποταμοῦ ἀστερόεντος. Patric. pro *corpore* malebat *pectore*, quod convenit Astronomorum placitis; dicebatur enim Pistrix Eridanum pectore adtingere. Vid. Hygin. Astronom. III, 30: « Hujus priorem partem corporis prope adluere flumen Eridanus videtur »,

395. *Serpentem poteris.* Cic. de Nat. Deor. l. l. citat: « serpentem adspicies »; sed in ipso carmine continuo non ita scripserat.

397. *Vincla videbis..... Flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti.* Grotius ad h. l. Deceptus est Cicero eo, quod Aratus post Fluvium de Nodo tractet. Itaque τὰ λῖνα ait Flumine misceri, quod nimis absurdum est. Nam Pistrix media est inter Nodum vinculorum et Eridanum. Sed juvenile est erratum. Et tamen Avienus quoque dixit: « Fusaque quæ geminos adstringunt vincula Pisces Eridani coeunt amfractibus... »

398. *Hic una stella nectuntur*, etc. ex emendatione Grotii. Aldus et edd. vett. corrupte: « Hanc una stella nectuntur quam jacet ex se Pistricis spinæ valida cum luce refulgens ». Alii *Hæc* pro *Hanc* et *vertuntur* pro *nectuntur*. Morellius dedit *Pistrix e spina*, quod tamen non bene convenit cum antecedenti *jacit ex se*. Itaque Grotii emendationem recepi, præeuntibus jam pluribus Ciceronis editoribus.

399. *Spina*, ultima ob cæsuram producta. Grot. *spina, evalida*. Ed.

402. *Atque gubernaclum, stellæ quas contegit omnes.* Alii *Ante gubernaclum*, male. Reposuit Buhl. *stellas quas* pro vulgato: « Atque gubernaclum stellæ, quas, etc. » et quærit: « Quid est gubernaclum stellæ? Miror, neminem, ne Grotium quidem, in hoc hæsisse ». Sed aperte *stellæ* debet conjungi cum *exiguæ, multæ*. Ed.

Nam quas sideribus claris natura polivit,
Et vario pinxit distinguens lumine formas,
Has ille astrorum custos ratione notavit,
Signaque signavit cælestia nomine vero.
Has autem, quæ sunt parvo cum lumine fusæ,
Consimili specie stellas, parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarare figura.

PISCIS AUSTRALIS.

Exinde, Australem soliti quem dicere Piscem,
Volvitur inferior Capricorno versus ad Austrum,
Pistricem observans, procul illis Piscibus hærens.

AQUARIUS.

At prope conspicies expertes nominis omnes,
Inter Pistricem et Piscem quem diximus Austri,
Stellas sub pedibus sparsas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
E multis tamen his duo late lumina fulgent:
Unum sub magnis pedibus cernetur Aquari:
Quod superest, gelido delapsum flumine fontis,

405. *Nam quas sideribus... Has ille astrorum custos.* Rescripsi cum Grotio *quas* et *Has* pro vulgato *Quæ* et *Hæc*, refertur enim ad *formas*. *Astrorum custos* Græcorum more dictum, qui *observare* vocant φυλάσσειν. Est itaque ἀστέρων φύλαξ astrorum observator.

409. *Quæ sunt parvo cum lumine fusæ.* Iterum ex emendatione Grotii, quam sensus flagitabat. Vulgo: « parvo sub culmine fusæ ».

411. *Nota clarare figura.* Alii *clarere*, male. *Clarare* est activum, quod hoc loco requiritur; *clarere* neutrum. Conf. Grotium, p. 77.

412. *Exinde Australem soliti quem dicere Piscem.* Sic bene correxit Morellius. Ald. et edd. vitiose: « Exinde australem soliti convincere Piscem ». Aratus, 388: νότιον δέ ἑ κικλήσκουσι.

417. *Stellas sub pedibus sparsas radiantis Aquari.* Vulgo *stratas*. Sed *sparsas* usitatius Ciceroni. Sic supra vs. 402 stellæ *sparsæ fusæque videntur*. Conf. etiam Aratus, 389: σποράδην ὑποκείμενοι.

421. *Sub magni pedibus.* Ita Ald. et edd. vett. Aliæ edd. « sub magnis pedibus ».

422. *Gelido delapsum flumine fontis*, ex emendatione Grotii in notis ad Germanicum. Vulgo *lumine*. Ad-

Spiniferam subter caudam Pistricis adhæsit;
Hæ tenues stellæ perhibentur nomine Aquai.
Hic aliæ volitant parvo cum lumine claræ,
Atque priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis, et obscuræ sine nomine cedunt.

ARA.

Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri,
Exiguo superum quæ limina tempore tranat:
Nam procul Arcturo est adversa parte locata.
Arcturo magnum spatium supera dedit, orbem
Jupiter huic parvum inferiore in parte locavit.
Hæc tamen æterno invisens loca curriculo nox
Signa dedit nautis, cuncti quæ noscere possent,
Commiserans hominum metuendos undique casus.
Nam quum fulgentem cernes, sine nubibus atris,
Aram sub media cæli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus Austrum:

stipulantur Grotii codd. nonnulli.

423. *Spiniferam subter caudam.* Codd. MSS *spinigeram.*

424. *Hæ tenues stellæ perhibentur nomine Aquai.* Eld. Ald. corrupte *Etenus stellæ.* Correxerunt alii, notante Morellio, *Ast omnes.* Ipse Morellius in textu dedit *Hæ tenues*, quod utique legendum esse (sive Eæ *tenues* κατὰ συναίρεσιν) docuit ad h. l. Grotius. Pro *Aquai* alii habent *Aquari.* Sed nostra lectio præferenda. Arat. 399: τοὺς πάντας καλέουσιν ὕδωρ. Monet tamen Grotius, etiam *Aquarium* pro *Aqua* apud veteres Latinos dici, et sic etiam alteram lectionem sustineri posse.

427. *Obscuræ sine nomine cedunt*, ex emendatione Grotii. Videntur autem Cicero et Germanicus apud Aratum, v. 401, pro ἀνώνυμοι legisse ἄγνωτοι. Vulgo *condunt*, male.

430. *Exiguo superum quæ limina tempore tranat.* Recepi Turnebi emendationem *superum limina* pro vulgato *superum lumina.* Arat. 414: Τοῦ δή τοι ὀλίγον μὲν ἐπὶ χρόνον ὑψόθ' ἐόντος Πεύσεαι.

432. *Arcturo magnum*, etc. Sequutus sum Grotium. *Spatium* et *orbem* vocat arcum illum, qui ab Orientali Finitoris signo ad Occidentale per datum signum ducitur. *Metas* vocat Cæsar. Turnebus ita distinguere malebat: « Arcturo magnum spatium supera dedit orbem Jupiter, huic parvum, etc. » Edd. vett. « hunc parvum ».

Quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locaus, tuto labere per undas.
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celsos defixo robore malos,
Ut res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, et subitis auris diduxerit Ara.

CENTAURUS.

Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit,
Ipseque cærulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans vestiet umbra,
Ad signorum obitum vis est metuenda Favoni.
Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese clarum collucens Scorpius infert,
Hac subter partem præportans ipse virilem
Cedit, Equi partes properans subjungere Chelis.
Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,
Quam nemo certo donavit nomine Graium,
Tendit, et illustrem truculentus cedit ad Aram.

447. *Et subitis auris diduxerit Ara.* Grotius conjiciebat: « et subitas auras diduxerit aura ». Minime adsentior.

448. *Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit.* Grotius ad h. l. « Nimirum punctum medium intelligit arcus illius, qui inter duo Finitoris puncta ducitur, ubi videlicet ipse arcus a Meridiano intersecatur. Hæc est, quam mediam cæli viam dicunt. Nam Centaurus omnino illis non potuit μεσουρανεῖν ».

453. *Clarum collucens Scorpius.* Edd. Ald. et vett. *claro*, ita ut epitheton referatur ad Centaurum. Alii *clare*. Nostrum tuentur etiam codd. Msti et plures edd.

455. *Cedit, Equi partes properans subjungere Chelis.* Legebatur hic versus corrupte apud Aldum sic: « Cedite qui partis properat conjungere Chelis ». Ipse Cicero, de Nat. Deor. II, 44, citat *submergere*. Sed et hic et illic libri sunt corrupti. Ut nos dedimus, emendavit Grotius. Restituerat jam Morell. *Cedit*, *equi* et *properans*. Aratus eleganter, 438: ἱππούραια δ' ὑπὸ σφίσι Χηλαὶ ἔχουσιν.

456. *Hic dextram porgens.* *Porgens* dici pro *porrigens*, ut *surgens* pro *surrigens*, vix est quod moneam. Aldus habet *pergens;* quod non improbavit Grotius; regitur tum *dextram* ab antecedenti *cedit*, vel a sequenti *tendit*. Possit etiam legi *Cædit*, ut ad Feram referatur, quæ Hostia dicitur Hygino. Nil tamen

HYDRA.

Hic sese infernis de partibus erigit Hydra
Præcipiti lapsu, flexo cum corpore serpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Convexoque sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda:
In medioque sinu fulgens Cratera relucet:
Extremum nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit. Et hic, Geminis est ille sub ipsis
Ante canis, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc sunt, quæ visens nocturno tempore signa,
Æternumque volens mundi cognoscere motum,
Legitimo cernes cælum lustrantia cursu.
Nam quæ per bis sex Signorum labier orbem
Quinque solent stellæ, simili ratione notari

equidem in vulgato textu mutavi. — *Porgens*. Pingebatur enim Centaurus habitu porrigentis sive extendentis dextram, et ea tenentis bestiam, quadrupedem vastam ac protensam; euntisque versus Aram sidus quatuor stellis *illustre*, quasi illam victimam ad aram immolaturus. Mavult Patricius *illustrem* referri ad quadrupedem, ut quæ stellas habeat decem, quum Ara tantum constet quatuor. Nihil in Græco est, quo lis possit dirimi. Ed.

459. *Infernis de partibus*. Sic Cic. vertit Arat. 443 περαιόθεν. Avien. *Desuper*. Theon περαίαν dici ait τὴν ἀνατολὴν, adseverat autem ibidem, vocem etiam de *occasu* sumi. Ita eadem vox contrarias habet significationes. Grotius mavult vertere *ulterius*. Cod. Leid. « infernis e partibus ». Alii codd. « infernis a partibus ».

461. *Ad terga Nepai*. Intelligitur a Cicerone sub Nepa Cancer; vid. supra ad vs. 90, 428, et infra 528, 574, etc. Ed.

463. *Centaurum leni contingit lubrica cauda*. Cod. Leid. *levi*, melius forsitan.

465. *Extremum... Corvus Rostro tundit*. Aldus *Extrema*. Alii *Extremo*. Morellius et Grotius *Extremum*, quod retinui. Cicero ipse citat *Extremam*, ita ut non ad sinum, sed ad Hydram spectet. Alii « Rostro tundet », non recte. Aratus, vs. 449, κόπτοντι.

467. *Ante canis*, ex emendatione Grotii et Scaligeri, qui posterior malebat ἀρχαϊκῶς *Antecanis*. Vulgo: « Ante canem », perperam. Cæterum in hoc versu desinit cod. Leid.

469. *Æternumque volens mundi cognoscere motum*. Deest hic versus in pluribus edd. ut et in Morelliana. — Pingr. habet *pernoscere*. Ed.

471. *Labier orbem*, ex emenda-

Non possunt; quia, quæ faciunt vestigia cursu,
Non eadem semper spatio protrita feruntur.
Sic malunt errare vagæ per nubila cæli,
Atque suos vario motu metirier orbes.
Hæ faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cæli sub tegmine signum:
Quarum ego nunc nequeo totos evolvere cursus.
Verum hæc, quæ semper certo volvuntur in orbe,
Fixa, simul magnos edemus gentibus orbes.
  Quatuor, æterno lustrantes lumine mundum,
Orbes stelligeri portantes signa feruntur,
Amplexi terram, cæli sub tegmine fulti:
E quibus annorum volitantia lumina nosces,
Quæ densis distincta licebit cernere signis.

tione Turnebi et Grotii. Intelligitur Zodiacus. Vulgo *orbes*, male.

473. *Quæ faciunt vestigia cursu.* Alii *qua*, vel *quo*.

474. *Vestigia... protrita feruntur.* Sic melius edd. vett. In aliis et apud Pingr. *portata teruntur*, nullo sensu. Grotius proponebat: « portata feruntur ». Sed quid sint « vestigia portata », equidem non capio.

475. *Sic malunt.* Aliæ edd. « sed malunt ».

477. *Hæ faciunt.* Ita jam correxit Grotius vulgatum *Hæc*. Refertur enim *Hæ* ad *stellas* quinque supra memoratas.

479. *Quarum ego.* Iterum spectat ad stellas. Male vulgo: « Quorum ego ». Ed. Ald. « Quare ego ». Ingeniose hanc lectionem explicat Grotius. Scriptum erat in codice: « Quar. ego » pro « Quarum ego ». — *Totos evolvere cursus.* Meminit Grotius conjecturæ patris: « tortos evolvere cursus », quæ etiam mihi haud displicet.

480. *Certo volvuntur in orbe.* Alii *evolvuntur*.

481. *Fixa, simul magnos edemus gentibus orbes.* Versus, quemadmodum vulgo legebatur: « Fixa, simul magnos edam gentibus orbes », erat hiulcus. Ed. Ald. « Fixa, simul magno sedem gentibus orbes ». Alii: « Magnos similes vertentibus orbes ». Turnebus emendavit: « Magnos edicam gentibus orbes », vel pro « gentibus », « cantibus ». Sequutus sum Grotium, cujus correctio versus mihi videtur levissima. Neque tamen versum omnino integritati restitutum puto. Offendit inprimis repetitio vocis *orbis*: « quæ volvuntur in orbe Fixa, simul magnos edemus gentibus orbes ».

484. *Amplexi terram*, ex emendatione Grotii. Vulgo *terra*.

485. *Annorum volitantia lumina.* Videtur legisse Cicero apud Aratum, 464: Ἄστρα περισκοπέοντι ἀνυομένων ἐνιαυτῶν. — Pingr. *limina* ex Arato, ubi legit Μέτρα vs. cit. Ed.

Tum magnos orbes magno cum lumine latos,
Vinctos inter se, et nodis cælestibus aptos,
Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
Nam si nocturuo cognoscens tempore cælum,
Quum neque caligans detersit sidera nubes,
Nec pleno stellas superavit lumine Luna,
Vidisti magnum candentem serpere Circum:
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
Hic non perpetuum detexens conficit orbem.
Quatuor huic simili nitentes mole feruntur:
Sed spatio multum superis præstare duobus
Dicitur, et late cæli lustrare cavernas.
  Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,
Ora petens geminorum illustria; tum genus ardens
In sese retinens Aurigæ portat utrumque.
Hunc sura læva Perseus humeroque sinistro
Tangit. At Andromedæ dextra de parte tenetur;

487. *Tum magnos orbes.* Restitui *magnos* ex ed. Ald. Vulgo *multos.*

490. *Nam si nocturno cognoscens tempore cælum.* Vetustissimi codd. *Nec si,* male. Alius cod. penes Grot. *Et si.* Exendebat hinc Grot. lectionem *En, si.* Malui eum Morell. et aliis legere *Nam si.* Ping. *Nam sic.* Ed.— Pro *cognoscens* Grotius etiam reponere voluit *convisens*, quoniam *visere* et *convisere* sunt verba poetica Ciceronis hac de re. Verum utitur Cicero quoque verbo *cognoscere*, quare mutatio non est necessaria.

494. *Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.* In ed. Ald. *in nimio.* Conjicit propterea Grotius legendum *is nimio.* Pro *notatur* alii habent *vocatur;* melius forsitan. Quod Grotio placuit, *rotatur,* equidem non probaverim; vult enim Cicero hoc ipsum, Circum *vocari* Lacteum. Cæterum *nimio candore* dictum pro *magno candore.* Sic supra: « haud nimio lustratus nitore ... haud nimis ingenti eum corpore », i. e. *valde ingenti.*

495. *Hic non perpetuum detexens conficit orbem.* Ed. Ald. *His.* Forsitan itaque legendum *Is.* Grotius putat, Ciceronem apud Aratum aliter quam Buhl. legisse, vs. 476, γάλα μιν καλέουσιν Τοῦ δή τοι Χροιὴ μὲν ἀλίγκιον οὐδ' ἔτι κύκλον Δινεῖται.

496. Hunc vs. omisit Buhl. errore.

497. *Superis.* Pingr. *superest*, et ita Grot. male. *Superis duobus* intellige circulos Tropicos, Æquatore et Zodiaco minores. Ed.

500. *Ora petens Geminorum illustria.* Ita emendavit Grotius. Vulgo *illustratum.*

503. *At Andromeda.* Vulgo: « ad Andromedam », male. In vs. supe-

[Cui manus ad Boream, cubitus cui spectat ad Austrum].
Imponitque pedes duplices Equus; et simul Ales
Ponit avis caput, et clinato corpore tergum.
Anguitenens humeris connititur. Illa recedens
Austrum consequitur devitans corpore Virgo.
At vero totum spatium convestiet orbis
Magnu' Leo, et claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens convertit curriculum Sol
Æstivus, medio distinguens corpore cursus.
Hic totus medius circo disjungitur : iste
Subter testarum cava tegmina, et intus et extra
Lumen habens : sævi sed vis horrenda Leonis
Pectoribus validis, atque alvo possidet orbem.
Hunc octo in partes divisum noscere circum
Si potes, invenies supero converticr orbe
Quinque pari spatio, partes tres esse relictas,

riori pro *sura læva* ed. Ald. vitiose *supera lævæ*. Aratus, 483 : λαιῇ δὲ κνήμῃ. Quæ jam sequuntur apud Aratum, a Cicerone sunt omissa, nisi quid desit.

506. *Et clinato corpore tergum.* Conf. not. ad Arat. vers. 487, vol. I Buhl. En.

507. *Anguitenens humeris connititur.* Conjicit Grotius *connectitur.* Turnebus *convertitur.* Sed nihil est in vulgato mutandum.

509. *At vero totum spatium convestiet orbis Magnu' Leo.* Ita dedi ex emendatione Grotii. Codd. *convertit et orbis*. Alii, in his Morellius, « convestit et orbis », male. Fuere, qui hunc versum omnino ejicerent et sequentem inchoarent : « Inde Leo ». Conf Theon ad h. l.

512. *Medio distinguens corpore cursus.* Non respondet his versus Arateus. Vult Cicero, solem solstitii æstivi tempore medium esse inter Arcticum et Eclipticam. Conf. Germanicus et Avienus.

513. *Hic totus medius circo disjungitur : iste Pectoribus validis, atque alvo possidet orbem.* Sic præclare hunc locum restituit Grotius in notis. Legebatur vulgo : « disjungitur ipso, etc. » quare plerique, etiam, quum textum operis traderet, ipse Grotius, versus esse mutilos, vel excidisse quosdam, suspicati sunt. Quod si autem lectionem nostram sequaris, sensus et nexus satis fit perspicuus. *Hic* (scilicet Cancer), a circulo æstivo distinguitur ; *Ille* (scil. Leo), orbem possidet στήθεσι καὶ γαστέρι. Cf. Arat. 492 seq. Quæ poeta Græcus de oculis Cancri dixit, a Cicerone et a Germanico non sunt reddita, sive quod ea non legerent in codd. suis, sive quod superflua putarent.

Tempore nocturno quas vis inferna frequentat.
[Ille quidem a Boreæ] Cancro connectitur [auris;]
Alter ab infernis [contra connititur] Austris.
Distribuens medium subter secat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquarî,
Cæruleæque feram caudam Pistricis, et illum
Fulgentem Leporem; inde pedes Canis, et simul amplam
Argoam retinet claro cum lumine Navem;
Tergaque Centauri, atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittarî defixum possidet arcum.
Hunc, a clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
Cedens, postremum tangit rota fervida Solis;
Exinde in superas brumali tempore flexus
Se recipit sedes. Huic orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes, supera tres luce dicantur.
Hosce inter mediam partem retinere videtur

520. *Vis inferna frequentat.* Ita codd. MSS. Vulgo *frequentet.*

522. *Alter ab infernis*, etc. Excidisse versum patet; etiam ex Arateis: Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Βορέῳ περὶ Καρκίνον ἐστήρικται, Ἄλλος δ' ἀντιόωντι νότῳ. Substitit Buhl. in textu vulgato. Aldus habet: « Alter ab infernis Austri convertitur auris ».— Grotius quidem ita restituit, ut dedimus, et ita Pingr. Ed.

523. *Distribuens medium.* Alii, ut lacunam explerent, legerunt: « Ast alter medium »; sed tum non quadrat, quod sequitur: « subter secat hic Capricornum ».

525. *Cæruleæque feram caudam Pistricis.* Grotius maluit: « Cæruleamque feræ caudam Pistricis ».

527. *Argoam retinet claro cum lumine Navem.* Ita dedi ex emendatione verissima Grotii. Vulgo: « Argolicam retinet crebro cum lumine Navem ». Edit. Ald. « crebro cum lumine ». Nostram lectionem « claro cum lumine » jam alii editores in textum receperunt.

531. *Cedens postremum tangit.* Sic utique legendum cum Grotio. Aratus παρερχόμενος. Vulgo *Condens.*

532. *Brumali tempore flexus.* Vulgo: « brumali tempore flexu », vitiose. Correxit Grotius *flexus*, nempe *sol.* Sic apud Avienum sol τροπικὸς ἢ τρεπόμενος dicitur *pulsus.* — Pingr. maluit *flexa*, non male. Ed.

534. *Supera tres luce dicantur.* Dictum est pro: superæ (orbi) tres luce dicantur, per ἀντίπτωσιν ablativi pro dativo.

535. *Hosce inter mediam partem retinere videtur.* Vulgo « Hasce inter », male; μεσσόθι τοῦ θερινοῦ καὶ χειμερινοῦ Theon. Deinde vitiose habent edd. vett. « mediam in partem ».

Tantus quantus erit collucens lacteus orbis:
In quo autumnali, atque iterum sol lumine verno
Exæquat spatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries sublucet corpore totus;
Atque genu flexo Taurus connititur ingens.
Orion claro contingens pectore fertur.
Hydra tenet flexu; Cratera et Corvus adhæret,
Et paucæ e Chelis stellæ: simul Anguitenentis
Sunt genua, et summi Jovis Ales nuntius instat;
Propter Equus capite, et cervicum lumine tangit.
Hosce æquo spatio dejunctos sustinet axis,
Per medios summo cæli de vertice tranans.

Ille autem claro quartus cum lumine Circus
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte secatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo, cui sancta manu doctissima Pallas
Solertem ipsa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare cate contortos possiet Orbes,
Quam sunt in cælo divino numine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine transverso retinentes sidera fulta.
Quatuor hi motu cuncti volvuntur eodem.

540. *Atque genu flexo Taurus.* Sic Taurus in astrothesia pingitur. Vid. Epigr. de signis cælestibus, vs. 2: « Inflexoque genu projectus corpore Taurus ». Ed.

541. *Contingens pectore fertur.* Alii: « contingens corpore fertur ». Apud Aratum est ζώνη.

542. *Hydra tenet flexu; Cratera et Corvus adhæret,* etc. Ita emendavit Turn. adprobante etiam Grotio. Hydra tenet circulum flexu. Est χαμπή Arati. Vulgo: « Hydra tenet flexu Crateram, Corvus adhæret ».

543. *Et paucæ e Chelis stellæ.* Vulgo: « Et pancæ Chelis stellæ », perperam.

546. *Dejunctos sustinet axis*, ex emendatione Turnebi. Vulgo: « devinctos sustinet axis ».

555. *Divino numine flexi.* Restituit sic jam Turnebus ex editione Aldina. Vulgo: « divino lumine flexi ».

558. *Quatuor hi motu*, etc. Aldus: « Quatuor in motus ». Suspicatur propterea Grotius legendum: « Qua-

Sed tantum supera terras semper tenet ille
Curriculum oblique implexus tribus orbibus unus,
Quanto est divisus Cancer spatio a Capricorno;
Ac subter terras spatium par esse necesse est.
Et quantos radios jacimus de lumine nostro,
Queis hunc convexum cæli contingimus orbem,
Sex tantæ poterunt sub eum succedere partes,
Bina pari spatio cælestia signa tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, nostrique Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.
Æstifer est pandens ferventia sidera Cancer.
Hunc subter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo,
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ;
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit.
Humidus inde loci collucet Aquarius orbi.
Exin squammiferi serpentes ludere Pisces;
Queis comes est Aries obscuro lumine labens,
Inflexoque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.

tuor in motus cuncti volvuntur eosdem ». Utrum malis, sensus eodem redit. Revera in codd. scriptum fuisse arbitratur Grotius: « Quatuor ii motu ».

562. *Ac subter terras*. Codd. MSS « At subter terras ».

564. *Queis hunc convexum*, etc. ex emendatione Grotii. Vulgo: « Queis lunæ convexum cæli tangimus orbem ». Sed verissima est Grotii lectio.

565. *Tantæ poterunt*, etc. Conf. Buhlii not. ad Aratum, vs. 542.

577. *Collucet Aquarius orbi*. Aliæ edd. *orbem* sive *orbe*.

570. Pro *pandens* Grot. et Pingr. *pendens*. De his versibus ne eadem repetantur vid. notata ad Epigr. de signis cælestibus, ad calcem l. VI huj. operis. Ed.

578. *Exin squammiferi*, etc. Nescio an hic versus adeo sit depravatus, ut Grotius sibi persuasit. Legendum censet: « Exin squammifero serpentes sudere Pisces »;

Hæc Sol æterno convolvit lumine lustrans
Annua conficiens vertenti tempora cursu.
Hic quantum terris confectus pellitur orbis,
Tantundem ille patens supera mortalibus exstat.
Sex omni semper cedunt labentia nocte,
Tot cælum rursus fulgentia signa revisunt.
Hoc spatium tranans cæcis nox conficit umbris,
Quod supera terras prima de nocte relictum
Signifero ex orbi' st signorum ex ordine fultum.
Quod si Solis aves certos cognoscere cursus,
Ortus Signorum nocturno tempore vises;
Nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes,
Certas ipse notas cæli de tegmine sumens,
Ortus atque obitus omnes cognoscere possis.

ita nt *sudere* ἀρχαικῶς dietum sit pro *sidere*. Vix tamen eredo, Cicerouem epitheton *squammiferum* ad ipsum sidus, non ad figuram sideris (Pisces), retulisse. Monet interea Grotius, *squammiferi* in vulgata lectiooe posse retineri, sed *ludere* (Pisces), esse intolerabile; quod mihi quidem seens videtnr. Codd. et edd. in nostra lectione omnes conspiraot.

582. *Convolvit lumine lustrans*. Alii *convertit*, male.

583. *Annua conficiens*, ete. Edit. Ald. « vertentia tempora cursus ». Alii « vertentia tempora cursu ». Grotius proposuit: « vertentis tempora eursus », sive quam nos dedimus lectionem. Aratus: Πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων.

584. *Hic quantum terris*. Alii: « Hie quantus terris ». In seqoentibns aliæ edd. habent *connexus* vel *confectus pellitur orbis* pro *convexus*, perperam.

585. *Tantumdem ille patens*, ete. Alii: « Taotumdem pandens », et *edit* pro *exstat;* hinc Grotius eoojicit legeodum *exit*. Equidem vulgatum retinere malui. Turnebus emendabat: « Tantumdem parens » pro « adparens ».

587. *Tot cælum rursus*, etc. ex emendatione Grotii. Vulgo *jussus*, qnod alii mntarunt in *jussu*, medelam adferentes nullam. Tnrnebns emendabat: « Tot cælum juxta ». — *Fulgentia*. Buhl. habet *fugientia*, perperam. Ed.

590. *Quod.... relictum Signifero ex orbi 'st*. Ita restituit Grotius. Volgo: « Qnod..... relictum est Signifer (Ald. *signifero*) ex orbe et signorum ordine fultum ».

596. *Notas cæli de tegmine sumens*. Alii *sumes*, minus bene.

Quæ simul exsistant, cernes; quæ tempore eodem
Præcipitent obitum nocturno tempore, nosces.
Nam simul ut supero se totum lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona;
Et loca convisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam retinet stellis distincta Corona,
Partem jam supera, atque alia de parte repulsa est:
Quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
Tractus, sed supero contectus corpore cedit:
Atque humeros usque a genibus, camurumque recondit
Anguitenens validis magnum a cervicibus Anguem.
Jam vero Arctophylax non æqua parte secatur:
Nam brevior clara cæli de parte videtur;
Amplior infernas depulsus possidet umbras.
Quatuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi; tum serius ille,
Quum supera sese satiavit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obscura tenens convertit sidera tellus.
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris et lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis Ensem.

600. *Nam simul*, etc. ex emendatione Grotii. Vulgo: « toto lumine ». Alii habent: « Nam simul ac primum supero se lumine Cancer Extulit », non bene. — Pingr. habet *jam*, sed præfert *nam*, et Vat. cod. habere testatur. Dein conjicit *supera se primo*. En.

603. *Dimidiam retinet... de parte repulsa est.* Ita recte hus versus constituit Grotius. Vulgo *retinens*, et in altero versu: « Partem etiam supera ».

605. *Quam tamen.* Alii: « Quum tamen ».

607. *Camurumque recondit.* Vulgo: « Cancrumque recondit », perperam. Spectat epitheton *camurus* ad Anguem in versu sequenti. Est *camurus*, licet proprie de cornibus dicatur, ἐπικαμπής, *tortus*, ut angui convenit. Aliam conjecturam a nonnullis quoque receptam propinavit Grotius: « clarumque recondit ». Accedit autem *camurum* propius ad vulgatam lectionem corruptam. — Vid. not. ad Avien. Phæn. 437. En.

616. *Convertit sidera tellus.* Alii male *convestit*. Permutatæ sunt sæpius hæ duæ voces in codd.

Sed quum de terris vis est patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata; simul vis magna Aquilai
Pellitur, ac flexo considens corpore Nisus
Jam supero ferme depulsus lumine cedit:
Sed lævum genus, atque illustrem linquit in altum
Plantam. Tum contra exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus et Procyon, qui sese fervidus infert
Ante Canem; inde Canis vestigia prima videntur.

Non pauca e cælo depellens signa, repente
Exoritur candens illustri lumine Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Avis ad summam caudam, primasque recedit
Pinnas, et magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite, et longa cervice latescit.
Longius exoritur jam claro corpore Serpens;
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis ostendit jam posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine puppim.
Insequitur labens per cæli lumina Navis;

622. *Simul vis magna Aquilai.* Restituit Turnebus, Advers. XII, 17, et adprobavit ejus emendationem Grotius. Inepte vulgo legebatur: « simul vis major Aquari ». Apud Aratum est ὁ Αἰετός. Reposuerunt propterea alii, ut Morellius, « vis major Aeti ». Est autem non probabile, Ciceronem voce græca h. l. usum esse; deinde sonat vox græce ἀιτός, non ἀητός: denique intelligi nequit, quid sit vis *major* Aquilæ? Itaque haud cunctanter Turnebi emendationem in textum recepi.

623. *Flexo considens corpore Nisus.* Rescripsit Turnebus *confidens*. Alii male *confidens*. — *Nisus*. Grot. et Pingr. habent *Nixus*. Ed.

630. *Illustri lumine Virgo*, ex emendatione Grotii. Vulgo: « illustria lumina Virgo ».

638. *Inde.* Hæc particula hic expletiva est, et ad transitionem scripta, ut de quibusdam monuit Grot. Neque enim intellexit Cicero posteriores pedes Canis post Hydram surgere, quum Arati omnino contraria sit sententia. Ed.

640. *Per cæli lumina Navis.* Alii: « per cæli numina », vitiose. Turn corrigebat: « per cæli limina ».

Hæc medium ostendit radiato stipite malum;
Et jamjam toto processit corpore Virgo.
At quum procedunt obscuro corpore Chelæ,
Exsistit pariter larga cum luce Bootes,
Cujus in adverso est Arcturus corpore fixus;
Totaque jam supera fulgens prolabitur Argo,
Hydraque, quod late cælo dispersa tenetur,
Nondum tota patet; nam caudam contegit umbra.
[Anguitenens autem renovata luce refulget.]
Jam dextrum genus, et decoratam lumine suram
Erigit ille vacans vulgato nomine Nixus,
Qui Fidis Arcadicæ semper confinia tangit:
Quem nocte exstinctum atque exortum vidimus una
Persæpe, ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hic genus et suram cum Chelis erigit alte:
Ipse autem præceps obscura nocte tenetur,
Dum Nepa et Arcitenens invisant lumina cæli.
Nam secum medium pandet Nepa; tollere vero
In cælum totum exoriens conabitur Arcus.
Hic tribus elatus cum signis corpore toto
Lucet: at exoritur media de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic se jam totum cæcas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma prætervolat Ales.

642. *Et jamjam toto processit corpore Virgo.* Alii hunc versum priori anteponentes legunt: « Et quum jam tota, etc. » quam lectionem veram pronuntiat Grotius, in quo tamen ei non adsentior. Convenit etiam ordo versuum noster cum Arato.

644. *Exsistit pariter*, i. e. oritur. Sic supra v. 598: « Quæ simul exsistant cernes ».

651. *Vacans vulgato nomine.* Male alii *vagans*. In versu 398: « Nondum tota patet, nam caudam contegit umbra » recepi emendationem Turnebi, quam sensus necessario exigit ». Vulgo: « Nondum tota latet, non caudam contegit umbra ». Cf. supra vs. 279. — Et hunc v. 68 Noster vocat *Eagonasin*. Ed.

658. *Nam secum.* Alii: « Non secum », perperam.

Occidit Andromedæ clarum caput, et fera Pistrix
Labitur, horribiles epulas funesta requirens.
Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas:
Illa usque ad spinam mergens se cærula condit.
At Cepheus caput atque humeros palmasque reclinat.
Quum vero vis est vehemens exorta Nepai,
Late fusa volans [in terras labitur unda;
Orionque metu perculsus conditur una.
Pace hujus liceat causam explicuisse timoris,
Virgo, tua: mihi, quæso, veni placata, Diana.
Hæc fama est hominum, hæc] per terras fama vagatur;
Ut quondam Orion manibus violasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Chius
Brachia cui viridi convestit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat,
Œnopionis avens epulas ornare nitentes.
At vero pedibus subito perculsa Dianæ

671. *Late fusa volat*, ete. Desiderantur posterius hujus versus hemistichium et sequentes quatuor versus in plerisque codd. Sunt autem, iudice etiam Grotio, vere Ciceroniani, ex Arato expressi, et ad sensum necessarii. Versus supra exscriptus, quemadmodum nunc legitur, nec cum antecedenti cohæret, nec Arateis respondet. Quare Grotius emendavit: « Late fusa volans per terras labitur unda »; et in sequenti versu pro « ut quondam Orion » legere jubet: « Vi quondam Orion ». Buhlius, quum ipsius Ciceronis verba restituere non posset, vulgatam lectionem retinuit; nos Pingræum sequimur. Ed.

678. *Defixa in gurgite Chius*, ex emendatione Grotii. Ed. Ald. *Echinus*. Hinc alii legerunt *Echineis*, contra sensum et metrum. Echinades insulæ sunt in Acheloo flumine; Chius in mari Ægæo.

679. *Brachia cui viridi*, etc. Ed. Ald. « Brachia quam viridi ». Grot. mavult: « Brachis qua viridi ». Erant plurimæ vites in Chio insula, præsertim ad Arvisium promontorium, unde dicta Arvisia vina, ut ab ipsa insula, Chia. *Brachia* forsitan non intelligenda sunt vitium ipsarum (ex sententia Scaligeri), sed lucorum. Eodem sensu Avien. Phæn. 1180: «...Et frondentia late Brachia lucorum ».—*Chius Bacchica, quam*, etc. Pingr. non male. Ed.

681. *Epulas ornare nitentes*. Ita recte rescripsit Grotius. Vulgo: « epulas cœnare nitentes ».

Insula discessit, disjectaque saxa revellens
Perculit, et cæcas lustravit luce lacunas:
E quibus ingenti exsistit cum corpore præ se
Scorpius infestus, præportans flebile acumen.
Hic valido cupide venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens constravit corpore terram.
Quare quum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum vero fugit Andromeda, et Neptunia Pistrix
Tota latet; cedit converso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput et superas potis est demergere partes;
Infera lumborum numquam convestiet umbra:
Nam retinent Arctæ lustrantes lumine suras.
Labitur illa simul gnatam lacrymosa requirens
Cassiepeia, neque ex cælo depulsa decore
Fertur: nam verso contingens vertice primum
Terras, post humeris, eversa sede, refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus, ut perhibent, ausa est contendere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ est
Altera, cum caudaque omnis jam panditur Hydra.
At caput, et totum sese Centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens vestigia parva
Antepedum contecta: simul quum lumina pandit:
Ipse feram dextra retinet. [Sed cætera magni

697. *Nam retinent Arctæ.* Vulgo *Arcti.* Ald. *Arcto.* Pingr. *Arctoi.* Vetus scriptura est *Arctæ*, quæ etiam, teste Grotio, in antiquissimo codice Germanici reperitur.

701. *Post humeris*, etc. Alii « post humeros », minus bene. — *Sede.* Cassiepea enim sedens in Astrothesia pingitur. V. Pingr. t. II, p. 289. Ed.

708. *Antepedum contecta.* Ciceronis *Antepedes* sunt Arato προτερόποδες. Sic Προκύων Ciceroni dicebatur *Antecanis.* In sequentibus: « quum lumina pandit » Grotius mavult *tum*, quod habet Pingr. Alii « cum lumine pandit », perperam.

Exspectant Arcus ortum.] Prolabitur inde
Anguitenens capite et manibus : profert simul Anguis
Jam caput, et summum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur conversus corpore Nisus,
Alvum, crura, humeros, simul et præcordia lustrans,
Et dextra radios læto cum lumine jactans.
  Inde Sagittipotens superas quum visere luces
Instituit, emergit Nisi caput, et simul effert
Sese clara Fides, et prodit corpore Cepheus.
Fervidus ille Canis toto cum corpore cedit.
Abditur Orion, obit et Lepus abditus umbra;
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapsu.
  Inde obiens Capricornus ab alto culmine pellit
Aurigam, instantemque Capram, parvos simul Hædos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem.

713. *Conversus corpore Nisus*. Alii « converso corpore Nisus ». Aratus: τετραμμένος.

714. *Lustrans*. Alii *gestans*.

717. *Instituit, emergit Nisi caput*. Alii : « Instituit et mergit Nisi caput ». — Sed hoc falsum est et contra mentem Arati. Grotium sequimur. Turnebus dedit : « Instat et emergit », melius quidem ob sequentia *effert*, *prodit*, etc. His variantibus addi potest ea versus utriusque lectio, quam a nonnullis admissam testatur Patricius : « Inde sagittipotens superas quum visere luces Instituit ». Hanc lectionem Pingræus probat, et ego libens in textum admisi pro vulg. *convisere luces*. Ed.

718. *Et prodit corpore Cepheus*. Alii *pectore*. Similis varians lectio occurrit supra, v. 713. Dedi *prodit* pro vulgato *promit*.

720. *Obit et Lepus*. Male alii : « obiit simul ».

724. *Depellit nomine Navem*. Ordinem horum versuum restituit Grotius. « Nam Perseus, inquit, et puppis Argus ex Arati mente Sagittario oriente occidunt. Aratus omnia quæ ad Aurigam pertinent suo more conjungens dixit, τὰ νείατα ejus sub Sagittario occidere, sed non manum dextram et Capram et Hædos, quæ Capricorno demum oriente occidunt. Cicero contra ea distinguenda putavit, et quæ sub Sagittario, ab iis, quæ sub Capricorno occidant, censuit separanda. Idem et Cicero et alii interpretes fecerunt in sua translatione, præsertim in tertia hac Phænomenorum parte, quæ περὶ συνανατολῶν καὶ συνδυσμῶν tractat, quod videre ex diligenti collatione perfacile est Sed Critici quidam fidentiores dum Ciceronem in Arateum ordinem redigunt, non considerarunt, se et contra Arati et contra Ciceronis

Obruitur Procyon. Emergunt alite lapsu
E terris volucres. Exsistit clara Sagitta.
Crus dextrumque pedem linquens obit infera Perseus
In loca; tum cedens a puppi linquitur Argo.
[At postquam superum convisit Aquarius orbem,
Australisque Aræ surgit sanctissima sedes;
Seque humero et pedibus primis Equus exserit alte.
Centauri oppositam devolvit ad infera caudam
Nox, caput, et latos humeros, et pectora magna
Non potis obscurare; et Hydræ, quæ proxima collo est,
Subducit spiram, rutilantiaque ora recondit.
  Cætera sed longum radianti lumine perstant,
Nec prius a superis cedunt, cum semifero, oris
Omnia, quam surgant geminato corpore Pisces.
Surgit et Ægoceri vicinus ab æquore Piscis,
Parte alia exspectans instantis sideris ortum:
Sic humeri Andromedæ, et cum lassis inclyta palmis
Crura bipartito signorum tempore surgunt.
Quum primum planis Pisces orientur ab undis,
Andromedes dextras dabitur tibi cernere partes.
  At lævas Aries, linquens inferna locorum,
Ostendit terris. Illo sub tempore ferme
Hesperii servantem Aram confinia ponti,
Perseaque usque humeros Eoa in parte videbis.
  Hoc dubium est, cessansne Aries præcordia Persei
Adtrahat, an Taurus: Tauro simul æthera lustrat.
Sed non desinere hæc, Tauro exoriente, putarim:
Nam vicina illis Aurigæ sidera fulgent,

mentem vadere, dum Perseum et puppim Navis iis adnumerant, quæ Capricorno oriente occidunt ».

726. *Emergunt alite lapsu*, etc. Vulgata erat lectio: « emergunt alite lapsum (aliæ edd. *alites una*, contra metrum), Et volucris terris exsistit clara Sagitta ». Ut equidem dedi, emendavit Turnebus, probante etiam Grotio. Volucres intelliguntur Aquila et Olor. Sed Buhlium offendit, in Turnebi emenda-

Quem tamen haud totum dias in luminis auras
Taurus agit, Geminis sed enim completur in ipsis.
Sed duplices Hædi, et cum planta Capra sinistra
Cum Bove se tollunt: tunc terga immania Pistrix
Erigit, et cæli splendentem in fornice caudam.
Occidit ipse etiam prima jam parte Bootes:
Quatuor hunc lato vix condunt sidera ponto,
Lævaque in occiduæ constans subvolvitur Ursæ.
Ambo pedes, usque ad geminum genus Anguitenentis,
Cedentes cælo, atque immensa sub æquora lapsi,
Surgentes alibi poterunt monstrare Gemellos.
Jam lateri Pistrix nulli vicina videtur,
Mox visenda tamen, quum jam Fluvii agmina prima
In medio venient nautæ cernenda profundo,
Qui signum exspectans magnum manet Oriona:
Nempe iter ut ratis, et noctis mensura patescat,
Qualia plura hominum generi Di signa dederunt.]

tione, quod volucres *lapsu alite emergant.*

760. Pro *constans* Pingr. legendum velit *caudam*, vel sic versum refingendum: « Lævaque sub magna constans subvolvitur Ursa ». Ed.

764. *Jam lateri Pistrix.* Hæc Avieni sunt Phæn. v. 1311. Mirum, ait Pingræus, si ea Grotius intellexerit. Unde *latici* scribendum conjicit, versionemque hanc Arati exhibet: «Non jam prima patet, latitat pars altera Ceti; Totus surrexit. Nunc et Fluvii agmina prima In medio veniunt, etc. » Ed.

M. TUL. CICERONIS
PROGNOSTICORUM ARATEORUM
FRAGMENTA.

I. E Prisciano, lib. VI.

Caprigeni pecoris custos de gurgite vasto.

Hæc ad Arietem respiciebant, qui lanigeri pecoris custos plerumqne dicitur. Ed.

II. Priscianus, lib. VII ex Arateis Ciceronis citat hunc versum:

Navibus assumptis fluitantia quærere aplustra.

Versum hunc, cui in Arati poemate nullus respondet expresse, Patricius post versum Phæn. 157: « Etesiæ in vada ponti » referendum censebat. Ipsum utique præcedebat versus alius, in hunc fere sensum: « Ne mediis nautæ expositi eogantur in undis Navibus absumptis, etc. » *Absumptis* enim pro *assumptis* legendum judicabat Patricius. Apud Olivetum *Navibus amissis*. Ed.

III. Priscianus, lib. X.

Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas
Interimet, stinguens præclara insignia cæli.

Hos versus ad Prognostica refert Olivetus, sed rationes nullas adfert. Ed.

IV. Priscianus, lib. X, pag. 386.

Idem (Cicero) passivum hujus verbi (*stinguere*) in Prognosticis protulit:

Ut quum Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæca caligine tecti.

V. Priscian. lib. XVI, p. 552 sub fin. et XVIII, p. 706.

Hoc quoque non est prætermittendum, quod conjunctiones sibi propositæ inveniuntur, tam ejusdem potestatis quum sit, quam alterius, ut Cicero in Prognosticis:

Ast autem tenui quæ candet lumine Phatne.

Ast autem tenui quæ candet lumine Phatne, ex emendatione Patricii a Grotio quoque recepta. Vulgo: « quæ candent lumine Phatnæ ». Conf. Plin. Hist. Nat. XVIII, cap. 80: « Sunt in signo Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli adpellatæ, exiguum inter illas obtinente nubecula, quam *Præsepia* adpellant. Hæc quum cælo sereno adparere desierit, atrox hiems sequitur. Si alteram earum Aquiloniam caligo abstulit, alter sævit, etc. » In Grotii Diosemeorum Arati versione metrica, cui fragmenta Ciceronis intertexta sunt, perperam, ipso Grotio notante, impressum: « Ast vero tenui caligans lumine Phatne ». In exemplo meo Syntagmatis Arateorum Grotii adscripsit docta manus: « Ast autem tenui quæ splendet lumine Phatne ».

VI. Cicero, de Divinat. I, 8.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces;
Aut densus stridor quum celso e vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.
Rava fulix itidem fugiens e gurgite ponti

7. *Rava fulix*. Codd. MSS librorum Ciceronis de Divinatione, in quibus hi versus citantur, habent: « Rana fulix », quæ arbitrati sunt interpretes Ciceronis, hunc ad ranas tempestatis prænuntias respexisse,

Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

quemadmodum in Epist. ad Att. XV, 16, et in ipsis libris de Divinatione, I, 9, haud multo post fragmentum nostrum. Grotius in veteri codice invenit: « Rava fulix ». Ravus color est ἐπιξουθὸς Arato. Forsitan apud Aratum pro ἐπὶ ξηρὴν δτ' ἐρωδιὸς Cicero legit ἐπιξουθὸς δτ' ἐρωδιός. Avienus habet *Parva fulix*, quod itidem in *Rava fulix* mutandum esset, si Grotii conjecturam recipere volumus. Cf. Buhlii not. ad Arat. Dios. vs. 181, vol. I. — *Ravæ*, juxta Pearcium, sunt raucæ et parum liquidas voces habentes, unde apud Ciceronem, l. l. infra dicuntur *ravæ ranunculæ*, quia ut vs. 3 legitur « absurdo sono fontes cient ». Similiter in Academ. IV, 33 olim legebatur, testante Nonio, *ravum mare*. Vid. etiam Horat. Carm. III, 27, 3. Heinsius ad Ovid. Art. Am. II, 659: « Si pæta est, Veneri similis; si flava, Minervæ ». E codicum vestigiis ingeniose emendat: « Si qua straba est, Veneri similis; si rava, Minervæ ». Et Minervam quia cæsios habebat oculos ravam dictam innuit. *Ravum lumen* Græcis χαροπὸν ὄμμα. Unde etiam melius hic de colore fulicis, quam ullo alio sensu capiendam hanc vocem puto. Ed.

VII. Cicero, de Divinat. I, 8, 9.

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ,
Quum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, et assiduas jacit ore querelas,
Quum primum gelidos rores Aurora remittit.
Fuscaque nonnunquam cursans per litora cornix
Demersit caput et fluctum cervice recepit.

1-3. Tres hi versus apud Olivetum alio ordine post v. 8: « Demersit caput, etc. » abeunt. Cur hanc lectionem deseruerit Buhl. vix adsequor, nec ille explicat. Ed.

5. *Et matutinis acredula vocibus instat.* De voce *acredula* conf. Grotium ad hunc locum, et Buhlii not. ad Arati Diosem. vs. 216, vol. I. Ed.

VIII. Cic. ibid. I, 9.

Mollipedesque boves spectantes lumina cæli

Naribus humiferum duxere ex aere succum.

IX. Cicero, de Divinat. I, 9. Conf. Plin. Hist. Nat. XVIII, 25.

Jam vero semper viridis semperque gravata
Lentiscus triplici solita grandescere fetu,
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.

3. *Ter fruges fundens tria tempora monstrans arandi.* Inanis est Joannis Harduini suspicio (Emend. ad Plin. XVIII, 2, 28) pro qua rescribit *ter flores fundens*; nam recepta lectio a cunctis Ciceronis et Plinii præstatur exemplaribns: quin et Theophrastus, Aratus ac Geoponicorum scriptor hac iu re καρπὸν et καρποὺς adhibent. Ed.

GERMANICI CÆSARIS

ARATEA PHÆNOMENA.

Ab Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis, genitor, tu maximus auctor;
Te veneror, tibi sacra fero, doctique laboris
Primitias. Probat ipse Deum rectorque satorque.
Quantum etenim possent anni certissima signa,
Qua Sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit,
Diversasque secat metas gelidi Capricorni;
Quave Aries et Libra æquant divortia lucis;
Si non parta quies, te præside, puppibus æquor,
Cultorique daret terras, procul arva silerent.

1. *Ab Jove principium*, etc. Maluit Grotius sic distinguere: « Ab Jove principium magno deduxit Aratus; Carminis at nobis, genitor, tu maximus auctor ». Verum interpunctio vulgata melior est, et in *auctor* subintelligendum *carminis* ex antecedentibus. *Genitorem* haud dubie innuit Germanicus Augustum, quamvis improprie se hujus filium adpellet, quum esset hic avus, ille nepos per adoptionem; erat enim ille Drusi Claudii, qui Augusti privignus erat, filius; postea a Tiberio patruo adoptatus, Augusto Tiberium adoptante, factus est Augusti nepos. Adloquutus est Germanicus infra quoque Augustum, ut v. 16: « Pax tua, tuque adsis nato, numenque secundes »; vs. 558: « Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen Adtonitas inter gentes, patriamque paventem, In cælum tulit, et maternis reddidit astris ». Ad se ipsum respexit cum adulatione Augusti infra vs. 185: « ... prodest majestas sæpe parentis ». Cf. Manil. Astron. I, 7 sq.

5-10. *Quantum etenim possent*. Cf. Avien. v. 55 sq. « Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes? » Ab utroque poeta, Germanico et Avieno, Astronomia ex solstitiis et æquinoctiis describitur; desumpsit tamen Avienus hæc, Arato intacta, ex Germanico. Restitui cum Grotio *possent* pro vulgato *possint*; nam

Nunc vacat audaces in cælum tollere vultus,
Sideraque et varios cæli cognoscere motus;
Navita quid caveat; quid scitus vitet arator;
Quando ratem ventis, aut credat semina terris.
Hæc ego dum Latiis conor prædicere Musis,
Pax tua, tuque adsis nato, numenque secundes.
Cætera, quæ toto fulgent vaga sidera mundo,
Indefessa trahit proprio cum pondere cælum.
Axis at immotus semper vestigia servat,
Libratasque tenet terras, et cardine firmo
Orbem agit. Extremum geminus determinat axem,
Quem Graii dixere polum; pars mersa sub undas

interrogative hæc et sequentis accipienda sunt. Ex vulgata lectione: « Quantum etenim possint anni certissima signa, etc. » nullus exit idoneus sensus. Jam sensus totius loci est hic: Quid juvaret solstitiorum et æquinoctiorum cognitio, nisi pax, te auctore data, concederet nautis mare et terram colonis tuto usurpandam? sane arva squalerent; hoc enim est *silere* poetis. Conjunxit Germanicus nautas et colonos, quorum usibus maxime inservit Astronomia. Pro *arva* MS habet *arma*, male.

11. *Nunc vacat.* Ita MS. Pessime vulgo: « Nunc vocat, audaces in cælum tollere vultus ». Imitatus est Avienus vs. 73: « Jam placet in superum visus sustollere cælum ».

13. *Quid scitus vitet arator*, ex MS dedit Grotius. Edd. antiq. *quid vitet doctus arator.*

15. *Hæc ego dum*, etc. Vulgo: « Hæc ego tum lætis cogor prædicere Musis ». MS *latis* pro *lætis*; hinc Grotius *Latiis* legendum censuit, quod equidem in textum recepi, uti alteram ejusdem emendationem *conor* pro *cogor*, qua nihil verius. In versu sequenti pro *numenque secundes* conjici potest *carmenque secundes*. Verum *numen* est hoc loco spiritus poeticus (*la verve*).

17. *Cætera, quæ toto fulgent*, etc. Similiter Cicero: « Cætera labuntur tacito cælestia motu ». Argutatus est Grotius, Ciceronem melius rem expressisse observans, quum *axis* sit inter *cælestia*, non inter *sidera.*

19. *Axis at immotus.* Edd. antiq. *Axis stat immotus*, male. Correxit jam Morellius.

20. *Libratasque tenet.* Manilius, Astron. I, vs. 287: « Libratumque gerit diverso cardine mundum ».

21. *Orbem agit*, etc. Ita recte distinxit Grotius. Vulgo: « Orbem agit extremum. Geminus determinat axem ». Conf. Buhl. not. ad Arat. Phæn. vs. 23, vol. I, pag. 382. In nonnullis edd. antiq. male *geminis.*

22. *Pars mersa sub undas.* MS *quo mersa*, perperam; sequitur enim: « pars celsa sub horrifero Aquilone ». *Partem poli*, recte mo-

Oceani, pars celsa sub horrifero Aquilone.

ARCTI.

Axem Cretææ dextra lævaque tuentur
Sive Arcti, seu Romani cognominis Ursæ,
Plaustrave, quæ facies stellarum est proxima vero:
Tres temone, rotisque micant sublime quaternæ;
Si melius, dixisse feras, obversa refulgent
Ora feris; caput alterius super horrida terga
Alterius lucet; pronas rapit orbis in ipsos
Declives humeros. Veteri si gratia famæ,
Cressia vos tellus aluit, moderator Olympi
Donavit cælo: meritum custodia fecit,
Quod fidæ comites prima incunabula magni
Foverunt Jovis, adtonitæ quum furta parentis
Ærea pulsantes mendaci cymbala dextra,

nuit Grotius, dixisse Germaoicum pro altero polo, ut et Avienus vs. 93: « Oceano pars Sublime erigitur; subit altera mersa sub undas Pars Erebum ». Neque aliter Cicero in Arateis, vs. 242, dixit *tertia pars lateris* pro tertio latere. Est species aliquatenus pars generis, et polus arcticus et antarticus sub polo omnino comprehenduntor, ut primum, secuodum, tertium latus sub latere omoino. Pro *polum* edd. habeut nonnullæ græcam terminationem *polon*, ut et io sequentibus *Arctoe* pro *Arcti*. Equidem semper latinam terminationem restitui, quod semel aoimadvertisse sufficist.

24, 25. Hos duos versus imitatus est Avien. 103: « Fabula namque Ursas, species dat Plaustra videri ».

26. *Plaustrave, quæ facies*, etc. Edd. « Plaostruove, et facies stellarum est proxima vero ». MS « Plaustra, quæque facies stellarum proxima vero » invito metro. Uti nos dedimus, corrèxit Grotius. Cf. Avienus h. l.

27. *Tres temone, rotisque micant*, etc. Non bene vulgo distioguitur: « Tres temone rotisque micaot, sublime quaternæ ».

29. *Caput alterius*. MS *ulterius*, male.

30. *Pronas rapit orbis*, etc. MS *axis* pro *orbis*, et *declines* pro *declives*, non male. Occurrit quoque infra v. 61 io Msto: *serpentis decline caput* pro *declive caput* in vulgatis.

31. *Veteri si gratia famæ*, ex emendatione Grotii. Arat. Phæn. vs. 30, εἰ ἐτεὸν δή. Edd. aotiq. « Veteris si gratia formæ », nullo sensu. MS « Veteris si gratia famæ ».

33. *Donavit cælo*. MS *Donabit*, vitiose.

34, 35. *Quod fidæ comites prima incunabula magni Foverunt Jovis*. Sic emendavit Schraderus, et legi

Vagitus pueri patrias ne tangeret aures,
Dictæi exercent dominæ famuli Corybantes.
Hinc Jovis altrices Helice Cynosuraque fulgent.
Dat Graiis Helice cursum majoribus astris,
Phœnicas Cynosura regit; sed candida tota
Et liquido splendore Helice nitet; haud prius ulla,
Quum sol Oceano fulgentia condidit ora,
Stella micat cælo, septem quam Cressia flammis.
Certior est Cynosura tamen sulcantibus æquor:
Quippe brevis totam fido se cardine vertit,
Sidoniamque ratem numquam spectata fefellit.

DRACO.

Has inter medias, abrupti fluminis instar,
Immanis serpens sinuosa volumina versat
Hinc atque hinc, superatque illas mirabile monstrum.

Foverunt etiam in codice quodam Msto, testatus est Petrus Scriverius. Vulgo: « Viderunt Jovis ». Ed. Ald. habet: « Quod fidei comites prima incunabula magni Fuderunt Jovis adtonitæ, quum furta parentis ». In cod. MS Grotii, v. 35, male deerat. Grotius vulgatam lectionem retinuit. Cf. Buhl. not. ad Arat. Phæn. vs. 33, p. 384.

38. *Dictæi exercent dominæ famuli Corybantes.* Versus est corruptissimus. Veræ lectioni proxime forsitan accedit Aldina: « Dicta exercere dominæ »; nam levissima mutatione legi potest: « Dicta exercerent », et sensus evadit sanus. Mutarunt editores seriores lectionem Aldinam in *Dictæi exercent* vel *Dictæi exercerent* (non ut in notis Grotii operarum peccato impressum est: *Dictæi existent*). MS Grotii: « Dictæi texere Datis ». Hinc Grotius exsculpsit lectionem: « Dictæi texere Atydis famuli Corybantes »; notum enim omnibus, Corybantes Atydis et Deorum Matris ministros fuisse.

40. *Dat Graiis Helice cursum.* Vulgo *cursus*, minus bene.

44. *Septem quam Cressia flammis.* MS *qua*, male.

48. *Abrupti fluminis instar.* Edd. antiq. *luminis instar*, male. Arat. Phæn. v. 45, οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥώξ, quod egregie expressit Germanicus. Minus apte Cicero: « rapido cum gurgite flumen ». Avienus vs. 139: « Ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu ». Conf. Virgil. Georg. I, 245; Manil. Astron. I, 311 sq.

49. *Volumina versat.* Ita MS. Vulgo *volumina torquet.*

50. *Superatque illas mirabile monstrum.* MS *supra.* Forsitan Germanicus scripsit *supera*, ut Cicero

Cauda Helicen supra tendit, redit ad Cynosuram
Squamınigero lapsu; qua desinit ultima cauda,
Hac caput est Helices; flexu comprenditur alto
Serpentis Cynosura; ille explicat amplius orbes,
Sublatusque retro majorem respicit Arctum.
Ardent ingentes oculi, cava tempora claris
Ornantur flammis, mento sedet unicus ignis.
Tempus dexterius qua signat stella Draconis,
Quaque sedet mento, lucet novissima cauda;
Extremum qua Helices sidus micat, hac radiatur
Serpentis declive caput; qua proxima signa
Occasus ortusque, uno tanguntur ab orbe
Oceani tumidis ignotæ fluctibus Arcti,
Semper inocciduis servantes ignibus axem.

solet. Arat. Phæn. vs. 46, μέγα θαῦμα, Δράκων.

51. *Cauda Helicen supra tendit*, etc. Vulgo: « Cauda Helicen superat, tendit simul ad Cynosuram ».

52. *Qua desinit ultima cauda.* MS *qua*, perperam.

53. *Hac caput est Helices... ille explicat amplius orbes.* Sic restituit e Msto et distinxit Grotius. Arat. Phæn. vs. 95: Σπείρῃ δ' ἐν Κυνοσουρᾷ κάρη ἔχει. Conf. not. ad h. l. vol. I Buhl. p. 386.

58. *Tempus dexterius qua signat*, etc. Vulgo « dexterius quæ ». MS Grot. *dexterique.* Vs. 59 vulgatæ edd. habent: « Quæque sedet mento, lucet novissima cauda ». Reposui ex MS *Quaque*; in reliquis vulgatam lectionem servavi. Grotius malebat: « Quaque sedet mentum, luxere novissima caudæ ».—Et sic quidem vitio metri mederi tentabat, unde ego reponere vellem *notissima cauda*, minima mutatione. Ed.

61. Pro *qua proxima signa* edd. vulg. *quæ proxima signa*, et MS *utque proxima signa.* Conf. Arat. Phænom. vs. 58. « Est hæc altera capitis serpentis descriptio, ex Arctico circulo. Sed non videtur Germanicus Arati mentem recte cepisse; nisi dicamus, Ursas pro Arctico circulo describi, et inde proxima signa occasus ortusque dici, quemadmodum multi apud Homerum, qui solas Arctos ait immunes Oceani, Circulum intelligunt. Nam quæcumque in Arctico sunt circulo numquam occidunt; est enim μέγιστος τῶν ἀειφανῶν. » Grotius.

62. *Qua proxima signa Occasus ortusque uno tanguntur ab orbe.* Rescripsi cum Grotio *ab orbe* pro vulgato *ab ore.* Nam quid hoc est: Serpentis os ibi est, ubi Ursæ ab ore tanguntur?

64. *Arcti Semper inocciduis servantes ignibus axem.* Vulgo *in occiduis*, male.

ENGONASIN.

Haud procul Effigies inde est defecta labore,
Non illi nomen, non magni caussa laboris:
Dextro namque genu Nixus, diversaque tendens
Brachia, suppliciter pansis ad numina palmis,
Serpentis capiti figit vestigia scæva.

CORONA.

Claro Ariadnes qua sacrata est igne Corona,

65. *Haud procul Effigies inde est defecta labore.* Versus hic et quatuor sequentes de Nixo desiderantur in Msto Grotii, in quo etiam ordine perturbato Draconem sequitur Arctophylax, Arctophylacem Corona, Coronam Ophiuchus, Ophiuchum Virgo. Pro *Effigies inde* ed. Ald. habet corrupte *Efficiens unde.* Effigies Arato Phæn. vs. 64 dicitur Εἴδωλον.

66. *Non illi nomen.* Ed. Ald. *Non illi Numen*, male. Aratus l. l. τὸ μὲν οὔ τις ἐπίσταται ἀμφαδὸν εἰπεῖν.

69. *Serpentis capiti figit vestigia scæva.* Ita e Msto restituit Scriverius. Vulgo *sæva.* Grotius ad h. l. Scripsit Germanicus *læva;* sed quia critici prioris sæculi Aratum viderunt pedem dextrum exprimere, quem sequitur Avienus, locum hunc mutaverunt. Debuerant saltem Hyginum consulere, qui disertis verbis ait, lævo pede caput Draconis opprimi; debuerant ipsum situm consulere, qui satis indicat, Nixum dextro pede, sinistro capiti Draconis instare. Ipse scholiastes fatetur, *lævum* poni debuisse, sed ait, ut Aratum excuset, τὸ δεξιτεροῦ ad Δράκοντος referendum, ut sit δεξιτεροῦ Δράκοντος pro βορειοτέρου. Sed non persuadet. Notæ nobis nugæ scholiastarum, qui numquam fateri volunt, auctorem suum errasse, h. e. hominem esse. Itaque sententias ejus mordicus retinent, neque umquam patiuntur, veritatem auctoritati præferri. Sed ipse Germanicus nonne satis cavet, hæc de dextro intelligi, quum præjunxit: «Dextro namque genu Nixus». Constat enim, alterum esse pedem, quo nititur, quam quo verticem Serpentis premit. Itaque restituenda hic Germanici lectio vetus et vera, etiamsi contra Arati mentem, a quo discedere Germanico non tam stricta religio. Conf. not. ad Arat. Phæn. vs. 69, vol. I Buhl. pag. 391.

70. *Claro Ariadnes qua sacrata est igne Corona.* Sic MS Grot. Vulgo: «Clara Ariadneæ propius stant signa Coronæ». Manil. Astron. V, 251: «tollentur ab undis Clara Ariadneæ quondam monimenta Coronæ». Conf. not. ad Arat. Phæn. vs. 71, vol. I Buhl. p. 391. Malebat tamen Grotius apud Germanicum legere: «Clara Ariadneæ qua stant sacra signa Coronæ»; sed sequutus sum equidem lectionem Msti, etiam a Scriverio in codice suo repertam.

(Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem)

OPHIUCHUS.

Terga nitent stellis; at qua se vertice tollit,
Succiduis genibus lassum et miserabile sidus,
Hac Ophiuchus erit: longe caput ante notabis,
Et vastos humeros; tum cætera membra sequuntur.
Illis languet honos; humeris manet integer ardor.

ANGUIS.

Luna etiam pleno mensem quum dividit orbe,
Lux tenuis manibus, per quas elabitur Anguis
Pressus utraque manu, medium cingens Ophiuchum.

71, 72. *Terga nitent stellis..... Succiduis genibus lassum et miserabile sidus.* Aldus hos versus ad Coronam retulerat et scripserat: « Terga nitet stellis, a quo se vertice tollit Succiduis genibus lapsum et miserabile ** ». Eamdem lectionem tuetur edit. Basileensis. Adparet, in versu altero vocem ultimam deficere. Cujus loco edd. posteriores, ut Morelliana et Sanctandreana, habent *monstrum.* Egregios vero homines, inquit Grotius, qui quod deest in auctoribus, suopte ingenio supplent et pro genuinis venditant! Et quænam ratio est, cur *Engonasin* vocetur *monstrum?* Vera itaque Msti lectio, quam exhibui. Conjungenda hæc sunt cum superioribus, ubi Germanicus de Nixo loquutus est. Vid. Arat. Phæn. v. 73. Prætulit Grotius *genibus lapsum* lectioni nostræ *genibus lassam;* respondet autem *lassum* melius κεκμηκότος Εἰδώλοιο. Nec dici potest, Nixum lapsum esse.

74. *Hac Ophiuchus erit*, etc. Vulgo: « Hic Ophiuchus erit, longe caput ante nitendo ». Correxit Grotius. Pro *Hic* reponendum erat *Hac*, scil. parte; respicit enim ad antecedens: *qua se vertice tollit.* Pro *nitendo* MS Grot. *notabilis*, quod tamen versus non admittit. Legendum utique *notabis.* Arat. Phænom. vs. 76, ἐπιφράσσαιο.

76. *Illis languet honos*, etc. ex emendatione Grotii, Mstum sequuti. Vulgo: « Illis languet honor humeris, manus integer ardor », male. In nostra lect. in *Illis* subintelligendum ex superioribus est *membris.*

77. *Luna etiam pleno mensem quum dividit orbe.* Ita MS, præterquam quod in hoc *mense* legitur. Vulgo vocibus transpositis: « Luna etiam mensem quum pleno dividit orbe ». — Non videtur hic Germanicus sensum Arati cepisse. Vult nempe dicere tanto lumine stellas in Ophiuchi humeris ardere, ut ne plenilunii quidem fulgore obscurentur; non, ut facit Noster, tempus plenilunii designare, quo manus minus fulgeant. Melior interpres Avien. Phæn. 229: « tantos hume-

SCORPIUS.

Scorpius ima pedum tangit, sed planta sinistra
In tergo residet, vestigia dextera pendent.
Est impar manibus pondus; nam dextera parvam
Partem Anguis retinet; per lævam adtollitur omnis;
Quantumque a læva distantia Serta notantur,
Erigitur tantum Serpens, atque ultima mento
Stella sub ætherea fulget crinita corona.
At qua se dorso sinuabit lubricus Anguis,
Insigni cælum perfundunt lumine Chelæ.

ARCTOPHYLAX.

Ipsam Heliceen sequitur senior, baculoque minatus,
Sive ille Arctophylax, seu Bacchi ob munera cæsus
Icarus, ereptam pensavit sidere vitam.
Non illi obscurum caput est, non tristia membra,
Sed proprio tamen una micat sub nomine flamma,
Arcturum dixere, sinus qua vincula nodant.

ris vibrantibus ignes Evomit, ... Nequaquam lentis obscurior ex humeris lux Marceat ». Ed.

82. *Est impar*, etc. Deest versus in MS Grotii.

83. *Per lævam*. MS *per lævum*.

84. *A læva distantia*. MS *ad lævam distant ea*.

86. *Fulget crinita corona*. Ita MS recte. Vulgo *lucet*. Vitiose in MS exaratum *crinnta*.

87. *At qua se dorso sinuabit lubricus Anguis*. Sic bene rescripsit Grotius ex Msto. Vulgo : « Ad quam si dorso pervadit lubricus Anguis ». *Ad* pro *At* habet etiam MS, perperam.

88. *Insigni cælum*, etc. Vulgo *Insignes*. Sed melior Msti lectio. Cf. Arat. Phæn. v. 89. *Insigni* hic nova significatione sumitur pro ἀστήμῳ. Nam Chelæ sunt teste Arato φαέων ἐπιδευέες.

89. *Ipsam Helicen sequitur senior, baculoque minatus*. Ita MS. Vulgo *Inde Helicen*. Pro *baculo* MS male habet *jaculo*. Baculus est ὁ καλαύροψ. Pro *minatus* ed. Ald. *minatur*.

90. *Sive ille Arctophylax*, etc. Sic utique cum Grotio legendum. Vulgo corruptissime : « Se velle Arctophylax, brachiorum munera cæcus Icarus ereptam pensavit munere ripam ». Ait Germanicus cæsum ob Bacchi munera Icarum ; ita enim adpellat Tibull. Eleg. IV, 1, 9 : « cunctis Bacchi jucundior hospes Icarus, ut puro testantur sidera cælo ». Græci plerumque *Icarium* nominant.

VIRGO.

Virginis inde subest facies, cui plena sinistra
Fulget spica manu, maturisque ardet aristis.
Quam te, Diva, vocem? Tangunt mortalia si te
Carmina, nec surdam præbes venerantibus aurem,
Exosa heu! mortale genus, medio mihi cursu
Stabunt quadrupedes, et flexis lætus habenis
Teque tuumque canam terris venerabile numen.
Aurea pacati regeres quum sæcula mundi
Justitia, inviolata malis, placidissima virgo,
Seu genus Astræi fueris, quem fama parentem
Tradidit astrorum, seu vera intercidit ævo
Ortus fama tui, mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata subire
Tecta hominum et puros sine crimine, Diva, Penates,
Jura dabas, cultuque novo rude vulgus in omnes
Formabas vitæ sinceros artibus usus.

95. *Virginis inde.* Restituit hunc versum in edd. vulg. omissum Grotius ex Msto. Deest in hoc versus sequens. Uterque tamen est necessarius.

97. *Quam te, Diva, vocem?* etc. Male vulgo: « Quam te Diva vocant, tangunt, etc. » Conf. Avien. vs. 273 seq.

99. *Medio mihi cursu.* MS *curru*, male.

102. *Aurea pacati regeres.* MS *regeret*, male.

104, 105. *Seu genus Astræi fueris*, etc. Ita optime locum constituit Morellius, quidquid dixerit Grotius. Edit. Ald. habet : « Sive illi astra genus fuerit, quem fama parentem Tradidit astrorum, se vero intercipit ævo ». MS Grotii : « sive illa Astræi genus est ». Male quidem, sed ad veritatem propius. Grotius legendum censuit : « sive illa Astræi genus es », hoc est, « sive tu illa es Astræa, Astræi filia ». Durissime, ut quivis sentiet. Recepi itaque lectionem Morellianam in textum; mutavi autem e Msto Grotii, vs. 105, *vero*, uti olim legebatur, in *vera*, scil. fama.

107. *Nec dedignata subire.* Edit. Ald. *designata*. MS *subiret*. Utraque lectio vitiosa.

108. *Et puros sine crimine, Diva, Penates*, ex Msto Grotii. Vulgo male: « et puros mores sine crimine, Diva ».

109, 110. *Rude vulgus in omnes*, etc. Iterum ex Msto. Vulgo: « in omnem Formabas vitæ sinceris artibus usum ». Adprobavit Grotius Msti lectionem; malebat tantum

Nondum vesanos rabies nudaverat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota;
Ignotique maris cursus, privataque tellus
Grata satis; neque per dubios avidissima ventos
Spes procul amotas fabricata nave petebat
Divitias; fructusque dabat placata colono
Sponte sua tellus; nec parvi terminus agri
Præstabat dominis signo tutissima rura.
At postquam argenti crevit deformior ætas,
Rarius invisit maculatas fraudibus urbes,
Seraque ab excelsis descendens montibus, ore
Velato, tristique genas abscondita vitta,
Nulliusque larem, nullos adit illa Penates.
Tantum quum trepidum vulgus cœtusque vocavit,
Increpat : «O patrum soboles oblita priorum,

sinceris pro *sinceros*, in quo tamen ei non adstipulor.

112. *Discordia nota*. Aliæ edd. *discordia nata*. Nostram lectionem tuetur quoque Lactantius, Institt. de Justit. V, 5. Arat. Phænom. v. 108: Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο.

114, 115. Ordo verborum est: Neque avidissima spes per dubios ventos petebat fabricata nave divitias procul amotas. Ed. Ald. *petebant* pro *petebat*.

117. *Terminus agri*. Avien. v. 309: « Nullus tellori limes datus, indice nullo Culta secabantur, neque jam discretio campum Metiri in dominos monstraverat ». Cicero, cujus versus servavit Lactantius l. l. « Ne signare quidem, aut partiri limite campum Fas erat, in medium quærebant ». Arbitratur itaque Grotius, excidisse in græco textu Arati unum versum, aut potius διακρίσιος apud Aratum Latinos interpretatos esse non *disceptationem*, sed discretionem, ut nominat Avienus, aut ut jurisconsulti loquuntur, *communi dividundo judicium*. Conf. not. ad Arat. Phæn. vs. 112, vol. I Buhl. p. 395.

118. *Præstabat dominis*. MS Grot. *dominus*, male.

122. *Tristique genas abscondita vitta*, ex emendatione Grotii. Vulgo: « tristisque genas abscondita ripa ». MS Grot. *tristesque*. Versus utique erat corruptus. Acute Grotius animadvertit. Supra v. 91 habuimus in vulgatis *pensavit munere ripam* pro *pensavit sidere vitam*. Ut ibi *ripam* pro *vitam* positum, ita hic *ripa* pro *vitta*, inter quæ literæ tantum repetitæ est differentia.

123. *Nulliusque larem*. MS *Nullius larem*. Idem quoque male in sequenti versu *cœtus notavit* pro vulgato *cœtusque notavit*.

Degeneres semper semperque habitura nepotes,
Quid me, cujus abit usus, per vota precatis?
Quærenda est sedes nobis nova; sæcula vestra
Artibus indomitis tradam scelerique cruento ».
Hæc effata, super montes abit alite cursu,
Adtonitos linquens populos graviora paventes.
Ærea sed postquam proles terris data, nec jam
Semina virtutis vitiis demersa resistunt;
Ferrique invento mens est lætata metallo;
Polluit et taurus mensas adsuetus aratro;
Deseruit propere terras justissima Virgo,
Et cæli sortita locum, qua proximus illi
Tardus in occasu sequitur sua plaustra Bootes.

126. *Degeneres semper semperque habitura nepotes*, ex Msto. Male vulgo: « Degeneres quæ habuit semperque habitura minores ». Conf. Arat. Phæn. vs. 123, 124, quem etiam expressit Horat. Od. II, 7, 46 sq. « Ætas parentum pejor avis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem ». In versu antecedenti 125 ed. Ald. vitiose habet *Increpito partum* pro *Increpat*, *O patrum*. — *Degeneres*. Sic Avien. 329: « Degener in vobis animus ». Ed.

127. *Quid me cujus abit*, etc. Sic legendum est auctoritate MS Grotii. Corrupte vulgo: « Quid me nunc habitus super et mala vota vocatis? » Pro *precatis* Grotio adrisit *procatis*, i. e. poscitis. Festus: « *Procat* dicebant prò *poscit* ». Sensus eodem redit, et dubito, an non Germanicus sibi permiserit usum verbi *precare* pro *precari*, forma activa, necessitate metrica adactus.

129. *Artibus indomitis tradam*. Male edit. Ald. *tradant*. Morell. Sanctandr. *trudent*. — Buhl. male *student*.

130. *Super montes abit*. Deest *abit* in Msto. Ed. Ald. vitiose *super monitus abit*.

133. *Vitiis demersa resistunt*. MS Grotii *dimensa*, perperam. In vulgatis edd. præterquam in Grotiana, sequebatur versus hic: « Quisque priora tenet vestigia, quisque secunda », qui quum male esset repetitus ex vs. 142 infra, atque etiam in Msto non legeretur, recte a Grotio deletus est.

136. *Deseruit propere terras justissima Virgo*. MS *proprie*, male. Citat hunc versum Lactant. Institt. V, 5.

137. *Et cæli sortita locum*. Grotius: « Si mihi persuadere possim, Germanicum voce paullo antiquiore usum, non dubitarem hic legere: *Em cæli sortita locum*. Festus: *Em pro Eum ab eo quod est Is*. Sensus tale quid postulat et forte hoc ipsum ». Potest tamen etiam in *sortita* facile *est* suppleri; tum docta Grotii emendatione non erit opus.

138. *Tardus in occasum*, etc. MS *in occasu*. Homer. Odyss. V, 272:

Virginis at placidæ præstanti lumine signat
Stella humeros; Helicen ignis non clarior ambit:
Quique micat cauda, quique armum fulget ad ipsum,
Quique priora tenet vestigia, quique secunda
Clunibus hirsutis, et qui sua sidera reddit;
Namque alii quibus expletum cervixque caputque,
Vatibus ignoti priscis sine honore feruntur.

GEMINI.

Qua media est Helice, subjectum respice Cancrum;
At capiti suberunt Gemini.

LEO.

Qua posterior pes,

ἰσορῶντι καὶ ὀψὶ δύοντα Βοώτην. Cf. Iliad. XVIII, vs. 486. Catullus in Coma Berenices, LXVI, 65: « Virginis et sævi contingens namque Leonis Lumina Calystoi juncta Lycaoniæ, Vertor in occasum tardum dux ante Booten, Qui vix sero alto mergitur Oceano ».

139. *Præstanti lumine.* MS *præstantis*, male.

140. *Helicen ignis.* Non bene vulgo: *Helicenque ignis.*

141. Quinque hi versus in Msto Grotii αὐτογράφῳ desunt; sed in ea descriptione, quæ litera recentiori facta est, deest versus 142, legiturque perperam vs. 141 bis *quidque* pro *quique*; vs. 143 *qua* male pro *qui*; vs. 145 *ignoti* bene pro *ignotæ* aut *ignotis*. Non intellexit autem Aratum Germanicus; ille tres tantum stellas refert, hic quinque. Vid. Arat. Phæn. vs. 143. Recte hos versus interpretatus est Avien. 371: « Qua sunt prima feræ vestigia, prominet ignis; Altera qua pedibus, etc. » Conf. Schaubach. V. C. in not. ad Eratosthenis Catasterism. p. 84. In versu 143 vix sanum est: « et qui sua sidera reddit ». Forsitan legendum: « et qui sua lumina reddit ».

144, 145. *Namque alii... Vatibus ignoti priscis.* Ita legendum. Præcessit: « ignis non clarior ambit, Quique micat cauda, etc. » Possit tamen etiam vulgata lectio: « Namque aliæ... Vatibus ignotæ priscis » defendi; subintelligendum enim *stellæ.*

147. *At capiti suberunt Gemini.* Ed. Ald. « Ancipitis suberit Gemini qua posterior pes ». Verba *qua posterior pes* recte ad Leonis descriptionem retulit jam Morellius. Arat. Phæn. vs. 148: Ποσσὶ δ' ὑπ' ἀμφοτέροισι Λέων ὑπὸ καλὰ φαείνει. Visa est, ut Grotius monet, hæc Cancri et Geminorum descriptio nimis arcta librariis et pictoribus; itaque, quod ridiculum est, quædam ex Avieno, vs. 380, deprompta hic inseruerunt hoc pacto: « At capiti suberunt Gemini, prolemque Tonantis Egregiam, et proprio post reddita numina cælo, etc. » Præter

Horrentesque jubas et fulvum cerne Leonem.
Hunc ubi contigerit Phœbi violentior axis,
Accensa in Cancro jam, tum geminabitur æstas.
Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus;
Et densas lætus segetes bene condit arator.
Ne mihi tum remis pulset vada cærula puppis;
Dent potius ventis excusso vela rudente,
Excipiantque sinus Zephyris spirantibus auras.

ERICHTHONIUS.

Est etiam Aurigæ facies, sive Atthide terra
Natus Erichthonius, qui primus sub juga duxit
Quadrupedes, seu Myrtoas demersus in undas

alios errores, a librariis admissos, versus etiam multi, qui in Avieno sunt, desiderantur mutila sententia. Sed de his ad Avienum vid. not.

148. *Horrentesque jubas*. MS *Ora, horrentesque*, male. Error ex similitudine literarum et soni natus.

150. *Jam tum*. Vulgo *jam tunc*.

151. *Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus*. MS *Hinc Nymphæ tenues*, quam lectionem non contemnendam putat Grotius, in quo ei tamen non adsentior.

152. *Et densas lætus segetes bene condit arator*. MS *latus* et *condat*, male.

153. *Ne mihi tunc remis pulset vada cærula puppis*, ex Msto, qui etiam habet *tum*. Male vulgo *vaga cærula*.

154, 155. *Dent potius ventis*, etc. Ita hos versus emendavit Grotius. Vulgo: « Dem potius ventis excluso vela rudente, Excipiamque sinu Zephyris spirantibus auras ». MS Grotii: « Neu potius ventis excusso vela rudente, Excipiantque sinus Zephyris spirantibus auras ». In altero versu malim equidem MS sequi et legere *Excipiantque sinus*, et in priori magis mihi adridet *Dent* pro *Dem*. Nam vs. 153 « Ne mihi tunc remis pulset vada cærula puppis » possit ita intelligi, ut aliis præcipiat poeta, neque tantum de se ipso loquatur, hoc sensu: Ne tunc ulla navis pelago se credere audeat, *mihi* sit expletivum. Utrum legeris, sensus idem manet; quod enim sibi consultum putat poeta, id etiam aliis, et vice versa. Virgil. Æn. III, 267: « excussos jubet laxare rudentes ». Rudentes sunt, quibus antennæ ad malum constringuntur.

156. *Sive Atthide terra*. Restituit e Msto Grotius. Vulgatum *sive inclyta forma* longe abscedit ab hac lectione. Dicitur autem Erichthonius *Atthide terra natus*, quia ibi et Panathenæa instituisse et templum arcemque ædificasse fertur.

157. *Qui primus sub juga duxit*. Vulgo *qui curru*, minus bene. Virg. Georg. III, v. 113: « Primus Erichthonius currus et quatuor ausus Jungere equos ».

Myrtilus; hunc potius species in sidere reddit.
Sic nulli currus, sic ruptis mœstus habenis,
Perfidia Pelopis raptam gemit Hippodamiam.
Ipse ingens transversus abit læva Geminorum,
Majorisque Ursæ contra delabitur ora.
Numina præterea secum trahit; una putatur
Nutrix esse Jovis, si vere Jupiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.
Hanc Auriga humero portans gerit: at manus Hœdos
Ostendit, nautis inimicum sidus, ubi illos
Orbis ab Oceano celsus rapit; haud semel Hœdi
Jactatam videre ratem nautasque paventes,
Sparsaque per sævos morientum corpora fluctus.

159. *In sidere reddit.* Male vulgo *in sidera reddit.*

160. *Sic nulli currus.* Vulgo *Sic nulli cursus*, perperam.

162. *Ipse ingens transversus abit læva Geminorum.* Vulgo *lævam.* Aratum (Phæn. v. 160) ad verbum expressit Germanicus: Αὐτὸν μέν μιν ἅπαντα μέγαν Διδύμων ἐπὶ λαιᾶ Κεκλιμένον δήεις. Quare etiam mutavi *lævam* in *læva* (ἐπὶ λαιᾶ). *Transversus* est κεκλιμένος Arati.

164. *Una putatur.* Lactant. Inst. lib. I de falsa relig. c. 21: « Ipsius autem, inquit, Cretici Jovis sacra quid aliud, quam quomodo sit aut subtractus patri aut nutritus ostendunt? Capella est Amaltheæ Nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem, de qua Germanicus Cæsar in Arateo carmine sic ait: *Illa putatur Nutrix esse Jovis*, etc. » Nostra lectio *una putatur* a Lactantio contextus caussa in *illa putatur* mutata est.

167. *Gratum testatur alumnum.* Ita ex Lactantii loco modo adducto restituendum est. Vulgo *gratum te gestat alumnum.*

168. *Hanc Auriga humero... Hœdos Ostendit.* Sic optime locum constituit Grotius. Vulgo: « Hanc Auriga humero totam gerit ». MS Grotii: « Hanc Auriga humero portans, in manibus Hœdos »; contra metrum, nisi dicas *humeris*, et *immanibus* legendum esse, quod vix probabile est. Ex variis his lectionibus Grotius nostram commiscuit. Poterit etiam vulgata servari, quum sensus sit idem.

169. *Nautis inimicum sidus*, etc. ex Msto. Vulgo male: « nautis inimicum sidus in undis. Orbis ab Oceano celsus rapit »; sine sensu idoneo. Ed. Ald. *ab Oceano*, perperam.

170. *Haud semel Hœdi.* Ms. *ad semel Hœdis.* Edd. aliæ *aut semel Hœdi*, male.

TAURUS.

Aurigæ pedibus trux adjacet ignea Taurus
Cornua fronte gerens, et lucidus ore minaci,
Quemlibet ignarum cæli sua forma docebit,
Et caput, et patulas nares, et cornua Tauri.
Fronte micant Hyades. Quæ cornus flamma sinistri
Summa tenet, subit hæc eadem vestigia dextra
Aurigæ, mediaque ligant compagine binos.
Myrtilus exoritur summo quum fluctibus ore,

174. *Et lucidus ore minaci.* Ita MS. Vulgo *igne minaci*. Arat. Phæn. vs. 157: Πὰρ ποσὶ δ' Ἡνιόχου κεραὸν πεπτηότα Ταῦρον. Interpretatur Germanicus πεπτηότα *minacem*, ut et alii; sed Cic. *inflexo corpore* exponit, quod astrothesiæ convenit. Ed.

175, 176. *Quamlibet ignarum cæli,* etc. ex Msto emendavit Grotius, paullulum tamen ab hujus lectione recedens; MS enim habet *quemlibet*. Vulgo pessime: « Quem Liber ignarum cæli formando docebat; Et caput, et patulas nares, et cornua Tauri ». Sensus est: Forma Tauri, et caput, et nares et cornua etiam astrorum ignarum docere possunt, quia non opus habet aliis astris, a quibus designetur. Conf. Schol. ad Arati Phæn. vs. 167. Avien. v. 441, « Proprio Taurum deprenderis ore ». Nec est quod quis dicat *suum* non nisi cum reciprocatione poni. Contrarium pluribus exemplis ostendit Scaliger ad Manil. Astronom. I, vs. 360, not. p. 49.

177-179. *Fronte micant Hyades,* etc. Sic partim ex Msto Grotius reposuit, partim ex conjectura emendavit. Corrupte vulgo: « Fronte micant Hyades, quæ cornua flamma sinistri Summa tenet, sub hæc eadem vestigia dextra Aurigæ, mediaque ligant compagine Divos »; nullo sensu et contra metrum. Ex Msto Grotius reposuit *cornus* pro *cornua*, laudans locum Martiani Capellæ: « *Quamvis ergo dissimilia sint* senatus *et* exercitus, *tamen sic* genus *et* cornus *in genitivo dicendum est, quemadmodum* senatus *et* exercitus ». In versu 178 retinuit Grotius *hæc* pro *hac*, quod est in Msto. At in vs. 179 ex Msto *ligat* pro *ligant;* ex conjectura dedit *binos*, quam in textum migrare jussi. Possit vulgatum *Divos* retineri, si Jovem et Erichthonium intelligamus. Exit tamen sensus commodior, *binos* si legeris. Sensus est: Una eademque stella tenet apicem cornu sinistri et pedem dextrum Aurigæ. Vid. Arat. Phæn. vs. 174. Avienus vs. 447: « Una pedem Aurigæ dextrum cornuque sinistrum Stella tenet pecoris ».

180. *Myrtilus exoritur summo quum fluctibus ore.* Recte ita in Msto legitur. Vulgo: « Myrtilus exoritur summo cum Piscibus ore », quod falsum est et Arato intactum. Expressit Germanicus hoc versu et proxime sequentibus Arat. Phæn. vs. 176 seq.

Totus cum Tauro lucet; ruit Oceano Bos
Ante, super terras quum fulget Myrtilus orc.

CEPHEUS.

Iasides etiam cælum cum conjuge Cepheus
Adscendit totaque domo; quia Jupiter auctor
Est generis (prodest majestas sæpe parentis).
Ipse brevem patulis manibus stat post Cynosuram
Diducto passu; quantum latus a pede dextro
Cepheos extremam tangit Cynosurida caudam,
Tantumdem ab lævo disterminat; utraque jungit
Regula Cepheos vestigia. Baltheus ambit

CASSIEPEIA.

Qua latus ac flexum sinuosi respicit Anguis,
Cassiepeia virum residet sublimis ad ipsum,
Clara etiam pernox cælo quum Luna refulget,

181. *Totus cum Tauro lucet.* MS *Tutus*, male.

184. *Quia Jupiter auctor.* MS *qua*, male. Arat. Phænom. vs. 181, ἐπεὶ Διὸς ἐγγύθεν ἦσαν.

186. *Ipse brevem.* MS *breve*, perperam.

187. *Diducto passu.* Edd. antiqq. *Diducto passim*, male.

188-192. Dedi hos versus, quemadmodum illi a Grotio emendati et distincti sunt; nam in edd. antiquioribus locus hic legitur corruptissime. Cod. MS Grotii male habet *Tantumque* pro *Tantumdem*. Firmatur autem lectio Grotiana versibus Arat. Phæn. 184 seq. Notandum, Germanicum uno loco ad morem communis Græcorum linguæ Κηφέος dixisse, altero ad morem Ionum Κηφῆος. *Latus* Germanico est στάθμη, *regula, linea*. Ita alibi in descriptione Zodiaci: « In sex signiferum si quis diviserit orbem, Æquales partes succumbet regula binis Inferior signis, spatii tantumque tenebit Una, sui lateris quantum a Tellure recedit ». Duo postremi versus supra exscripti et emendati ad Cassiepeiæ sidus pertinent.

193. *Clara, etiam pernox quum stellas Luna refulsit; Sed brevis.* Sic emendavit Grotius. Vulgo: « Clara etiam pernox cælo quum Luna refulget ». Edit. Ald. vitiose *pernix*. Grotius sequutus est Mstum, qui habet: « Clara etiam nox quum stellas Luna refulsit », mutata ultima voce *refulsit* in *revulsit*. Adparet ex versu hiulco in Msto, librarii errore exaratum esse *nox* pro *pernox*. Vulgata lectio potest defendi. Voluit haud dubie Germanicus, Cassiepeiam etiam plenilunio lucere; nam subjungit adversativam *Sed brevis*. Eumdem sensum vulgata

Sed brevis, et paucis decorata in sidere flammis,
Qualis ferratos subicit clavicula dentes,
Succutit et foribus præducti vincula claustri :
Talis disposita est stellis, ipsa horrida vultu
Sic tendit palmas, ceu sit planctura relictam
Andromedam, meritam non justa piacula matris.

ANDROMEDA.

Nec procul Andromede, totam quam cernere posse

quoque lectio præbet. *Refulgere* h. l. est *überglänzen*, *überschcinen*. Quod Luna plena stellas cælo *revellat*, paullo durius et contortius mihi dictum videtur. Non convenit satis vulgata et Grotiana lectio cum Arato, Phæn. vs. 188. Ad verbum Avienus vs. 460 : « Infortunatam spectabis Cassiepeiam ; Sed nec multa tamen, quum cælum lumine toto Luna replet ». Conf. not. ad Arat. Phæn. vs. 188, vol. I Buhl. pag. 402.

194. *Sed brevis et paucis decorata.* MS *Sed brevis est paucis decorata*, omissa copula, male.

195, 196. *Qualis fer. obicit*, etc. Ita MS. Grotius ad h. l. « Edd. vulgatæ habent : *Quales ferratos subicit clavicula dentes, Succutit, et foribus prœducit vincula claustri.* Unde Scaliger fecit (ad Manil. I, 362, not. p. 48) : *Qualis ferratos ubicis clavicula dentes Succutit et foribus reddacit vincula claustri. Ubicis* pro *obicis* scriptum putans, et *reducit* prima producta Lucretiano more dici. Sed quia Avienus clavi comparat, et hoc ipsum in Arato unius literulæ mutatione potest obtineri, malim ita legi, ut nos posuimus ex Msti fide, aut, si quid mutandum, hoc modo : *Qualis ferratos obici clavicula dentes Succutit, et foribus prœducit vincula claustri.* Nihil enim opus *ubicis* scribere, quum MS non *subicit*, sed *obicit* referat. Et alias quoque *subici* eadem forma, qua *obici*, dici posse videtur, quod verbum Ennio quoque usitatum. Mirandum autem non est, si secunda syllaba in *clavicula* producitur, quæ regulariter corripi debuerat, quum similia verba apud poetas, ut *cuticula* et *canicula* simili modo efferri videamus ». Hactenus Grotius. Vid. not. ad Arat. Phæn. vs. 192, vol. I Buhl. p. 402.

197. *Talis disposita est stellis.* Ita bene MS. Aratus διάκειται. Vulgo : *Talis dispositis stellis.*

198. *Sic tendit.* MS *Si tendit*, perperam.

199. *Andromedam meritam non justa piacula matris*, ex Msto. Vulgo *meritæ*. Utrumque ferri posse, monet Grotius ; hoc, ut dicamus *injusta piacula meritæ matris* ; illud, ut dicamus *immeritam piacula justa matris*. Sed prius est venustius.

200. *Andromede.* MS *Andromedam*, male. — *Totam quam cernere posse..... licet.* Reposuit ex Msto Grotius. Vulgo : *cernere nondum... licet.* Dictum est *posse licet* pro *licet* simpliciter, cujusmodi phrasis sæ-

Obscura sub nocte licet, sic emicat ore,
Sic magnis humeris candet nitor. Hanc media ambit
Ignea substricta fulget qua zonula palla;
Sed pœnæ facies remanet, distractaque pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi.

EQUUS.

Andromedæ capiti sonipes supereminet ales,
Vertice et Andromedæ radiat quæ stella, sub ipsa
Alvo fulget Equi; tres armos et latera æquis
Distinguunt spatiis; capiti tristissima forma,
Et cervix sine honore obscuro lumine sordet.
Spumanti mandit sed qua ferus ore lupato,
Et capiti et longa cervice insignior exit

pius apud seriores poetas Latinos reperitur. Apud Manilium occurrit *potuit generare* pro *generavit*. Conjecit Grotius, pro vulgato *cernere nondum..... licet* posse etiam legi *cernere quamquam ... licet*. Melius tamen lectio Msti, ut vera, retinetur.

201. *Emicat ore*. MS *micat*, male.

202, 203. *Sic magnis humeris candet nitor, hac media ambit Ignea substricta lucet quæ Zonula palla*, emendavit sic Grotius ex Msto. Vulgo : « Sic magnis humeris candens nilet, ac media ambit Ignea substricta fulget qua zonula palla ».

204. *Sed pœnæ facies remanet, distractaque pandit*. Male edd. antiq. *Sed pene*. Pejus adhuc MS *pone*, quamvis vera lectio in hoc se prodat. Pro *distracta* habent editiones *districta*, quod eodem redit.

205. *Ceu duri teneantur robore saxi*. Vulgo *ceu magni*. MS *robora*, male.

206. Deest hic versus a Grotio e Msto restitutus in edd. antiquioribus.

207. *Vertice et Andromedæ radiat quæ stella, sub ipsa Alvo fulget Equi*, ex Msto. Corrupte vulgo : « Andromedæ vero radiat qua stella sub ipsa Alvo fulget Equus ». Edit. Ald. vitiosius *Albo*.

208. *Tres armos et latera æquis Distinguunt spatiis*. Iterum ex Msto. Male vulgo *tres armo, sed latera*, etc.

210. *Ast cervix*. Vulgo *Et cervix*, minus bene.

211. *Spumanti mandit sed qua ferus ore lupato*. MS *seque ferus*, perperam. Imitatus est Germanicus Virgilii versum, Æn. IV, 135 : « Stat sonipes, et frena ferox spumantia mandit ».

212. *Et capiti et longa cervice insignior*. Ita MS, recte. *Capiti* ἀρχαϊκῶς pro *capite*. *Longa* est epitheton ornans *cervicis equinæ*; laudari solent enim Homero quoque

Stella nitens, armis laterique simillima magno.
Nec totam ille tamen formam per singula reddit.
Primo præstat Equum, medio rupta ordine membra
Destituunt visus; rudis inde adsurgit imago.
Gorgonis hic proles in Pierio Helicone,
Vertice quum summo nondum decurreret unda,
Musæos fontes dextri pedis ictibus hausit.
Inde liquor genitus nomen tenet Hippocrenes;
Fontis nomen habet; sed Pegasus æthere summo
Veloces agitat pennas, et sidere gaudet.

ἐριαυχένες ἵπποι. Vid. Arat. Phæn. v. 210. Vulgo : « Et capite et longe cervice insignior ».

213. *Stella nitens, armis*. MS *Stella nitent armi*, male. — *Nitens*, proprium de sideribus. Hilasius de Sole, vs. 4 : « Illustratque nitens lumine cuncta suo ». Asclepiad. de eodem *lucem nitentem* dixit. Ed.

215. *Primo præstat equum*, ex MS. Vulgo *Primo præstat equo*, male. Grotius alias quoque conjecturas propinavit *Primum præstat Equum*, id est, *primæ partes Equum ostendunt*. Possis etiam legere *Primum restat Equi*. In sequentibus pro *rupta*, quod est in Msto, edd. antiq. habent *rapta*, quod non omnino improbandum.

216. *Destituunt visus radios ; hinc surgit imago*, ex emendatione Grotii. Vulgo : « Destituunt, visus radiis hinc adsurgit imago », absque sensu. MS habet : « Destituunt visus, rudis hinc adsurgit imago », non male. *Rude* enim opus Græci vocant ἡμιτελές. Equus autem ἡμιτελὴς, ut et Aratus nominat. Partes illæ Equi, sive stellæ, quæ non sunt, sed ex fabula esse finguntur, dictæ sunt a Veteribus cerni non posse ob oculorum defectum. Ita de septima Pleiade Germanicus v. 258 : « sed carpitur una, Deficiente oculo distinguere corpora parva ». Similiter hic in Equi posterioribus. Utram lectionem retineas, oportet *inde* vel *hinc* interpretari *ab his partibus*, ut apud Plautum et alios *unde* pro *a quo*.

217. *Gorgonis hic proles in Pierio Helicone*. Vulgo *hinc*, male. Rectius *hic* in Msto, in quo tamen ridicule legitur *imperio* pro *in Pierio*.

218. *Decurreret unda*. MS *discurreret*, non bene.

220. *Nomen tenet Hippocrenes*. Vulgo *Hippocrenen*. Sic Plautus : « Nomen Mercurii est mihi ».

221. *Fontis nomen habet*. Ita MS. Vulgo *Fontes nomen habent*, male. Lectio Msti, ait Grotius, forte tolerari possit, si quidem fatemur, ita Veteres recto casu extulisse, præsertim quum et Varro dicat, a *ponte* nominativum *pontis* analogicum magis esse quam *pons*. Sed putat simul idem vir κριτικώτατος, transpositis literis, scriptum fuisse *Pons it nomen habet* pro *id*, ut sæpe *set* pro *sed*, *at* pro *ad* et *contra*, in Msto invenitur.

ARIES.

Inde subest Aries, qui longe maxima currens
Orbe suo spatia ad finem non tardius Ursa
Pervenit, et quando graviore Lycaonis Arctos
Axem actu torquet : tanto pernicior ille
Distantes cornu properat contingere metas.
Clara nec est illi facies, nec sidera possunt,
Officiat si Luna, sua virtute nitere.
Sed quærendus erit zonæ ratione micantis

223-227. *Inde subest Aries... Distantes cursu properat contingere metas.* Egregie restituit integritati hos quinque versus olim depravatissimos Grotius partim ex Msto, partim conjectura ex Arateis ducta. Vulgo : « Inde subest Aries, qui longe maxima torrens Orbis, et ad finem spatiis non tardior oram Pervenit, et quando graviore Lycaonis Arctos Axem vel tutor quem tanto gratior ille Distantes cornu properat contingere metas ». In his aut nullus plane sensus inest, aut dissimilis versuum horum Arati Phænom. v. 225. Avienus, optimus Arati interpres, v. 518 : « Tunc celer ille Aries, longi qui limitis orbe Æthera percurrens, numquam Cynosuridos Ursæ Segnior ab lapsu convertitur ». MS Grot. v. 224 habet *Ursæ* pro *Ursa*, ut dedimus.

225. *Brevior Helicaonis.* Quare Grotius in ipso textu exhibuit *graviore Lycaonis;* sed sequi equidem malim propius Mstum, cujus lectio ipsi quoque Grotio fuit adprobata in nota ad hunc locum, vs. 227; *cornu*, ut MS etiam agnoscit, in *cursu* mutatum est. In cæteris nostra lectio cum Manuscripto consentit. Pro *Hinc Aries* in vulgata edit. Ald. *Hunc Aries*, male.

228. *Clara nec est illi facies.* Ita MS. Vulgo : « Claraque non illi est facies ».

229. *Officiat si Luna, sua virtute nitere.* MS *Efficiat, si Luna sua virtute niteret*, male. Aratus, Phæn. vs. 228 : Αὐτὸς μὲν νωθὴς καὶ ἀνάστερος, οἷα σελήνῃ Σκέψασθαι. Schol. ad h. l. τὸ δὲ, οἷα σελήνῃ, ἀντὶ τοῦ, ὥσπερ ἐν πληθούσῃ σελήνῃ φαινόμενος. Quem sequitur Avienus vs. 523 : « nam quanti luminis astra Esse solent, aciem quibus aurea Luna retundit ». Germanicus autem aliter Aratum intellexit; putavit enim, hunc dicere, Arietem plenilunio tantum lucere non posse; quum Avienus idem in novilunio esse adserat. Itaque οἷα apud Aratum non ut Avienus et Scholiastes pro *quemadmodum*, sed pro *utpote* cepisse videtur. — Possit tamen, ni fallor, huic sensus varietati medela adferri, si legatur : « Officiat ceu Luna », quam lectionem indicare videtur Grotius, qui hic de Ariete, Arateor. Cic. vs. 233 : « Languidus obscurusque tamen, ceu Luna retundat Flammæ aciem ». Ed.

230. *Sed quærendus.* MS *sed quærendum*, male.

Andromedæ; terit hic summi divortia mundi,
Ut Chelæ, candens aut baltheus Orionis.

DELTOTON.

Est etiam propiore Deum cognoscere signo,
Deltoton si quis, donum hoc spectabile Nili,
Divitibus generatum undis, in sede notarit.
Tres illi laterum ductus; æquata duorum
Sunt spatia; unius brevior, sed clarior ignis.
Hunc Aries juxta; medium Deltoton habebit
Inter lanigeri tergum et Cepheida mœstam.

231. Deest hic versus in edit. antiquioribus, restitutus a Grotio. — Situs est, inquit, Aries in media parte cæli, sicut Chelæ, Libra ipsa et sicut Baltheus Orionis. *Summi divortia mundi* intellige eam partem, quæ a polis distat æqualiter. Ed.

232. *Ut Chelæ, candens aut baltheus Orionis.* MS *ut baltheus Orionis.*

233. *Est etiam propiore Deum cognoscere signo.* Grotius ex Msto pro *signo* dedit *motu*, non spreta tamen vulgata lectione. Sed est alia difficultas in voce *Deum* interpretanda. Conjecit Grotius, legendum *propiore d' eum* litera *d* interjecta, ut Plautus aliique *mederga*, *tederga* extulerunt; ipse tamen conjecturæ parum tribuens. Forsitan pro *Deum* rescribendum *Crium*, quod græce Arietem sonat, verum prima hujus vocis syllaba producitur. Itaque necesse est, Deos interpretari stellas, qua ratione Germanicus potuit et supra Aurigam et Taurum Divos dixisse; aut Deum interpretari Arietem, quia erat Neptuni filius, ut in fabulis legimus. Conf. Eratosth. Cataster. c. 19; Hygin. fab. 188, et Schol. Lat. ad nostrum locum.

234. *Donum hoc spectabile Nili.* Intelligit Germanicus Ægypti partem ad mare mediterraneum sitam, per Nilum circumfluentem in figuram similem τοῦ Δ formatam. Conf. Herodot. II, 5. Manilius, IV, pag. 104, ed. Scalig. « Et Libyam Ægyptique latus donataque rura ».

235. *Divitibus generatum undis in sede notarit.* Reposuit Grotius *generatum* e Msto pro *veneratum*, quod est in vulgatis. Idem MS habet *notabit.*

236. *Æquata duorum.* MS *Deorum*, perperam. Manil. I, v. 358: « Succedit iniquo Divisum spatio, quod tertia linea dispar Conspicitur paribus, Deltoton nomine sidus ».

238, 239. *Hunc Aries juxta*, etc. Male vulgo legitur et distinguitur: « Hinc Aries juxta medium Deltoton habebit ». Ita ut divulsus ab hoc versus sequens ad Piscium imaginem referatur. Sensus est: Aries juxta tertium ductum Deltoti; Deltoton vero medium situm est inter Arietem et Andromedam. Versus igitur 238 et 239 jungendi sunt. MS Grotii *Huic Aries*, id quoque.

PISCES.

Hunc ultra gemini Pisces, quorum alter in Austros
Tendit, Threicium Boream petit alter, et audit
Stridentes auras, niveus quas procreat Hæmus.
Non illis liber cursus, sed vincula cauda
Singula utrumque tenent uno coeuntia nodo.
Nodum stella premit Piscis, qui respicit auras
Threicias. Dextram Andromedæ cernetur ad ulnam.

PERSEUS.

Subter utrumque pedem devotæ Virginis ales
Perseos effigies servatæ grata puellæ.
Moles ipsa viri satis est testata parentem;
Tantus ubique micat, tantum occupat ab Jove cæli.
Dextra sublata solium prope Cassiepeiæ
Sublimis fulget; pedibus properare videtur,

male. Ed. Ald. recte habet *Hunc Aries*, quod male Morellius in *Hinc* mutavit.

240. *Hunc ultra gemini Pisces*, etc. Sic recte edd. Ald. et Basill. Iterum Morellius male dedit *Hinc*. *Austros* reposui ex Msto. Vulgo *Austrum*.

242. *Niveus quas procreat Hæmus*. Grotius in textu legit *niveas*, scilic. *stridentes auras*. Sed vulgata quoque lectio *niveus* servari potest, et forsitan melius servatur.

246. *Dextram Andromedæ cernetur ad ulnam*. Sic legendum est. Vulgo *cernuntur*. MS Grot. *cernantur ad illum*, vitiose. Quod autem *dextram* dictum sit, quum *sinistram* diei debuisset, est error ipsius Germanici.

247-249. Hi tres versus in edd. antiquioribus desiderati a Grotio e Msto restituti sunt. *Devota virgo* est Andromeda.

250. *Tantus ubique micat*, ex Msto. Vulgo : *Tantus et ille micat*.

251. *Dextera sublatæ similis prope Cassiepeiam*. Ita MS. Vulgo : « Dextera sublata similis prope Cassiepeiam ». Arat. Phænom. v. 251 : Καί οἱ δεξιτερὴ μὲν ἐπὶ κλισμὸν τετάνυσται Πενθερίου δίφροιο. Conjicit itaque Grotius, apud Germanicum legendum : « Dextra sublata solium prope Cassiepeæ ». Avienus, vs. 575 : « Dextera mœrentis solium prope Cassiepeæ Tenditur ».

252. *Sublimis fulget; pedibus properare videtur*. Male vulgo distinctum : « Sublimis fulget pedibus ; properare videtur ».

253. *Findere plantis*, ex Msto. Vulgo *tangere palmis*. Alatæ fingebantur Persei plantæ. Propertius, Eleg. II, 30, 2 : « Non si Pegaseo vecteris in aera dorso, Non tibi si Persei moverit ala pedem ».

Et velle aligeris purum æthera findere plantis.

PLEIADES.

Poplite sub lævo, Tauri certissima signa
Pleiades suberunt; brevis et locus occupat omnes;
Nec faciles cerni, nisi quod coeuntia plura
Sidera communem ostendunt ex omnibus ignem.
Septem traduntur numero, sed carpitur una,
Deficiente oculo distinguere corpora parva;
Nomina sed cunctis servavit fida vetustas:
Electra, Alcyoneque, Celænoque, Meropeque,
Asterope, et Taygete simul, famosaque Maia,
Cælifero genitæ; si vere sustinet Atlas
Regna Jovis Superosque, atque ipso pondere gaudet.
Lumine non multo Pleias certaverit astris;
Præcipuo sed honore ostendit tempora bina:

254-256. Supplevit tres hosce versns, quibus edd. antiquiores carent, Grotius ex Msto. Pleiades sunt Tauri quidem signo, sed sub Persei poplite.

260. *Nomina sed cunctis servavit fida vetustas*. Bene hæc, inquit Grotius, non tamen ex mente Arati. Videtnr enim Germanicus in aoimo habuisse Phæn. vs. 259.

261-263. *Electra*, *Alcyoneque*, etc. Sic versus hos constituit et ex Msto et ex conjectura Grotius. Vulgo: « Electra, Alcyoneque, Celænoque, Taygeteque, et Sterope, Meropeque simul, formosaque Maia, Cælifero genitæ, si vere sustinet Atlas ». Hæc vulgata lectio ex Avieno desumpta est, ubi tamen recte *famosaque* legitur; nam sequitnr *Prole Deo*. In nostra lectione *Mæa parente* scriptura *Mæa* ex Msto proposita non debet offendere. Quum enim in omnibus ferme vocibns αι diphthongum in *æ* vertant Latini, pauculæ tantum annt voces, in quibus utramque literam servaverunt, ut *Maia*, *Aiax*, quæ cur non ad exemplum reliquarum latina diphthongo scribi possint, nulla est ratio.

263. *Genitæ* retinendum est suadente ipso Grotio, qui tamen in textu, operarum forsitan peccato, *genitas* dedit, uti in MS legitur. Idem MS in eodem versu male habet *si ultro* pro *si vere*. Similis locutio supra vs. 165: « si vere Jupiter infans Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ ».

265. *Lumine non multis Pleias certaverit astris*. Ita legendum. Vulgo: *Lumine non multo*.

266. Male decst hic versus in Msto Grotii, uti quoque duo proximi versus perperam positi sunt

Quum primum agricolam ventus superimminet Auster,
Et quum surgit hiems ponto, fugienda peritis.

LYRA.

Quin etiam Lyra Mercurio dilecta, Deorum
Proli accepta, pro cælo nitet, ante labore
Devictam effigiem, plantaque erecta sinistra
Tempora læva premit torti subjecta Draconis.

CYCNUS.

Contra spectat avem, vel Phœbi qui fuit olim
Cycnus, vel Ledæ thalamis qui illapsus adulter
Furta Jovis falsa volucer sub imagine texit.
Inter defectum sidus Cycnumque nitentem

post illos, qui infra sequuntur: « Plurimulum acceptæ » et « Devictam effigiem ».

267. *Veniens superimminet Auster.* Vulgo: *ventus supereminet Auster.* Pro *Auster* Mstus alieno loco, ut dictum est, *æstas* refert.

268. *Et quum surgit hiems ponto fugienda peritis.* MS *At* pro *Et;* in cæteris cum nostra lectione conspirat. Vulgo: « Et quum surgit hiems portu fugienda peritis ».

269-271. *Quin etiam Lyra*, etc. Desunt tres hi versus in editionibus Grotiana antiquioribus. Leguntur in Msto Grotii corruptissime sic: « Quin etiam Lyra Mercurio dilecta Deorum Plurimulum accepta prolis cælo nitet ante labore Devictam effigiem planta, erectaque dextra ». Quemadmodum equidem hos versus exhibui, emendati sunt a Grotio. Deorum prolem Germanicus vocat Argonautas.

272. *Tempora læva premit torti subjecta Draconis.* Ita MS. Vulgo *Parthi* pro *torti*.

273. *Summa genu submersa tenet, qua se Lyra versat.* Grotius ad h. l. Hic versus huc non pertinet. Et vin' conjecturam audire elegantem? Ponendus hic versus liters una mutata eo in loco, ubi συνανατέλλομενα ταῖς χηλαῖς referuntur, hoc modo: « Nixa genu species flexo redit ardua crure Summa genu submersa tenet, qua se Lyra versat ». Aut si *voluit* cum vulgatis malis, non pugnabo. Sensus est: Engonasi genu illud, quod inclinatum est, lævum scil. oritur; alterum, quod prope Lyram est, adhuc submersum manet. Juvat conjecturam meam, quod eo loco Aratus meminit similiter Lyræ. Vid. Aratus, Phæn. vs. 615.

274-276. *Contra spectat avem*, etc. Hanc lectionem Grotius Msti vestigiis insistens concinnavit. In textu Grotius dedit: « qui fuit olim Cycnus, vel candens thalamis ». MS habet: « qui fuit olim Cycnus Niliedæ thalamis ». Duas fabulas hic Germanicus adtingit, priorem de

Mercurialis habet sedem Lyra; multa videbis
Stellarum vacua in Cycno; multa ignea rursus,
Aut medii fulgoris erunt; penna utraque lata,.
Dexterior juxta regalem Cepheos ulnam,
At læva fugit instantem sibi Pegason ala.

AQUARIUS.

Piscibus interlucet Equi latus, ad caput ejus
Dextra manus latices qua fundit Aquarius exit.
Atque imitata cadunt errantis signa liquoris

CAPRICORNUS.

Quo prior Ægoceros semper properare videtur
Oceano mersus sopitas condere flammas.

olore Phœbi, posteriorem de Ledæ adultero. Priorem neque Hyginus, neque anonymus Scholiastes latinus, neque Avienus tetigerunt. Solus Theon agnovit ad Arati Phæn. vs. 279: Τοῦτον τὸν Ὄρνιν οἱ μὲν λέγουσιν ὄντα Κύκνον καταστερισθῆναι εἰς τιμὴν τοῦ Ἀπόλλωνος, ἅτε μουσικὸν ὄντα.

276-279. Hi versus in vulgatis desunt; supplevit Grotius e Msto. *Defectum sidus*, ut supra vs. 65: « Haud procul Effigies inde est defecta labore ». Pro *in cycnum*, ut est in Msto, legendum *in cycno*. Arati verba l. l. aliud sonant.

279. *Haud medii fulgoris*. Edit. Ald. *Aut* pro *Haud*, male.

281. *At læva fugit*. MS *fulget*, pessime.

283, 284. *Piscibus interlucet Equi*, etc. Restituit hos versus in edd. antiquioribus desideratos e Msto Grotius. Mutavit autem *ad* et *quæ*, ut Mstus habet, in *at* et *qua*. Versus duo sequentes: « Nec procul hinc dextra diffundit Aquarius undas, Atque imitata cadunt erantis signa liquoris », quia videbantur pertinere ad Aquarii descriptionem, Grotius hoc loco e Msto textui inseruit. Non pertinent tamen huc illi, ut ipse postea in notis animadvertit; nam iidem infra suo loco repetiti inveniuntur post Piscis Notii asterismum. In eodem Msto Grotii hic sequebantur quatuor alii versus, quorum primus incipit: *E quibus*, ultimus desinit: *pernicia crura*, qui eodem loco reperientur. Versus etiam ille a Grotio h. l. adpositus: « Scorpios erepta torquet qua spicula cauda », huc non pertinet et emendandus est, ut infra docebitur.

285, 286. *Quo prior Ægoceros*, etc. Prior versus in edd. antiquioribus deest. Emendavit eum Grotius. Nam MS habet: « Quum primum Ægocero ». Referendi autem sunt hi versus et proxime sequentes non ad Aquarium, ut in editionibus antiquioribus, sed ad Capricornum Verum est quidem, Aquarium posteriorem Capricorno occidere; sed nihil ad Arati mentem, quem hic

Tum brevis occasus ortusque intercipit hora,
Quum sol ambierit metas gelidi Capricorni.
Jam neque perficiet cursus nec vota brevis lux,
Et quum terrores auget nox atra marinos,
Multum clamatos frustra exspectaveris ortus.
Tunc rigor, aut rapidus ponto tunc incubat Auster;
Pigra ministeria, et nautis tremor occupat artus,
Et rationem animi temeraria pectora solvent.
Nulla dies oritur, quæ jam vacua æquora cernat
Puppibus; et semper tumidis ratis innatat undis.

nulli interpretum videntur intellexisse. Plura de Arati mente disputavit Grotius ad Ciceronis Aratea, p. 74. Putat Arati versus Phænom. 284: ὁ δ' ὀπίστερος Αἰγοκερῆος Τέλλεται· αὐτὰρ ὅγε πρότερος καὶ νείοθι μᾶλλον Κέκλιται Αἰγόκερως sic vertendos esse: « sed Aqusrius Ægocero esse Posterior, contra Ægoceros prior esse videtur, Adque Notum inferior ». Sensus est: Si redeas ab Austro ad Boream, ἐκ τοῦ χειμῶνος εἰς εὐδίαν, ut Theon loquitur, posterior lucet Capricorno Aquarius; si a Borea ad Austrum, Capricornus Aquario prior et ad inferiora inclinatior. Pro τέλλεται apud Aratum forte legend. ἕλκεται, ut conjicit Grotius, quam conjecturam jam notavi vol. I, pag. 409, ad vs. 285.

287. *Tum brevis occasus ortusque intercipit hora.* Ita optime MS. Vulgo corruptissime: « Imbres, occasus ortusque intercipit ora ».

288, 290. *Quum sol ambierit metas*, etc. Duo hi versus desiderantur in edd. antiquioribus. Posterioris initium in Manuscripto est: *amneque*, deficiente prima litera. ItaqueGrotius rescripsit *Nam neque.* Possis etiam reponere *Jam neque.*

290. *Nox atra.* Edit. Ald. vitiose *mox atra.*

291. *Clamatos frustra exspectaveris ortus.* Edit. Ald. *aspectaverit.* Morellius in textu dedit *spectaverit;* in notis, p. 151, emendavit *Aspectaveris.* Dixit Germanicus *clamatos* græco more, et sine dubio legit apud Aratum, Phæn. vs. 290, non βοωμένῳ sed βοωμένῃ, ut ad ἠώς referatur.

292. *Tunc rigor.* Msptus *rigora*, male. — *Auster.* Libri antiqui scribunt *Hauster*, quod confirmat Isidorus: « Auster ab hauriendo aquas vocatus ». Hinc apud Ovid. Trist. I, 11, 16: « aut Hyadas sævis hauserat Auster aquis ». In versibus de Ventis, vs. 17: « Austrum rite vocaut, quia nubila flatibus haurit ». Ed.

293. *Pigra ministeria et nautis tremor occupat artus*, ex Msto. Vulgo: « Tarda ministeria... adligat artus ».

294. *Sed rationem animi.* Sic recte Ms. Male vulgo: « Et rationem animi ».

295. *Vacua æquora cernat.* MS *cernunt*, male.

Interea tentare undas juvat; aspera sed quum
Adsultat lateri deprensæ spuma carinæ,
Tunc alti curvos prospectant litore portus:
Inventasque alii terras pro munere narrant.
Interea exanimat pavidos instantis aquæ mons;
Ast alii procul a terra jactantur in altum;
Munit et hos breve lignum, et fata instantia pellit;
Nam tantum a leto, quantum rate fluctibus absunt.

SAGITTIPOTENS.

Belligeri Titan magnum quum contigit arcum,
Ducentemque ferum sinuato spicula nervo,
Jam clausum ratione mare est, jam navita portu
Infestam noctem fugitat longasque tenebras.

296. *Ratis innatat undis.* Vulgo *innate:*, perperam.

297. *Interea tentare undas*, etc. MS depravatissime: « Inter ratem temptare undas juba, asperas et quum »: quem versum mutato ordine sequitur vs. 300 in vulgatis: *Inventasque alii;* deinde versus in vulgatis 298 *Adsultat lateri.*

299. *Tunc alii curvos prospectant litore portus.* Male vulgo *Tunc alti.* Desideratur hic versus in Msto Grotii.

301-303. *Ast alii procul a terra*, etc. Duo priores versus Grotius transposuit; nam in vulgatis versus *Interea exanimat* præcedit primo *Ast alii.* Male quoque edd. vulgatæ habent *e terra jactantur in altum.* Pro *munit eos* vulgo legitur *munit et hos*, perperam; in Msto *punit eos.* Grotius vulgatum *munit* et ex Msto *eos* in textum recepit.

303. *Fata instantia pellit.* MS *pellunt*, male.

304. *Nam tantum a leto*, ex Msto. Vulgo: *Et tantum.*

305, 306. *Belligeri Titan magnum*, etc. Ita hos versus emendavit Grotius. *Ferus*, ὁ φὴρ, quod Centaurum Homero significat. MS Grotii cum nostra lectione consentit, præterquam quod habet *Lucentemque ferum* pro *Ducentemque*, quod posterius Grotius recte servavit.

307. *Jam clausum ratione mare est.* Supra dixit Germanicus: «rationem animi temeraria pectora solvent». Jam periculo ingravescente Ratio superavit. Notandum autem *clausum mare.* Sic Manilius, Astron. I, 365: «Hœdi claudentes sidere pontum». Vegetius: «Ex die III Id. Nov. usque in diem IV Id. Mart. maria clauduntur». Conf. not. ad Arati Phænom. vs. 299, vol. I Buhl. pag. 410.

308. *Infestam noctem fugitat longasque tenebras*, ex Grotii emendatione. Vulgo *fugit ad.* MS *fugiat.*

Signum erit exoriens nobis tum nocte suprema
Scorpius; ille micat supra freta cærula cauda.
Insequitur gravis Arcus, et in lucem magis exit.
Tunc alto Cynosura redit, tunc totus in undas
Mergitur Orion, humeris et vertice Cepheus.

SAGITTA ET AQUILA.

Est etiam incertum quo cornu missa Sagitta,
Quam servat Jovis ales; habet miracula nulla,
Si cælum adscendit Jovis armiger; hic enim arctum
Unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem

309. *Tum nocte suprema.* MS *tum nocte superba*, male.

310. *Ille micat supra freta.* Ita MS. Vulgo contra metrum *super.* Error ex veteri scriptura *supera.*

312. *Tunc alto Cynosura redit.* Sic bene correxit Grotius. Vulgo: *Tunc alte Cynosura repit*, sine sensu et metro. MS non melius *Tunc alte Cynosura regit.* Emendatio Grotii est verissima. *Alto redire* poetis astronomicis est oriri. Cynosura, ut monuit Grotius, numquam occidit aut oritur. Sed quia in sphæra nostra altera pars Meridiani brevior est altera, hemicyclio scil. ad polum mundi diviso, quum Ursa in breviorem illam partem demergitur, occidere dicitur, quum eumdem circulum transcendens ad punctum illud, quod Zenith vocant, adscendit, oriri perhibetur. Hac ratione dixit Manilius, V, v. 694: « At Cynosura minor cum prima luce resurgit ».

313. *Mergitur Orion.* MS *Vergitur*, male.

314-317. *Est etiam, incertum quo cornu missa, Sagitta, Quam servat Jovis ales; habet miracula nulla. Si cælum adscendit, tamen arduus armiger hic est. Unguibus is nocuis Phrygium rapuit Ganymedem.* Sic hunc locum restauravit Grotius. Tres priores versus desunt in editionibus antiquioribus. Versus tertius in Msto sic legitur: « Si cælum adscendit Jovis armiger, hic tamen ardum ». Adparet, vocem *Jovis* inepte ex versu præcedenti repetitam esse. Omnino versus est depravatus. Pro vulgato *Unguibus innocuis* in ultimo versu Grotii emendationem in textum recepi. Posses etiam, vulgata lectione *innocuis* servata, versum sic refingere: « Unguibus innocuis Phrygium is rapuit Ganymedem ». *Miracula* vs. secundo Germanicus vocat stellas eximiæ magnitudinis. Ovid. Met. II, 193: « Sparsa quoque in vario passim miracula cælo ». Corn. Severus in Ætna, v. 243 (cf. nost. edit. Poet. Lat. tom. III, pag. 116): « Quo volet Orion, quo Sirius incubet index; Et quæcumque jacent toto miracula mundo ». In textu Severi apud Wernsdorfium male legitur: « Sirius incubet index... tanto miracula mundo ». In versu tertio

Et telo adpositus custos quo Jupiter arsit
In puero, luit excidio quem Troja furorem.

DELPHINUS.

Delphin inde brevis lucet juxta Capricornum
Paucis sideribus; tulit hic Atlantida Nymphen
In thalamos, Neptune, tuos, miseratus amantem.
Sidera, quæ mundi pars celsior æthere volvit,
Quæque vident Boream ventis adsueta serenis
Diximus. Hinc alius declivis ducitur ordo,
Sentit et insanos obscuris flatibus Austros.

ORION.

Primus in obliquum rapitur sub pectore Tauri
Orion; non ulla magis vicina notabit
Stella virum, sparsæ quam toto corpore flammæ
Tale caput, magnique humeri, sic balteus exit,
Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.

emendando Grotius respexit Arat. Phæn. 314.

318, 319. *Et telo adpositus custos, quo Jupiter arsit In puero, luit excidio quem Troja furorem.* Iterum ex emendatione Grotii. Vulgo *Et cælo adpositus custos, quo Jupiter arsit.* MS habet *Et telo adpositus cujus.* Aliam quoque conjecturam proposuit Grotius hanc: *Et cælo adpositus civis*, eleganti metaphora, commixtis lectionibus ex vulgatis et Msto. Nostra tamen lectio melior, et fabulæ de Aquila, fulminis Jovis custode, aptior.

320-322. *Delphin inde brevis.* Hi tres versus a Grotio ex Msto restituti sunt, ubi in primo versu legitur *Delphini inde b.* Nympha Atlantis est Amphitrite, de qua per Delphinum avecta vid. Eratosth. Catasterism. cap. 31; Hygin. II, 17.

325. *Declivis ducitur ordo.* MS *declinis dicitur ordo.*

326. *Sentit et.* MS *Sentiet*, perperam.

327-329. *Primus in obliquum rapitur sub pectore Tauri Orion; non ulla magis vicina notabit Stella virum, sparsæ quam toto corpore flammæ.* Hi tres versus in edd. Grotiana antiquioribus defuerunt. Mutavit quædam Grotius. In Msto legitur *Primus in obliquo*, renitente sensu. Omnino autem vult Germanicus: Orionem non debere ex vicinis astris nosci, sed suis sideribus facile clarere. Conf. Arati Phænom. vs. 323 seq.

330. *Tale caput*, etc. Vulgo corrupte: «Tela, caput, magnisque humeris, sic balteus ardet, Sic

SIRIUS.

Talis ei et custos aderit Canis ore timendo;
Ore vomit flammam; membris contemptior ignis;
Sirion hunc Graii proprio sub nomine dicunt.
Quum tetigit Solis radios, accenditur æstas,
Discernitque ortu longe sata; vivida firmat;
At quibus adsutæ frondes, aut languida cervix,
Exanimat; nullo gaudet majusve minusve
Agricola; et sidus primo speculatur ab ortu.

LEPUS.

Auritum Leporem sequitur Canis, et fugit ille;
Urgetur cursu rutili Canis ille per æthram
Sic utrumque oritur, sic occidit in freta sidus.

vagina ensis, perniei sic pede fulget ». MS *pernici sic pede ludit.* Quare·Grotius vulgatum *fulget* in *lucet* mnlavit.

332-334. *Talis ei et custos aderit Canis ore timendo, Ore vomit flammam, membris contemptior ignis, Sirion hanc Graii proprio sub nomine dicunt.* Desunl hi tres versus in edd. antiquioribus. In Msto legitur versu primo *Talis et custos*, et versu lertio *prio suo nomine*, ex quo verum *proprio sub nomine* Grotius elicuit. Forsitan etiam olim legebatur *patrio sub nomine.*

336-337. *Discernitque ortu longe sata*, ete. ex emendatione Grotii. Metaphora non ineleganti videri potest Germanieus *arborum cervices* dixisse et *frondes adsutas*, quæ non satis firmiter inhærent. MS habet : « At quibus adsuetas frondes ant languida cernis, Exanimat ». Vnlgo *languida radix.* Ed.

339. *Primo speculatur ab ortu.* Monet Aratus, Sirinm etiam in oceasu conspicieudum; ait enim Phæn. vs. 336 : Κείνου καὶ κατιόντος ἀκούομεν. Sensus utriusque idem : Sirinm a primo initio ad finem usque non negligendum. Est enim vehemens in ortu et occasu. Manilins, Astr. I, 386 : « Subseqnitur rapido contenta Canieula eursu, Qua nullum terris violentius advenit astrum, Nec gravius cedit, nec horrens frigore surgil ».

340, 341. *Auritum Leporem*, etc. Ex Msto Grotius hos versus insernit; desunt in edd. antiquioribus. In priori versu Mstus habet *et*, quod equidem in *at* mutatnm velim; in posteriori *per æthera*, a Grotio refictum in *per æthram.* Sæpius Avienus *æthram* pro *æthera.*

342. *Sic utrumque oritur, sic occidit in freta sidus.* Putabat Jos. Scaliger legendnm *Sic in utrumque*, et hune versum ad Sirium referendum, qnod concedi posset, nisi in

ARGO.

At qua cauda Canis languenti desinit astro,
Fulgent Argoæ stellis aplustria puppis;
Puppe etenim trahitur, non recto libera cursu :
Ut quum decurrens inhibet jam navita remos,
Aversamque ratem votis damnatus ad oram,
Perligat, optatam cupiens contingere terram :
Seu quia pars violata fuit, coeuntia saxa,
Numine Junonis tutus quum fugit Iason.
Hæc micat in cælo lateri non amplius aucta;
Qua surgit malus, qua debet reddere proram,

Msto duo versus antecedentes, a Scaligero ignorati, inserti essent. Monet tamen Grotius, versum *Urgetur cursu* profecto ex Avieno, vs. 759, desumptum esse, sicut etiam tres in Msto sequentes : « Parvulus in stellis Lepus est quoque; namque ubi magnus Emicat Orion, gemina ad vestigia subter Volvitur, instantem premit igneo Sirius ore ». In edd. Grotiana antiquioribus sequutus est versum *Sic utrumque* alter talis : « Tu parvum Leporem perpende sub Orione », qui ab indocto aliquo monacho profectus et a Grotio textu ejectus est. Igitur versum *sic utrumque oritur* excipere debet versus *At qua cauda Canis*. Sensus totius loci est : Canis Leporem insequitur; Lepus Canem fugit; ea figura oriuntur et occiduut. Vid. Arat. Phæn. vs. 341. Idem Avienus multis versibus hic exprimit, qui et alibi simili modo dixit : « sic magno præpes Olympo Subvehitur, subit occidui sic marmoris undas »; ubi videantur quæ adnotavimus.

343-345. *At qua cauda Canis.* Tres hi versus, a Grotio e Msto restituti, desunt in edd. antiquioribus.

346-348. *Ut quum decurrens*, etc. Male vulgo versu primo *At quum;* versu secundo et tertio *damnatus ab ore Perlegit.* Correxit Grotius e Manuscripto.

349, 350. *Sed quia pars*, etc. MS *qua pars*, male. Duas adfert rationes Germanicus, cur Argo a puppi oriatur et prora careat : priorem ex Arato, Phæn. vs. 345, quo nautæ adpellere cupientes navem convertant et remos inhibeant, quod ἀνακόπτειν dixit Aratus, alii, ut Cicero ostendit, πρύμναν κρούσασθαι (vid. Grotii not. ad Arat. pag. 8); alteram rationem omnibus Mythologicis intactam, quod prora inter rupes fuerit collisa, vix periculum effugiente Jasone. Mentio tamen fit hujus rei in Argonauticis Orphicis, vs. 1157.

351-352. *Hæc micat in cælo late, non amplius, altus Qua surgit Malus.* Ita hos versus legere jussit Grotius. Sensus est : Non amplius micat Argo quam usque ad malum. Ara-

Intercepta perit nulla sub imagine forma;
Puppis demisso tantum stat roscida clavo.

PISTRIS.

Haud procul expositam sequitur Nereia Pistris
Andromedam; media est solis via, cum tamen illa
Terretur monstro pelagi, gaudetque sub axe
Diverso posita, et Boreæ vicina legente.
Auster pistrin agit duo sidera, perlegit unum;
Namque Aries supra Pistrim Piscesque feruntur;
Bellua sed ponti non multum præterit Amnem,

tus : παρ' αὐτὸν ἰςόν. Ellipsis τοῦ *quam* similis post antecedens comparativum apud Veteres valde frequens est. Vnlgo : » Hæc micat in cælo lateri non amplior, actus Qua snrgit malus ». Melius in Msto : » Hæc micat in cælo lateri non amplius aucta, Qua surgit manus ». *Manus* vitiose exaratum pro *malus*. Poterit *lateri* tolerari; sunt enim latera αἱ πλευραὶ navis, ut supra : » Adsultat lateri deprensa spuma carina ».

354. *Puppis demisso..... clavo*, ex emendatione Grotii. Vulgo *lucida clavo*, non male quidem; at in Msto *roscida lævo;* utraque hac lectione commixta evasit nostra. Aratus, Phænom. v. 351, dixit πηδάλιον κεχαλασμένον. Germanicus derivavit κεχαλασμένον non ἀπὸ τοῦ χαλᾷν, sed ἀπὸ τῆς χαλάζης. Grando autem, nix, pruina, ros, si non eadem, sunt tamen cognata et adfinia. Igitur *roscida puppis*, πηδάλιον κεχαλασμένον.

355-357. *Haud procul expositam*, etc. Tres hos versus ex Msto Grotius restituit. Pro *Haud procul*, MS perperam *At procul*. Vid. Aratus, Phænom. vs. 353. Eleganter autem dixit Germanicus *media est Solis via*, h. e. Zodiacus, quem Aratus alibi ἠελίοιο κέλευθον vocat, interjacet. Huc pertinet versus Manilii, Astr. I, 356 : « Andromedam vastos metuentem Pistris hiatus », ubi male in edd. nonnullis *Piscis* legitur. De bellua marina Pistri Valer. Flacc. Argon. II, 530 : « jamque agmine toto Pistris adest, miseræque inhiat jam proxima prædæ ».

357. *Monstro pelagi*, Cetum designat. *Monstrum* de quacumque immani bellua frequens. Sic *monstrorum princeps* dicitur elephas. De quo vid. Cannegiet. in Dissertat. ad Avian. cap. 22, circa fin. Similiter Dracontius in Hexaemero, 190 : « India cum gemmis et eburnea monstra minatur ». Theodulphus in Parænesi, p. 97, Elmenh. » Tura Sabæus ager, Gaugetis eburnea monstra ». Ed.

358. *Diverso posita*. MS *Diversi*, malo.

359. *Auster Pistrin agit*. Sic bene MS. Vid. Arat. Phænom. vs. 356. Vulgo sine sensu *Auster Pistris agens*. *Pistrin* autem per metathesin pro *Pristin* dici, nemo est qui nesciat.

Amnem, qui Phaethonta suas deflevit ad undas,
Postquam patris equos non æquo pondere rexit,
Fulmine reddentem flammas Jovis; hunc nova silva
Planxere ignotis mœstæ Phaethontides ulnis.

ERIDANUS.

Eridanus medius liquidis interjacet undis.
Hujus pars undæ lævum tenet Orionis
Lapsa pedem, procul ambobus qua Piscibus unus
Vincula connectit nodus, cristam super ipsam
Æquoreæ Pistris radians; sunt libera cælo
Sidera, non ullam specie reddentia formam,
Sub Leporis latus, aversam post denique puppim,
Inter et Eridani flexus, clavumque carinæ;

362-364. *Amnem, qui Phaethonta,* etc. Tres hi versus, quibus edd. antiquiores carent, a Grotio e Msto restituti sunt. In versu 364 Grotius eleganter conjecit *Fulmine reddentem flammas Jovis*, pro eo, quod est in Msto, *Vulnere reddentem flammas Jovis*. Conf. Ovid. Metam. II, 311. Pulchre igitur dicit Germanicus Phaethontem flammas solis reddentem flammis et fulmine Jovis. — *Hunc nova silva.* Ovid. Met. II, 372: « silvamque sororibus auctam ».

365. *Planxere ignotis mœstæ Phaethontides ulnis*, ex Msto. Male vulgo: *Asiæ Phaethontides ulnis.* Dixit Germanicus *ignotas ulnas*, ut Ovidius, Met. II, 352: « Illa dolet fieri longos sua brachia ramos ». Melius refertur hic versus ad descriptionem Pistris, non, ut in edd. antiquioribus, ad Eridanum.

366. *Eridanus ... interjacet undis.* Sic emendavit Grotius. MS *injacet undis.* Vulgo *interjacet astris.* Verum *astra* quomodo possunt dici *liquida?* Vult Germanicus Eridanum medium fluere inter Heliadum silvam, de qua loquutus est. Aratus, Phæn. vs. 360, vocat πολύκλαυστον ποταμὸν, quia electra, lacrymæ Heliadum, in Eridanum stillant. Cf. Ovid. Metam. II, 364.

367. *Hujus pars undæ lævum tenet Orionis.* Vulgo: « lævum ferit Orionis ». MS « medium tenet Orionis ». Nostram lectionem ex utraque hac mixtam dedit Grotius.

368-370. *Procul ambobus*, etc. ex emendatione Grotii. MS *conjecit* pro *conjectat*, et vs. 370 *Æquoreæ Pistris radians.* In promptu sunt rationes, quibus emendatio Grotii nititur. Pro *amotis* reposuit *ambobus* secundum Arat. Phæn. vs. 362.

370, 371. *Sunt libera cælo Sidera*, etc. Vulgo: « sunt illi libera cælo Sidera, nonnullam ». MS pro *specie* habet *cælo*, ex versu antecedenti male repetitum.

372. *Sub Leporis latus*, etc. Vulgo: « sub Leporisque latus versam », perperam. Nostra lectio ex Msto.

373. *Inter et Eridani*, etc. Ita

Atque hæc ipsa nota est nullam præbere figuram.
Sunt etenim toto sparsi sine nomine mundo
Inter signa igues; quibus et si propria desit
Forma, per adpositi noscuntur lumina signi.

PISCIS NOTIUS.

Est etiam a Geminis diversus Piscibus unus,
Qui Borean fugitat, totus directus in Austros,
Ventre sub Ægoceri, Pristim conversus ad imam:
Infimus Hydrochoos sed qua vestigia figit,
Sunt aliæ stellæ, qua caudam bellua flectit,
Quaque caput Piscis, media regione locatæ;
Nullum nomen habent, nec caussa est nominis ulla;
Sic tenuis cunctis jam pæne evanuit ardor.
E quibus una magis sub cauda flamma relucet
Squamınigeræ Pristis; pedibus subit altera signi
Fundentis latices; est et sine honore Corona,
Ante Sagittiferi paullum pernicia crura.

MS. Vulgn : « Ioter et Eridanum, flexosque cavumqoe carinæ ».

375-377. *Sunt enim toto sparsi*, etc. Ita hos versus legit Grotius. Emeodatiooes Grotii sunt verissimæ. In verso ultimo mutavit *oppositi* in *adpositi*; nam Arat. Phæn. vs. 380 habet παρακείμενος.

378-380. *Est etiam a Geminis... conversus ad imam.* Petiit hos tres versus iterum ex Msto Grotius; desiderantnr enim in edd. antiquinribus. In versu secundo MS habet *fugiat*, quod recte in *fugitat* mutavit Grotius, ut supra qunque. In versu primo textus Grotianus perperam *diversis* exhibet pro *diversus*.

384. *Nec caussa est nominis nlla.* Ita MS. Non male volgo : « nec caussam nominis ullam ». Caussa nomiois est fabula.

385. *Nec procul hinc dextra defundit Aquarius undas.* Sic MS. Vulgo *diffundit.* Alieno tamen loco, ut jam supra monitum, hic versus legitur, ut et seqoens : « Atqoe imitata cadont errantis signa liquoris ». *Imitata*, μιμηθέντα, Germanicus dixit passive. Simile est illud Virgilii, Ecl. IX, 53 : « Nunc oblita mihi tot carmina ».

388. *Est et sine honore Corona.* Videtor Germanicos in Arati Phæn. vs. 401, legisse ἄγνωτοι κύκλῳ pro Δινωτοὶ κύκλῳ. Conf. not. Bohl. vol. I, p. 417.

389. *Ante Sagittiferi paullum pernicia crura.* Versus ex Msto emendatus, in qoo tamen legitur *paullulum*, contra metrum. Vulgn : « multum pernicia crura ». Ordo verborum est : Paullum ante Sagittiferi pernicia crura. Forsitan Germanicus

TURIBULUM.

Scorpius erecta torquet qua spicula cauda
Turibulum vicinum Austris sacro igne videbis
Arcturum contra; sed quanto tardius ille
Oceanum occasu tangit, tanto magis arctæ
Turibuli metæ. Vix cælo suspicit, et jam
Præcipiti tractu vastis dimittitur undis.
Multa dedit natura homini rata signa salutis,
Venturamque notis cladem depellere suasit.
Inter certa licet numeres sub nocte cavenda
Turibulum; nam si sordebunt cætera cæli,
Nubibus obductis, illo splendente timeto,
Ne pacem pelagi solvat violentior Auster.
Tunc mihi spissentur substricto cornua velo,
Et rigidi emittant flatus per inane rudentes.

apud Arat. Phæn. vs. 399 legit non ὀλίγοι, sed ὀλίγον γέ μεν ἄλλοι νείοθι Τοξευτῆρος, ut sit ὀλίγον νείοθι *paullum ante.*

390-395. *Scorpius erecta torquet ..... tractu vastis dimittitur undis.* Ita hunc locum egregie constituit Grotius. Monui supra ad vs. 282 primum versum « Scorpius erecta torquet qua spicula cauda » ibi alieno loco legi; jam inserui eum hic, ut Turibuli descriptio ab eo incipiat; nam hic desideratur. Duo versus sequentes in edd. antiquioribus omissi Msto Grotiano debentur. Versu quarto MS habet *occasum;* vulgatæ edd. *tanto et magis arte*. Versum quintum vulgatæ sic legunt : « Turibulum metæ vim cælo suscipit, et jam », sine sensu. MS nostram lectionem præbuit. Versu ultimo pro *Præcipiti tractu* ed. Ald. habet *tactu*. Sensus totius loci est : « Apud Scorpii acumen invenies australem Aram oppositam Bootæ; sed quanto ille tardius occidit, tanto arctiores sunt metæ Aræ; adeo ut vix ortum sit, quin statim iterum occidat. Cf. supra vs. 225. Quo ex loco etiam liquet, quid Germanicus vocet *metas* signi alicujus, scil. duo puncta, ἀνατολικόν et δυτικόν, quæ in Horizonte imaginamur.

397. *Venturamque notis cladem depellere suasit.* Male vulgo *novis*. Sunt notæ σημεῖα. In versu sequenti ed. Ald. habet *numerus* pro *numeret*, vitiose.

401. *Pacem pelagi*. Similiter Avienus, Prognost. vs. 403 : « Thetidi terrisque supina Pax aderit ».

402. *Tunc mihi spissentur substricto cornua velo.* Ita hunc locum legi vult Grotius. Quum enim κεραία sive cornu sit τὸ ἐπάνω τοῦ ἱστοῦ δεδεμένον πλάγιον ξύλον, οὗ ἐξάπτεται ἡ ὀθόνη, sequitur velo turgido laxari,

Quod si deprensæ turbavit lintea puppis,
Incubuitque sinu laxo, vel mergitur undis
Prona ratis, sorbetque inimicum Nerea prora;
Vel si perspexit servator Jupiter, ægre
Ultima persolvent jactati vota salutis;
Nec metus ante fugit, quam pars perfulserit omnis,
Quæ Borean cæli spectantibus indicet orbem.

CENTAURUS.

Sunt etiam flammis commissa immania membra
Centauri, capite, atque hirsuto corpore et alvo
Subter candentes hominem reddentia Chelas.
Inde per ingentes costas, per crura, per armos,
Nascitur intacta Sonipes sub Virgine, dextra
Seu prædam e silvis portat, seu dona propinquæ
Placatura Deos, cultor Jovis, admovet Aræ.
Hic erit ille pius Chiro, justissimus omnes
Inter nubigenas, et magni doctor Achillis.
Hic humero medium scindens iter ætheris alti,

substriclo spissari, quod fit in tempestatibus. *Rigidos* similiter *rudentes* in procella vocat, quod contrarium est ei, quod supra dixerat *excussos*, in vento moderato et secundo.

407. *Vel si respexit*, etc. Ita MS. Perperam vulgo : « Vel si perspexit servator Jupiter æger ». Servator Jupiter, Ζεῦς σωτήρ.

408. *Ultima persolvent jactati vota salutis.* Vulgo *jactatæ*, quod emendavit Grotius, quia apud Aratum, Phæn. v. 428, legitur ὀτλήσαντες, neque satis recte *salus jactata* dicitur.

409, 410. *Nec metus ante fugit, ... indicet orbem.* Sic versus hos constituit Grotius ex Msto. Vulgo: « Nec metus ante fugit, quam pars effluxerit orbis, Quæ Boream cælum spectantibus indicet ortum ». Lectio *effluxerit* in versu priori ex *effulserit* nata. Quod edd. vulgatæ in altero versu habent *ortum*, tolerari possit; sed Msti lectio vera, si ita juves, ut juvimus. Sensus est : Pars omnis effulgens spectantibus cæli orbem Boream indicat.

411-413. *Sunt etiam flammis*, etc. Versus hos in edd. antiquioribus desideratos e Msto restituit Grotius.

415-417. *Nascitur intacta Sonipes*, etc. Ita hos versus emendavit et distinxit Grotius. MS « seu prædam silvis portat... admonet Aræ ». Cf. Arati Phæn. v. 439 sq.

418. *Hic erit ille pius Chiro, justissimus.* Recte sic emendavit Grotius. Dicitur Chiro in Orph. Argon. 377, δικαιότατος κενταύρων,

Si tenuem traxit nubem stellasque recondit,
Toto clarus equo, venientes nuntiat Euros.

HYDRA, CRATER, CORVUS, PROCYON.

Nec procul hinc Hydros trahitur, cui cauda superne
Centaurum lucet; tractu subit ille Leonem;
Pervenit ad Cancrum capite, et tria sidera tangit.
Huic primos tortus Crater premit; ulteriores
Vocali rostro Corvus vorat; omnia lucent,
Et Corvus pennis, et parvo pondere Crater,
Et spatio triplicis formatus sideris Hydros.
Sub Geminis Procyon fulgentia sidera surgit.

PLANETÆ.

Hic cælo ornatus trahitur noctemque diemque;
Sors sua cuique data est; semel adsignata tuentur
Immoti loca, nec longo mutantur in ævo.
At quinque stellæ diversa lege feruntur
Et proprio motu mundo contraria volvunt
Curricula, exceduntque loco, et vestigia mutant.

et Avien. vs. 899 eumdem adpellat *arbitrum æqui*.

422. *Toto clarus equo venientes nuntiat Euros.* Vid. Arat. Phænom. vs. 432. Germanicus μετόπισθιν interpretatus est posteriora Centauri, τὰ ἱπποὐραια, et ἐοικότα σήματα intellexit ἀστέρας διαφανεῖς. Cætera quæ apud Aratum sequuntur ἐπὶ παμφανόωντι Θυτηρίῳ Germanico sunt non intellecta et neglecta.

423-425. *Nec procul... tria sidera tangit.* Hi tres versus ad Hydræ descriptionem pertinentes et in edd. antiq. omissi a Grotio e Msto restituti sunt. Conf. Arati Phænom. vs. 444 seq. Germanicus ut et alii Latini *Hydrum* vocat, quem Aratus Ὕδρην. In tertio versu pro *tristia sidera*, ut in Msto est, Grotius reposuit *tria*, Arato jubente. Similis locus supra « duo sidera perlegit unum ».

428-430. *Et Corvus pennis... sidera surgit.* Restituti sunt hi quoque versus, ultimi primæ partis Phænomenorum, a Grotio ex Msto. In secundo MS habet *spatio triplici*. In tertio notandum, quod Germanicus *surgit* sensu activo dixerit; nec mirum, quum *surgo* per syncopen sit a *surrigo*. Ab hinc omnia ad finem usque Φαινομένων in edd. antiquioribus desiderata a Grotio demum ex Msto edita sunt.

434. *At quinque stellæ.* Grotius conjicit *At quinæ* ob versum. Potest quidem græco more brevis duabus

Haud equidem possis alio contingere signo,
Quod diversa via est; hic atque hic sæpe videntur
Occasus ortusque. Neque amfractus brevis illis,
Annosasque vias tardus vix perficit orbis.
Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis,
Tempus, et ipse labor, patiantur Fata, docebit.

CIRCULI.

Signorum partes, quorum prædicta figura,
Annum expleturi prædicunt quattuor orbes.
Intervalla trium transversus colligat unus;
Nec par est illis spatium; duo namque feruntur
Inter se æquales; duo quorum est maxima forma;
Et totidem rursum prædictis ante minores.
Hi semper distant; illos communia signa

consonis sequentibus produci; sed hoc Germanico inusitatum.

437-439. ***Haud equidem possis***, etc. Ita emendavit Grotius. MS depravate: « Haud equidem passim alio contingere signo, Quæ divisa dies hinc atque hinc sæpe videntur, Occasus, ortusque ». Sensus est: Non possis planetarum alterum per alterum comprehendere, uti in fixis stellis fecisti, vaga si quidem illis via est. Sic Avien. vs. 921: «Nullus eas alio pacto deprendere certet, Tam vaga per totam cunctis via defluit æthram». Deinde ortus occasusque non uno fiunt loco.

441. ***Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis***. Dicit Arat. Phæn. v. 460, se non audere Planetarum naturam versibus exponere. Germanicus dubitat, utrumne hausta ex Chaldæorum et Ægyptiorum mysteriis (unde arcanas Musas vocat) disciplina, aliquando laboriosum ea de re opus sit conscripturus; utitur itaque locutione vulgo usitata: ***Tempus docebit***. Hoc ipsum syntagma de planetis eorumque operationibus, quod tunc, quum hæc scriberet, in manibus habuisse videtur, postea perfecit; et aliqua ejus adhuc fragmenta restant.

442. ***Tempus et ipse labor, patiantur Fata, docebit***. MS perperam ***patiatur fata***.

443. ***Signorum partes***. Ait Germanicus, quatuor Circulos Signorum ordinem et partes explicare. Male nempe intellexit Arat. Phæn. vs. 461. Per τὰ αἰθέρι σήματα fixas stellas intellexit, ut et Cicero, et τά γε ad ea ipsa sidera retulisse videtur. Longe aliter Avienus, quem vide vs. 490 sq.

446, 447. ***Nec par est illis***, etc. MS ***illi spatium***. In versu posteriori omissum est ***duo***, quod tamen ob sensum et ob versum repeti debet.

448, 449. ***Et totidem rursum***, etc. MS « totidem inter se prædictis... »

Committunt; qua se tangunt, pars æqua rotarum
Dividitur, binos ut si quis desecet arcus.

LACTEUS.

Dissimilis cunctis liquida sub nocte videtur,
Sidera quum reddunt sinceros eminus ignes,
Lactis ei color est, mediis et lucet in umbris.
(Lacteus hic orbis nullo minor orbe rotatur.)

TROPICUS CANCRI.

Celsior ad Borean qui vergit circulus, altos
Et peragit tractus vicinis haud procul Ursis,
Per Geminorum humeros currit, vestigia tangit
Aurigæ, plantamque tegit Perseida lævam;
Transversæ Andromedæ secat et latera utraque tactu,
Et totam absque humero dextram: tum candidus ora
Cycnus habet, pariterque feri pernicia crura.

Hi semper dictant illos; communia signa ». Sensus totius loci est: « Non sunt hi circuli æquales, sed δύω δυσὶν ἀντιφέρονται, i. e. duo sunt inter se æquales, duo scil. majores, duo minores. Minores sunt παράλληλοι. Majores, Æquinoctialis et Zodiacus, ad duo puncta intersecant se mutuo in æqualia hemicyclia, sive arcus. *Signa* vocat σημεῖα, græco more, quæ Mathematici vulgo *puncta* solent adpellare.

454. *Mediis et lucet in umbris.* MS *medius et lucet.*

455. *Lacteus hic orbis nullo minor orbe rotatur.* MS *nullo minus orbe.* Putat Grotius, hunc versum, cui Arateus respondet nullus, esse suppositilium, et ex eo, quem infra habes: « Hos inter medius nullo minor orbis habetur », quodammodo confictum.

456. Grotius ad h. l. « Versus hic plurimi, immo fere omnes, in quibus sidera describuntur, quæ Tropicum Cancri adtingunt, corrupti, mutilati, transpositi, aliisque suppositítiis interpolati sunt, adeo ut cum Arato iis nihil conveniat; quare resectis iis, quæ superflua visa sunt, additis paucis, quæ necessaria, transpositis in suum locum, quæ dissita, mutatis, quæ mala visa sunt, hanc tralationem ex conjectura concinnavimus, ita tamen, ut nusquam nimium a lectione Msti recederemus ».

458, 469. *Per Geminorum humeros currit, vestigia tangit Aurigæ,* etc. Manuscriptus « Per Geminos currit medios, vestigia tangit Aurigæ; plantamque tegit Perseida læva ». *Geminorum humeros* rescripsit Grotius ex versu: « Et Geminis humeros ».

460-463. *Transversæ Andromedæ*

Hac Ophiuchi humeros vastos fulgere notabis.
Effugit at Virgo; totus Leo : totus in ipso
Cancer; ab aversis omnem secat ille Leonem
Clunibus, hirsutique jubam per pectoris exit,
Cancro qui fulgent oculi, inter regula currit.
Hunc octo iii partes si quis diviserit orbem,
Quinque super terras semper fulgere notabit,
Abdi tres undis, levibusque latere sub umbris.
Hoc Cancro tetigit quum Titan orbe, timeto
Æstatem rapidam, et solventes corpora morbos.
Tunc habet ætherii cursus fastigia summa,
Erectoque polo Phœbus non adplicat umquam
Candentes currus. Adverso nititur orbe,
Dum tangat metas, pronus devolvitur inde.

TROPICUS CAPRICORNI.

Hic Boreæ propior; contrarius excipit Austros;
Ægoceros metas hiemis glacialibus Austris,
Æstatisque tenet flagranti sidere Cancer.
Hoc medium sidus findit devexior orbis;
Fundentis latices genua implicat; illigat illum

secat, etc. *Ferum* intellige Equum. Sunt ὁπλαὶ δ' ἵππειαι Arati.

464-468. Versus ultimus in textu nostro *Hunc octo*, etc. clarus est, sed coactus. Dubitat itaque Grotius, au non, a Germanico umissus, a monachu sit suppletus. Cætera omnia, quæ in Msto leguntur, aut inepte ob similitudinem repetita, aut ex alio scriptore Phænomenorum perperam hic inserta sunt. Poterunt etiam loci ostendi Arati, e quibus singula translata sunt; sed non est tanti.

473-476. *Tunc habet ætherii cursus*, etc. Sensns loci, sicut Grotius eum emendavit, est : Quum Sol ad Circulum Cancri pervenit, jam in summo est; neque enim ad polum ipsum potest pertingere; eo usque igitur scandit adverso quasi cælo; deinde pronus iterum in Austrum declinat. Vid. Avien. 984: « neque celsum semita in axem ». Quibus similia in Arato deesse videntur, nisi hæc Avienus, quod probabile est, ex Germanico expresserit.

477. *Hic Boreæ propior*. MS « Hinc Boreæ propior », male.

478, 479. *Ægoceros metas hiemis glacialibus...Æstatisque tenet flagrantia sidera Cancer.* Ita MS, qui in posteriori versu habet quoque *fla-*

Intorta Pristis cauda; velocia crura
Contingit Canis, et Leporem jam desecat imum;
Desecat et sacræ speciosa aplustria Puppis;
Centaurique humeros, et Scorpion ultima cauda
Spicula torquentem; magnus micat arcus in illo.
Inde Austro propior sol est Aquilone relicto,
Et gelidas hiemes hebetato lumine portat.
Hujus tres cælo partes adsurgere cernes,
Quinque latent undis et longa nocte feruntur.

ÆQUINOCTIALIS.

Hos inter medius nullo minor orbis habetur,
In quo quum Phœbus radiatos extulit ignes,
Dividit æquali spatio noctemque diemque;
Bis redit hæc facies librato sidere mundi,
Quum ver fecundum surgit; quum deficit æstas;
Signa Aries Taurusque æquo tanguntur ab orbe;
Sed princeps Aries toto fulgebit in orbe,
Tauri armum subit et flexi duo sidera cruris.

granti pro *flagrantia*. Coujicit autem Grotius, versus hos duos locum inter se mutare debere, ut ille, qui de Capricorno loquitur, sit posterior; nam sequitur statim: « Hoc medium sidus findit devexior orbis », quod ad Capricornum necessario referendum. Vid. Arat. Phæn. vs. 501.

482-484. *Velocia crura*, etc. ex Grotii emendatione.

486. *Magnus micat arcus in illo*. Sic mavult Grotius. MS « magnus micat orbis in illo ». Vid. Aratus, Phæn. v. 506. *Magnum arcum* supra quoque dixit Germanicus: « Belligeri Titan magnum quum contigit arcum »

492. *Phœbus radiatos extulit ignes*. In Manuscripto erat spatio vacante *r d atos*, unde Grotius *radiatos* fecit.

494. *Librato pondere mundi*. Sic emendavit Grotius. MS *sidere mundi*. Verum Avienus vs. 58: « Cur spatium lucis madidæ cum tempore noctis Libra celerque Aries dimenso pondere Olympi Æquareut ». *Dimenso* Avieno, quod Germanico *librato*, h. e. *æquato*; nam mundum nihil aliud esse, quam cælum, jam notum.

498. *Duo sidera cruris*. Habet enim Taurus in flexo crure duo sidera, alterum in genu, alterum in ungula. Vid. Hygin. P. A. II, 21, et Schaubach. ad Eratosth. Catasterism. p. 90.

At medium Oriona secat, spiramque priorem
Hydri, et Craterem lævem, Corvique querentis
Ultima deficiunt nigra quæ sidera cauda.
Illic et Chelas transverso lumine quæres.
Hic etiam celsi genua adspicies Ophiuchi;
Nec procul inde Aquila, at toto capite incubat ardens
Pegasus, et longæ spatio cervicis inhæret.
Hos orbes, quorum tractus et signa docemus,
Rectus per medios decurrens trajicit axis.
Tres intervallis paribus sine fine rotantur,

499. *At medium*. MS *Ad*, male.

500, 501. *Corvique querentis, Ultima deficiunt nigra quæ sidera cauda.* Possis ex fabula conjicere: Corvique *gerentis*. Dicitur enim Corvus in fabula Craterem gerere, quod tamen in asterismis aliter est. Sed satius est, *querentis* interpretari χρώζοντος. Corvus autem in cauda est Hydræ. Quare bene subjungit Germanicus: « Ultima deficiunt nigra quæ sidera cauda ». (In MS legitur *qua* pro *quæ*, minus bene.) Sunt enim stellæ illæ obscuræ. Hyginus in asterismo Hydræ: « in quinta usque ad caudam novem (habet stellas) omnes obscuras ». Pessime scholiastes Germanici anonymus *octo claras* posuit, quamquam stellæ hæ non sint extremæ obscuritatis, sed quartæ vel quintæ magnitudinis. Corvus nullas habet in cauda stellas. Eas Germanicus ait deficere, visui nostro imputans, quod revera nihil est.

503. *Hic etiam celsi genua adspicies Ophiuchi.* Ita hunc versum legendum censuit Grotius. MS « Et celsi mediam partem Anguis et a medio Ophiuchum ». Possit hæc lectio juvari, una voce, quæ temere repetita videtur, deleta, hoc modo: « Et celsi partem Anguis et a medio Ophiuchum ». Sed quia Aratus et alii genua tantum exprimunt, de Angue etiam non meminerunt. Emendatio Grotiana a scriptura Msti non nimium recedit. Pro *mediam* habes *etiam*; pro *anguis et* habes *adspicies*; vox *celsi* manet; *Ophiuchi* casus tantum mutatus; *a medio* deletum est, quia ex repetitione vocis *mediam* natum videtur.

504. *Nec procul inde Aquila; at toto*. MS omittit *at*, male.

505. *Longæ spatio*, etc. MS *longe*. Sed bene rescripsit Grotius *longæ*. Germanicus supra: « Et capite et longa cervice insignior exit ».

506. *Quorum tractus*. MS *actus*, perperam.

507. *Rectus per medios decurrens trajicit axis*. Legit Germanicus non male in Arato, Phænom. vs. 525, ὀρθὸς περιβάλλεται ἄξων, ubi vulgo ὀρθοὺς habemus, quam lectionem sequitur Avien. vs. 1201: « Hos omnes recto contentos tramite cæli, Distantesque pari spatio sibi, transigit axis ».

508. *Sine fine rotantur*. MS *notantur*, male.

Nec mutare vias possunt, nec jungere sulcos.
Quartus in obliquum tres unus colligat orbes,
Partibus extremis diversos implicat; unum
Inter utrumque secat medium devectus in illum.
Nam si Palladia doctus formaret ab arte
Distantes orbes melius religasset ab uno.
Sed tribus idem ortus omni nascentur ab ævo,
Atque eadem occasus remanent certissima signa.

ZODIACUS.

Quartus ab Oceano tantum vestigia mutat,
Obliquo currens spatio, quantum Capricornus
Æstifero distat Cancro, quam latus ad auras
Ætherias surgit, tam sacris mergitur undis.
In sex signiferum si quis diviserit orbem,
Æquales partes succumbit regula binis
Inferior signis, spatii tantumque tenebit
Una, sui lateris quantum a Tellure recedit;
Nec tamen humanos visus fugit ultimus orbis.
Hæc via solis erit bis senis lucida signis.
Nobilis hic Aries aurato vellere, quondam

510-512. *Quartus in obliquum*, etc. Sensus est : Zodiacus tres alios contingit, extremos tantum tangens, medium per medium secans. Germanicus supra : « Intervalla trium diversus colligit unus ». Versum ultimum possis etiam ita legere: « unum Inter utrumque secat medium, desectus ab illo », ut mutua intersectio Zodiaci et Æquatoris indicetur.

521-523. *In sex signiferum si quis diviserit orbem*, etc. Ita hos versus constituit Grotius. In MS corrupte versu secundo *Æqualis Aries* pro *Æquales partes*. Idem : « Inferior signis spatiis, tantumque tenebit Una suis lateris ». Conf. Buhl. not. ad Arati Phænom. vs. 541, vol. I, pag. 429. *Latus* est *linea recta*. Sic Germanicus supra vs. 188 : « quantum latus a pede dextro Cephios extremum tangit Cynosurida candam, Tantumdem ab lævo disterminat ».

525. *Nec tamen humanos visus*, etc. Videtur Germanicus male intellexisse versum Arati, Phænom. vs. 541 : ὅσσον δ' ὀφθαλμοῖο βολῆς ἀποτέμνεται αὐγή, cujus sensus est ; « Quanta ab humano se tendit linea visu ».

Qui tulit in Tauros Phryxum, qui prodidit Hellen,
Quem propter fabricata ratis, quem perfida Colchis
Sopito vigile incesto donavit amori.
Corniger hic Taurus, cujus decepta figura
Europe, thalamis et virginitate relicta,
Per freta sublimis tergo, mendacia sensit
Litora, Cretæo partus enixa marito.
Sunt Gemini, quos nulla dies sub Tartara misit;
Sed cælo semper nautis lætissima signa
Ledæos statuit juvenes pater ipse Deorum.
Te quoque, fecundam meteret quum cominus Hydram
Alcides, ausum morsu contingere bello
Sidere donavit, Cancer, Saturnia Juno,
Numquam oblita sui, numquam secura novercæ.
Hinc Nemæus erit juxta Leo; tunc pia Virgo;
Scorpios hinc duplo, quam cætera, possidet orbe
Sidera, per Chelas geminato lumine fulgens.

528. *Qui prodidit Hellen.* In Catalectis Pithœi, Carm. de Sign. cæl. pag. 167: « Proditor est Helles et portitor Europæus ». Apud Pith. et in Grotii notis, pag. 20, male impressum *Proditor Europes.*

530. *Sopito vigile incesto donavit amori.* Sic bene emendavit Grotius. In Msto: « Sopito vigili incesto donabit amore ». *Amori* antiqua ablativi forma.

532. *Europe thalamis et virginitate relicta.* MS *Europæ...relictæ*, male. *Thalamus* hic nihil aliud quam patrios Penates significat. Ita Helena apud Homer. Iliad. III, vs. 174: θάλαμον γνωτούς τε λιποῦσα.

533. *Mendacia sensit Litora.* Emendavit Grotius. MS habebat *Litore*, nesciô an melius.

534. *Partus enixa.* Ita loquitur Jupiter Taurus ad Europam apud Moschum. Europa sub fin. Ἐξ ἐμέθεν δὲ κλυτοὺς μάλα φύσεαι υἷας.

540. *Sidere donavit, Cancer, Saturnia Juno.* Sic jam ante Grotium emendavit Scaliger; est enim ἀποστροφή. Vulgo *Cancrum.* Avienus vs. 391: « hic etenim Lernæi gurgitis Hydram Ureret Alcides quum flammiger, ausus in ipsum Repere victorem ». Conf. Schol. German. et Hygin. P. A. II, 23.

541. *Numquam secura novercæ.* Avienus l. l. « astraque Cancro Juno novercales ut semper proderet iras Præstitit ».

542. *Pia Virgo.* Similiter in Catalectis Pithœi, p. 168: « Atque Leo primus labor Herculis, et pia Virgo ».

544. *Scorpios hinc duplo*, etc.

(Quæ mihi dicta canant magnum scelus Orionis!)
Inde Sagittifero lentus curvabitur arcus,
Qui solitus Musas venerari supplice plausu
Acceptus cælo Phœbeis ardet in armis.
Cochlidis inventor, quum vis Titania flatu
Bellantem est mirata Jovem, pietatis honorem,
Ut fuerat geminus forma, sic sidera cepit.
Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Adtonitas inter gentes, patriamque paventem,
In cælum tulit, et maternis reddidit astris.
Proximus infestas olim quas fugerat undas

Sensus est : Scorpium duplum tantum spatium possidere, quam cætera, utpote quum Chelas in se complectatur, unde μέγα θηρίον Arato audit.

545. *Quæ mihi dicta canant magnum scelus Orionis!* Ita hæc legi debent, per parenthesin et θαυμαστικῶς, recte id monente Grotio, qui etiam *scelus* reposuit pro *sidus*, ut est in Msto. Occasione Scorpii enim in Orionis facinus cum indignatione invehitur poeta.

547. *Supplice plausu.* Scholiastes Germanici de hoc Sagittario : « qui inter Musas sæpius commoratus plausu cantus earum distinguebat ». Et huc adludit *Croti* sive *Crotonis* nomen illi tributum. *Phœbea arma* in versu sequenti videntur esse arcus et sagitta.

549. *Cochlidis inventor*, ex emendatione Grotii. Vulgo *Poplitis*. Schol. Germ. ex Hygino : « quod Dicolon invenisset in mari, ideo Piscis cauda notatum ». Ubi similiter transpositis literis *Cochlidem* legendum. Κόχλακες, κόχλαδες, κόχλιδες, seu κόχλοι sunt λίθακες οἱ ἐν τοῖς ὕδασιν, *lapilli aquatici.—Cujus Titania flatu.* Supra : « Quum vis Titania flatu Bellantem est mirata Jovem ». Titanes Jovi arma inferentes mirati sunt illum bellantem et ipsos fugantem solo Ægipanis flatu. Theon : τῷ δὲ ἤχῳ αὐτοῦ πανικῷ καλουμένῳ τοὺς Τιτᾶνας ἐτρέψατο.

551. *Ut fuerat geminus forma.* Respicit poeta eo, quod Capricornus sit τῶν διμόρφων ἄστρων. Sic ipse alibi : « Aut ubi consurgit Capricornus et ipse biformis ». Manilius, Astron. II, 170 : « Atque ex diverso commissis corpore membris, Ut Capricornus, et hic qui tantum dirigit arcum Junctus Equo ». Conf. ibid. I, 409. Schol. de Signis Zodiaci loquens : « Item quartum quoque eorum, aut Tropicum, aut solidum et deforme ». Lege : « Item quartum quodque eorum aut Tropicum, aut solidum, aut biforme ». Et paullo post pro *deformia* legendum *biformia*.

553. *Patriamque paventem*, ex emendatione Jos. Scaligeri. Motu enim Catilinario natus Augustus, horoscopante, ut putabatur, Capricorno. In Msto : « patriamque parentem ».

Deucalion parvam defundens indicat urnam.
Annua concludunt Syriæ duo numina Pisces
Tempora; at hinc iterum prædictus nascitur ordo
(Lanigeri et Tauri, Geminorum, postea Cancri,
Tunc Leo, tunc Virgo, tum Scorpius, Arcitenensque,
Et gelidus Capricornus, et imbriferi duo Pisces.
Ævi perfecti divisus tollitur orbis.)
Sæpe velis quantum superet cognoscere noctis,
Et spe venturæ solari pectora lucis:
Prima tibi nota Solis erit, quo sidere currat;
Semper enim Phœbus signo radiatur in uno.
Cætera tum pronis ardentia suspice flammis,
Quid cadat, aut surgat, summove feratur ab orbe,
Quantove exsiliunt spatio, quum cærula linquunt;
Namque aliud pernix, aliud majore trahetur

556. ***Deucalion parvam defundens indicat urnam.*** Ita emendavit Grotius. Mendose in Msto: « Deucalion parum defendens indicat ulnam ». Manilius, Astron. I, 272 : « Post hanc inflexam defundit Aquarius urnam ». In Catalectis Pithœi, pag. 168 : « Deucalionis aqua et Pisces postrema figura ».

557. ***Syriæ duo numina Pisces.*** MS *duo nomina*. Lectio nostra ex emendatione Grotii aut omnino explicanda, quia omnes Pisces colunt Syri, teste Clemente Alexandrino, aut de hisce Piscibus tantum intelligenda, quorum alter Venus Syria, alter Cupido. Vid. Hygin. P. A. II, 48; Schaubach. ad Eratosth. Catasterism. p. 118.

558-562. ***Tempora; at hinc iterum,*** etc. Primus versus manifeste corruptus et quatuor sequentes omnino spurii sunt. Neque enim quum jam omnia sidera recensuerit Germanicus, potuit eadem repetere, neque ipsa verba cohærent. Quintus versus ne sensum quidem habet. Rursus alii versus hic desunt, quod ex Arateis facile liquet. Desunt enim omnia, quibus translati fuerunt versus Aratei post siderum Zodiaci enumerationem, usque ad illum : Οὔ κεν ἀπόβλητον (Phænom. vs. 551-559).

567, 568. ***Cætera tum pronis,*** etc. ex emendatione Grotii. In Msto : « Cætera tum proris ardentia suscipe flammis, Quid cadat ut surgat summove feratur ab orbe ». ***Pronas flammas*** dicit, quia ad nos versæ sunt. ***Summo ab orbe ferri*** vocat μεσουρανεῖν.

569-571. ***Quantove exsiliunt spatio..... Oceanum tardo linquentia passu.*** Non sunt hæc ex Arato. Grotius mutavit quædam. In Msto : « cærula lingunt... alius pernix, alius majore... liquentia passu ».

Morc alio, Oceanum tardo linquentia passu.
Quod si nube cava solis via forte latebit,
Occulet aut signum conscendens vertice cælum
Altus Athos, vel Cyllene, vel candidus Hæmus,
Gargaron, aut Ida, Superisve agitatus Olympus,
Tunc dextra lævaque simul redeuntia signis
Sidera si noris, numquam te tempora noctis
Effugient, numquam veniens Tithonius ortus.

ORIENTIA ET OCCIDENTIA CANCRO ORIENTE.

Quum primum Cancrum Tethys emittit in auras,
Excipit Oceanus Minoæ serta coronæ,
Occidit et dorso Piscis caudaque priore;
Mergitur in totos humeros Ophiuchus, et Anguis
Ultima cauda micat, tortus habet illa timendos.

Sensus est imperfectus ob versus unius pluriumve defectum. Non immerito dubitat Grotius, an hæc ad Phænomena, an potius ad alterum opusculum, in quo forte de ortuum et occasuum temporibus egerit Germanicus, pertineant.

572-578. Mendose hæc in Msto leguntur ita : « Quod sine fine cava solis via forte latebit, Occulet aut signum conscendens vertice cælum Altus Athos vel Quillene vel candidus Hæmus, Gargaro nauti dens Superisve agitatus Olympus, Tum dextra lævaque simul redeuntia signis Sidera si noris, numquam te tempora noctis Effugient, numquam ventus Tithonius ortus ». Reposuit Grotius jure suo in versu primo : *Quod si nube cava;* versu tertio : *vel Cyllene;* versu quarto : *Gargaron aut Ide;* versu ultimo : *veniens Tithonius*. Vid. Arati Phæn. v. 363. *Tithonium Ortum* dixit Germanicus ab Auroræ marito.

579. *Quum primum Cancrum*. Sequitur pars tertia ex divisione nostra, cui adstipulatur Leontius de Sphæra Aratea, vol. I, p. 258.

580. *Minoæ serta coronæ*. MS *Minoiæ*, invito metro. Conf. Avien. vs. 1090.

581. *Occidit et dorso Piscis caudaque priore*. MS *dorsus Piscis*. Male *cauda priore* dixit, non quasi duas habeat, sed quia cauda priore occidit ἐξόπιθεν τετραμμένος secundum Aratum.

582, 583. *Mergitur in totos humeros Ophiuchus*, etc. MS « in totos humero », et *ortus* pro *tortus*. Grotius ad h. l. « Videtur hic deesse versus. Et jam dudum observavi in tertia hac parte, aut Germanicum admodum negligentem fuisse in Arato transferendo, aut exscriptores, quidquid repetitum videretur, suo more delevisse. Dixerat Aratus Phæn. v. 575 : Τὸν δὲ καὶ εἰς ὤμους κατάγει μογερὸν Ὀφιοῦχον Καρκίνος

Nec multo Arctophylax hic longe subjacet astro,
Lumine qui primo quum Scorpius occidit undis,
Occulitur pedibus; durat tamen arduus ore,
Dum rigidum Ægoceri signum freta lucida terret.
Siderea vix tum satiatus luce Bootes
In terras abit, et noctis plus parte relinquit.
At contra nullo defectus lumine, totis
Orion humeris splendebit, magnaque Divi
Vagina et claro cælatus balteus igni.
Cornua et Eridanus liquido feret utraque cælo.

ἐκ γονάτων, κατάγει δ' ὄφιν αὐχένος ἐγγύς. Itaque ne nihil dicamus, hoc adferemus. Versus supra unus superat talis: « Nixa genu facies et primis ignibus Anguis ». Possit videri versus ille huc pertinere. Nam pro ἐκ γονάτων videtur Hyginus etiam ἐγγόνασιν legisse, quum et ille Engonasin Cancro oriente occidentibus adnumeret. Sed diligentius inspicienti facile adparebit nullum hic erratum librarii, sed potius Germanici. Illud ἐκ γονάτων merito neglexit, quia non potest Ophiuchus occidere ad humeros, nisi ab ipsis genubus, immo a pedibus. Hoc recte. Illud αὐχένος ἐγγὺς ita intellexit, quasi diceret a capite ad collum mergi, quum a cauda ad collum mergatur, ut res docet, et Hyginus: « et anguem totum præter caput et cervicem ». Videtur cum Germanico intellexisse Cicero: « clarumque recondit Anguitenens validis magnum a cervicibus anguem ». Aliter enim *ad cervices* dicere debuerat. Quo in loco epithetorum duorum conjunctio ἑλληνιστὶ insolens librariis occasionem dedit nullo sensu legendi: *Cancrumque recondit*. Consentit igitur Cicero cum Germanico. Dubito an et Avienus, 1098: « Cancer premit ortus, et Anguem Agmine qua vasto fluitat caput, aspera cervix Qua tumet, et spiris qua turgent pectora primis ». Ubi *fluitat caput* dixit, ut Aratus de altero Angue: κείνῃ που κεφαλὴ τῇ νήχεται. Germanicus igitur quum dicere vellet, Anguis caput et collum occidere, e contrario dixit, caudam et spiras omnes micare, hoc est, cætera omnia præter caput et cervicem.

584. *Nec multo Arctophylax hic longe subjacet astro.* MS « his longe subjacet astris ». Sed recte emendavit Grotius. Vid. Aratus, Phæn. v. 579: Οὐδ' ἂν ἔτ' Ἀρκτοφύλαξ, etc. Avienus, v. 1101: « Parte nec Arcturus distabit multus utraque ». Alterum Arati versum Germanicus omisit.

585-587. *Lumine qui primo.* Quatuor, inquit Aratus, signis coocceidit Arctophylax, Chelis, Scorpio, Sagittario, Capricorno. Idem vult Germanicus; nam lumen primum Scorpii vocat Chelas.

593. *Cornua et Eridanus liquido feret utraque cælo.* Non intellexit Germanicus Arati versum (Phæn.

ORIENTE LEONE.

At quum prima juba radiarit flamma Leonis,
Quidquid parte micat cælo, hoc nascente sub undas
Omne abit, atque feri venientis effugit ora.
Tota Jovis mersa est pennis stellantibus Ales;
Quique genu posito defessus conditur undis,
Summa genu subversa tenet; qua se Lyra versat,
Crure tenus redit in cælum; vasti caput Hydri,
Et pernix Lepus, et Procyon, et Sirius ipse,
(Totiusque Canis rabidi vestigia prima).

ORIENTE VIRGINE.

Accipe quæ vitent exorsæ Virginis ora:
Delphinus notis jam tum defluxerit undis;

589): Πάντα φέρων ποταμὸν, κέραος παρατείνεται ἄλλου.

594. *Quidquid parte micat cælo, hoc nascente sub undas Omne abit.* Ita versum legi vult Grotius. In MS : « Quidquid parte micat cælo nascente sub nndas ». Possis legere *collo nascente*, quia de juba præcessit. Sed nihil hac de re Aratus. Pro *hoc nascente* etiam rescribere licet *hac nascente*.

598. *Quique genu posito*. Necessario hic aliquid deest. Ait enim Arat. Engonasin totam occidere præter genu lævum. Jam supra conjecit Grotius, versum illum : « Summa genu subversa tenet, qua se Lyra versat », posse referri litera mutata ad eum locum, ubi coorientia Libræ referuntur. Possis etiam eumdem huc nulla mutatione referre, hoc modo : « Quaque genu posito defessus conditur undis Summa genu subversa tenet; qua se Lyra versat Crure tenus redit in cælum ». Idem dicit cum Arato. Cætera omnia, et genu etiam, sive ἐπιγονατίδα (hoc enim est *summa genu*) dextram, ubi ipse nititur, subversa tenet, hoc est, ὑποστρέφει, ut Aratus loquitur. Sed crure illo, ubi Lyra se versat, h. e. dextro redit in cælum, quod satis ἀκυρολόγως dixit pro *nondum occidit*.

602. *Totiusque Canis*. Versus hic videtur Grotio spurius, quia præcessit *et Sirius ipse*. Alius fortasse Arato hic a Germanico non satisfactum putans, hoc addidit, non videns, id cum præcedentibus non cohærere.

604. *Delphinus notis jam tum defluxerit undis*, ex emendatione Grotii. MS *motis... deflexerit*. Dixit Germanicus *notas undas*, quia Delphin est ἔνυδρος. Ita ferme Manilius, Astron. V, 387 : « At quum se patrio producit ab æquore Piscis »; ubi Grotius pro *patrio* legendum putat *proprio*, nam proprium Pisci æquor, ut notæ Delphino undæ; verum optime defendi potest vulgata

Et Lyra dulce sonans, et flammis cincta Sagitta;
Et niveus Cycnus properarit tangere fluctus,
Utraque penna volans caudam vix lucet ad ipsam,
Nigrescitque Padus, terræ qui proximus amnis.
Tum caput abscondet Sonipes, tum tota latebit
Cervix; at contra sublimior Hydra feretur
Cratera tenus; et surgent aplustria puppis
Argoæ, totusque Canis; sed quum pia Virgo
Nascitur, illa ratis media tenus arbore lucet.

ORIENTE LIBRA.

Surgentes etiam Chelas sua signa notabunt:
Exsilit Oceano nunc toto crine Bootes,
Quem claro veniens Arcturus nuntiat ore;
Celsaque puppis habet; cauda minus attamen Hydra;
Nixa genu species flexo redit ardua crure;
Partibus haud aliis; nocte eluctata suprema
Bis solet illa una cælo se ostendere nocte;
Nam si Phœbeos currus, dum longa venit nox

lectio. Apud eumdem Manilium, I, 272: « Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam, Piscibus adsuetas avide subeuntibus undas ».

608. *Terræ qui proximus amnis.* Terræ proximum vocat occidentem. Ita supra: « Siderea vix tum satiatus luce Bootes In terras abit ».

610-612. *At contra sublimior Hydra feretur Cratera tenus; et surgent aplustria puppis Argoæ, totusque Canis.* Veram hanc lectionem restituit Grotius. In MS: « Terra tenus traxit surgentia plustria », mendose. Grotianam emendationem firmat Cicero: « Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra ».

613. *Nascitur, illa ratis media tenus arbore lucet.* Sic puto, versum hunc esse refingendum. In MS: « Nascitur illa ratio media plus arbore lucet ». Quærit Grotius, quomodo plus, quum ipsa non major sit quam a puppi ad arborem, sive malum? Emendavit itaque: « media tenus arbore lucet ». Avienus, v. 1136: « maloque tenus sese exerit Argo, Quum jam virgineos æther vehit altior artus ». Verum etiam *ratio* est corruptela. Reposui *ratis.*

617. *Cauda minus attamen Hydra.* In MS pro *Hydra* positum *illa.* Lectionis corruptela orta ex antiqua scriptura *Idra.* Vid. Aratus, Phæn. v. 611.

619-620. *Partibus haud aliis; nocte eluctata suprema Bis solet illa una cælo se ostendere nocte*, ex emendatione Grotii. MS corruptissime: « Partibus haud alii noctem fluctuata

Occasu sequitur, rursum fugit Oceanum ortu
Crure, simul Chelæ fulgent; quum Scorpius exit,
Haud cunctatus abit; quum Chiron surget ab undis,
Arcusque ipsa pio cælo referetur imago,
Jam totis radiat membris miserabile sidus;
At quum tantus abit, quantum Lyra surgat ab undis,
Argo si pia suo cælo refertur imago,
Imperfecta redit cælo tum tota Corona,
Et Chiron pius ad caudam cognoscitur imam.
Pegasus abscondit toto nunc pectore pennas;
Nec lucet cauda præmersus pectore Cycnus.
Abditur Andromedæ vultus; sed maxima Pistris
Oceano insequitur venientis Virginis ora;
Crista super cælo fulget, caput abditur ipsi.

suprema; Bis solet illa una cælo se ostendere noctem ».

623-626. *Crure, simul Chelæ fulgent*, etc. Versum unum transposuit Grotius, Arato (Phæn. v. 620), postulante. *Abit* dixisse videtur Germanicus, ut supra *exit*, pro *fulget* et *exilit* pro *oritur*. Referendum autem hoc verbum etiam ad illud præcedens *Crure*. *Chiron* est Sagittarius. In Catalectis Pithœi, p. 168 : « Centaurusque senex Chiron, et cornua Capri ». Et illud ibidem : « Tu geminus Chiron et Corniger æquoris alti »; ubi *geminus* nihil aliud est quam *biformis*. Versum penultimum olim ita refinxerat Grotius: « Argous ipsa pio cælo referetur imago »; quæ quidem lectio quamquam propius ad MS, nihil tamen ad sensum erat. *Pium cælum* dixit poeta, ut supra de Lyra: *pio cælo nitet*. Occurrit quoque *miserabile sidus* jam supra: « Succiduis genibus lapsum et miserabile sidus ».

628. *Argo si pia*, etc. Sic MS. Sed malus versus et imperfectus. Ed.

629, 630. *Imperfecta redit cælo*, etc. Male MS « quum tota Corona ... Chiron prius... cognoscitur una ».

631. *Pegasus abscondit toto nunc pectore pennas*. Grotius conjiciebat *vertice* pro pectore, quia Aratus, Phæn. vs. 627, habet: Τῆμος ἀποιχομένην κεφαλὴν μεταδύεται Ἵππος. Sed Cicero quoque caput non expressit : « Hic se jam totum cæcas Equus abdit in umbras ». Versu quoque sequenti pectus nominat Germanicus, quod non nominat Aratus. Sed mens Germanici et Arati, si recte spectetur, hæc est : Equus, qui ante capite et collo erat submersus, nunc totus occidit. Et hoc est : κεφαλὴν μεταδύεται Ἵππος. Cycnus, qui sub Virgine pectore et pennis occiderat, nunc totus recedit. Hoc enim est: « Præmersus pectore Cycnus ».

633, 634. *Additur Andromedæ vultus*, etc. ex emendatione Grotii. Proponit idem primum versum hoc

Regalis Cepheus altis intactus ab undis.

ORIENTE SCORPIO.

Scorpius exoriens, quum clarus fugerit Amnis,
Scorpius Oriona fugat, pavet ille sequentem.
Sis vati placata, precor, Latonia Virgo;
Namque ego non primus, veteres cecinere poetæ,
Virginis intactas quondam contingere vestes
Ausum hominem Divæ sacrum temerasse pudorem.
Devotus pœnæ tunc impius ille futuræ,
Nudabatque feris angusto stipite silvas,
Pacatamque Chion dono dabat Œnopioni.
Haud patiens sed enim Phœbi germana repente
Numinis ultorem media tellure revulsa
Scorpion ingenti majorem contulit hostem.
Parcite, mortales! numquam levis ira Deorum!

modo legendom : «Abditur Andromedæ vultus; sed maxima Pistris». Sensus est : «Andromedæ vultus occidit, qoam Oceano venientem insequitur Pistrix, coi crista adhuc in cælo fulget; nam ut Aratus, Phæn. vs. 632, ἐς λοφίην τετραμμένον ἄχρι παρ' αὐτὴν Δύνει· Capite occidit. Avien. vs. 1174: «Tingitur ab spina capiti qnæ proxima summo est».

636. *Regalis Cepheus*. Videtur deesse versus similis illi Ciceroniaoo: «Hanc cootra Cepheus noo cessat teodere palmas». Dissentit autem Germanicus ab Arato; oam quum ille dixisset, Cephea capite, mano et humero submergi, verius Cephea intactum ah uodis dicit, quia in elevatione Cycni et similibus Cepheus noo occidit. *Regalem* vero dixit ipsum Regem.

637. *Quum clarus fugerit Amnis.* MS male «quam clarus fulserit aonus». Simul eoim Scorpius oritur et Eridanus occidit.

644. *Angusto stipite*. Angustum stipitem vocat poeta, qood Aratos κορύνην, aot potius προβόλιον sive σιβύνην, qoalem habere fertur Chiron, similiter venator. Erant autem stipites acumeo habeotes, quorum mentio io Cyneget. Xenophontis.

645. *Dono dabat Œnopioni.* Avienus, vs. 1183: «Audax ut facinus donum foret OEnopioni».

646. *Haud patiens sed enim Phœbi.* MS «Ad patiens eteoim Phœbi», meodose.

647. *Media tellure revulsa.* Sic MS et Arat. Phæo. v. 642.

649. *Parcite, mortales!* Simile epiphooema illod Avieoi hoc loco, vs. 1199: «ista fnrori Præoia debeutor; sunt hæc commercia læsis Semper Nnmioibos».

Horret vulnus adhuc et spicula tincta veneno
Flebilis Orion, et quamquam parte retecta
Teli pæne fugit, tamen altis mergitur undis,
Scorpion ardenti quum pectore contigit ortus.
Nil super Andromedæ; nil Pristis luce fruetur;
In caput atque humeros rapit orbis Cassiepeiam,
Declivemque trahunt æterni pondera mundi,
Corruptaque cadit forma, certaverat olim
Qua senis æquorei natis, quum litore Canchli
Doridos et Panopes spectasset stulta choreas.
Illa abit Oceano. Totius serta Coronæ
In cælum redeunt. Totum se liberat Hydros.
Cruribus exspectat Chiron obscurior Arcum,
Corpore jam vasto, jam toto vertice clarus:

650. *Horret vulnus adhuc.* Avien. vs. 1201 : « metus hic, metus acer in astro Permanet ».

651-653. *Et quamquam parte retecta... Scorpius ardenti quum pectore contigit ortus*, ex emendatione Grotii. Hyginus Oriona Sagittario oriente primum occidere dicit; Aratus Scorpio: quas sententias ut conciliet, ait Germanicus, quamquam Orion fugiat, sive occidat jam tum, quum pars aliqua Teli, hoc est, Sagittarii, orta est, tamen posse etiam dici, Scorpio oriente, submergi, parte scil. priori, ut et ipse Hyginus in asterismo Orionis testatur. *Telum* dixit pro *Sagittario*, ut sæpe Aratus τόξον, quod tam telum quam arcum designat. Arat. Phæn. v. 305: ἤτοι γὰρ μέγα τόξον ἀνέλκεται ἐγγύθι κέντρου Τοξευτὴς, ubi Germanicus et Cicero *arcum* posuerunt. Avienus *telum* vertit vs. 691. Quo in loco similiter vulgo *Cælum* legebatur, quod Grotii conjecturam firmat.

655, 656. *In caput atque humeros*, etc. MS mendose « Cassiepeia ..... Declinemque trahunt æterno pondere mundi ». Cf. Arati Phæn. vs. 653.

657-659. *Corruptaque cadit forma*, etc. Ita versus hos restituit Grotius. MS « cadunt... Qua sinus æquorei natis, cum litore Cancri... » « Senex æquoreus » est Nereus, ἁλιὸς γέρων apud Græcos. *Litore Canchli* substituit Grotius ex Plinio, qui Canchleos nominat ea ferme in parte, ubi Cepheos regnum. Malit forte alius *Cenchri*, sed Cenchrea procul ab Æthiopia. Quod autem Aratus dixerat Phænom. vs. 660, στεφάνοιό τε δεύτερα κύκλα, non magis Germanicus intellexit, quam Cicero vel Avienus, qui omnes de Corona septemtrionali intelligunt. Scholiastes quoque Græcus hoc in loco nugatur. Solus Hyginus monet, intelligenda ista Aratea de corona Sagittarii.

662, 663. *Cruribus exspectat Chiron*, etc. Sic legit Grotius mutatis

Tum fera, quam dextra portat Centaurus, in auras
Exsilit, et claris aperitur flexibus Anguis;
Innixusque genu læva minus æquora linquit.

ORIENTE SAGITTARIO.

At quum prima subit facies remeabilis Arcus,
Jam sicca Oceano Chiron pernicia crura
Expulit, et celsis Ophiuchus fulget in astris.
Nil trahit obscurum Serpens, sed trunca recepta
Desinit esse manu rediens deformis imago.
Jam Lyra cum superis; et Cycni dextera penna;
Radit tellurem rediens cum sidere Cepheus;
Tum Canis abscondit totius corporis ignes;
Et latet Orion; et semper tutus in undis
Est Lepus, Argoæque ratis, qua flexile signum
In puppim formatur, adhuc aplustria lucent;
Mergitur et Perseus, et Capræ nobile lumen.

et transpositis vocibus. Quod sequitur *Tum fera*, de Scorpio adhuc intelligendum, non de Sagittario.

667. *Remeabilis Arcus*. Ita mavult Grotius. MS *Arcu*. Per Arcum totum signum Sagittarii indicat etiam Aratus, ut supra dictum est. *Remeabilis* dixit Germanicus eodem sensu, quo Avienus *reparabilis* alibi: « absolvit totos reparabilis annos ».

669. *Expulit, et celsis*. Deest copula in Msto, qua versus carere non debet.

670, 671. *Sed trunca recepta*, etc. ex emendatione Grotii. MS « Desinit esse manum mediis deformis imago », mendose. Engonasi jam ortus (hoc enim est *rediens*, ut supra: *Crure tenus redit in cælum*, et infra: *rediens cum sidere Cepheus*) manum lævam recipit. De capite tacet.

672. *Cycni dextera penna*. Hoc ex Arato non est; verum tamen; neque enim Lyra oriri potest, nisi una dextera Oloris ala oriatur. Quod vero sequitur *radit tellurem*, ideo est, quia didicerat Germanicus, Cephea in ista poli elevatione oriri non posse. Dixerat autem Aratus, oriri eum στήθεος ἄχρις, quod aliter Avienus interpretatur, quam Hyginus et Marcianus Capella. Avienus, quasi a pedibus usque ad humeros sit conspicuus, quod *verisimilius*; neque enim *verum*, ut diximus. Alii, quasi solo capite et humeris oriatur.

676, 677. *Argoæque ratis qua flexile signum*, etc. MS perperam *flexile lignum*. Est *flexile lignum* χηνίσκος, *curvum* Avieno. *Aplustria* non ea, quæ in malo, ut vulgo putatur, sed in puppi, ἄφλαστα Græcis, unde etiam nomen dedu-

ORIENTE CAPRICORNO.

Aurigam totum abscondit veniens Capricornus,
Atque omnem ornatum venerandæ numine puppis.
Tum Procyon obscurus abit; redit armiger uncis
Unguibus, ante omnes gratus tibi, Jupiter, Ales;
Omnibus et stellis Cycnus redit, et leve Telum,
Et parvus Delphinus, et apta Altaria sacris.
(Eminus exsurgit Minoia nota Corona.)

ORIENTE AQUARIO.

Hydrochous cælum scandens simul evocat, ore
Et cervice tenus fidentem Pegason alis.
Aversum Chirona trahit nox atra sub undas,
Oceanus caudam tingit, nondum capit ora,
Non vastos humeros, non pectora tristia setis.
Hydram plus mediam tundit, pars tertia lucet.

ORIENTIBUS PISCIBUS.

Hanc Pisces abdunt orti, geminumque biformem;

ctum, quidquid nugetur Festi mutilator. Cæterum videbantur Grotio hic desiderari versus aliquot de *Auriga* respondentes Arateis Phæn. 679: Ἀλλ' οὐχ' Ἡνιόχῳ Ἔριφοι, οὐδ' ὠλενίη Αἴξ Εὐθὺς ἀπέρχονται. Sed potuit Germanicus quoque illos omisisse, quia non ad rem facere videbantur.

680. *Atque omnem ornatum.* MS *omne ornatum*, vitiose. Intelliguntur *aplustria*. Festus: « Aplustria navium ornamenta ». Puppim dicit Germanicus venerandam Numine, quia in puppibus erant *παράσημα* et Deorum effigies. Erat autem Argo in tutela Palladis. Val. Flacc. Argon. VIII, 202: « Puppe procul summa vigilis post terga magistri Hæserat auratæ genibus Medea Minervæ ».

684. *Et parvus Delphinus.* Avien. vs. 1270: « Delphinum patulas promit Capricornus in auras ». Quod tamen deest in Arato.

685. *Eminus exsurgit Minoia nota Corona.* Versus est spurius, videturque conflatus et depravatus ex duobus istis: « Excipit Oceanus Minoæ serta Coronæ »; et « Imperfecta redit cælo tum tota Corona ».

690. *Non pectora tristia setis.* Egregia Grotii emendatio. MS « tum pectora tristia sertis », male. Chironis pectora equinis partibus adnumerantur. Avienus, vs. 1275: « persistit pectore celso Cornipedis species ».

691. *Hydram plus mediam tundit.* Usitatius forsitan *plus media.* Sed potest quoque *plus mediam* servari, ut sæpius apud Latinos obvium.

692. *Hanc Pisces abdunt orti*, etc. Male MS « Hanc Pisces addunt

Quum geminos Pisces Aquilonis provocat aura,
Ille etiam surgit, qui tristes respicit Austros;
Piscibus ille simul surgit, sed liberat ortus,
Quum pernix Aries in cælum cornua tollit.
Pisces educunt Cepheida; lætior illa
Nereidas pontumque fugit, cæloque refertur.

ORIENTE ARIETE.

Ortus Lanigeri properabunt condere sacrum
Turibulum; patrio fulgebit in æthere Perseus.
Persea quum pennæ reddunt, jam Plias ab undis
Effugit, et dextro Tauri cognoscitur armo.
Fixus et in curru trahitur sine curribus ullis
Myrtilus; haud totum cernes; non integer ipse
In cælum redit, at pars dextera mergitur undis;

orti tumque biformes ». Biformis dicitur Sagittarius; similis in Chirone ratio, nisi quod hic non sit inter duodecim illa celeberrima sidera.

695. *Piscibus ille simul surgit, sed liberat ortus.* Ita legendum est. MS *et liberat ortus.* Verum aliud est *surgere*, aliud *ortus liberare.* Nam *surgere* est οὐκ ἅδην, imperfecte, ut loquitur etiam Aratus. Similis differentia inter *surgere* et *mergi.*

697, 698. *Lætior illa Nereidas*, etc. MS « Nereidos, pontoque fugam », sine sensu. Andromeda, inquit poeta, gaudet, se Nereidas et pontum effugisse, causam scil. et locum periculi. Multo hic auctior Aratus, qui ait, dimidium Andromedæ sub Piscibus, dimidium sub Ariete oriri. Sed hæc non tam pensiculate observat Germanicus.

700. *Patrio fulgebit in æthere.* Cf. Arat. Phæn. v. 253.

701, 702. *Persea quum pennæ*, etc. MS « Persea quum pinnæ redeunt ... Tauri et cognoscitur », male. Pleiades sub poplite Persei lævo sitæ sunt; itaque cum eo oriuntur; sunt autem Pleiades in dextro Tauri armo, ut ex asterismis adparet, et hic indicat Germanicus. Veteres tamen Astronomi seorsim eas a Tauro effingebant, ut Hyginus docet A. P. II, 21. Inde intelligendus alius Hygini locus in Tauri asterismo : « Inter hujus finitionem corporis et Arietis caudam stellæ sunt VII, quas Vergilias nostri, Græci autem Pleiadas adpellaverunt ». Et scholiastes Germanici, cujus locus est mutilus : « Ab excisione Tauri usque ad id* quod septem stellæ sunt, quas quidam Pleiades dicunt »; ubi *excisio Tauri* est τομὴ Ταυροῦ. Conf. Arat. Phæn. vs. 322.

703-705. *Trahitur sine curribus*, etc. Ita versus hos restituit Grotius. MS « sine curribus illis... aut to-

Vertice lucebit; teneros manus efferet Hædos;
Læva Jovis nutrix humero radiabit in ipso;
Proxima telluri nascetur planta sinistra.
Cætera cum Geminis perfecto sidere surgent.

ORIENTE TAURO.

Tauro Pistricis pariter cristæque refulgent
Caudaque; vicinum terris jam cerne Booten;
Et quum se genibus demisit pars Ophiuchi,
Signum erit Oceano Geminos remeare relicto.

ORIENTIBUS GEMINIS.

Totaque jam Pistris lucebunt squammea terga;
Eridani et primos deprendat navita fontes,
Cælum conspiciens, dum claro se movet ortu
Orion; habet ille notas, quæ tempora noctis
Significent, ventosve truces, fidamve quietem.

tum cernens, quum interit ipsum ... et pars dextera ». Supra Germanicus: « Sic nulli currus, etc. »

707. *Radiabit in ipso.* MS *radiavit.* Capellam, quæ lævum Aurigæ humerum obtinet, Jovis nutricem perhiberi, notum est. Manil. Astron. I, 366: « Nobilis et mundi nutrito rege Capella ».

710, 711. *Tauro Pistricis pariter,* etc. MS male *Pistrices pariter... cernet.*

713. *Oceano Geminos remeare relicto.* MS *gemino*, perperam. Cf. Arat. Phæn. vs. 724.

714. *Totaque jam Pistris.* MS *Piscis*, male. Conf. Arat. Phænom. vs. 726.

715. *Eridani et primos deprendat.* MS « Heridani et primo deprendat », contra metrum. *Primos fontes* vocat Germanicus πρώτην καμπὴν (ita enim in Arato, Phæn. 728, legi jubet Grotius, non πρώτης), ut Cicero: « gelido delapsum lumine fontis », ubi forsitan *flumine* legendum.

717, 718. *Quæ tempora noctis Significent.* MS male « quæ tempora noctes Significet ».

VETERIS SCHOLIASTÆ

AD

GERMANICI ARATEA

COMMENTARIA.

Cælum Circulis quinque distinguitur, quorum duo extremi maxime frigidi: Australis humillimus, et Aquilonius excelsissimus. His utrimque proximi duo paralleli vocantur, ut ita dixerim, *æquedistantes:* iidemTropici, iidem Solstitiales: alter Hibernus, per quem Sol transiens ac tenens octavam partem Capricorni, Solstitium hibernum facit: alter Æstivus, per quem Sol transiens ac tenens octavam partem Cancri, Solstitium æstivum facit. Medius est Æquinoctialis, qui octavam partem Arietis tenens, Æquinoctium vernum facit: octava Libræ, autumnale constituit. Ut Circuli in cælo, ita Zonæ in terra vocantur. Inhabitabiles frigidi circuli sunt ob rigorem, quod ab his longissime Sol abest. Sub torrido quidam habitare putant Æthiopiæ maximam partem: item plurimas insulas maris Rubri, aliosque vertices eminentiasque terrarum nostris ampliores. Sub Tropicis habitare nulli dubium est.

Noster Solstitialis Æstivus est excelsus atque arduus. Divisi autem sunt a nobis circulo Æquinoctiali, qui Antichthones nominantur, et videntur humiles atque depressi, qui Antipodes infra sunt: quod ut esse videatur, efficiunt flexus obliquitatesque terrarum, quas Antichthones et Antistochæ et Antisceptæ inhabitare dicuntur. Incipit autem Signifer, non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur: sed ab intimo Tropico australi, brumalique eodem, per Æquinoctialem ad summum Solstitialem, eumdemque Æstivalem per medium (in his longitudo latitudoque), porrectus. Obliquæ circuli

Signiferi partes CCCLXV, signa XII, partium singula tricenarum, quorum quædam minora, quædam ampliora, et populo Canophora dicuntur : sed compensatio quinque partibus creditur adplicari, ut sint omnes Signiferi partes CCCLXV. Horum incipientia ab Ariete, alia sunt masculorum natalibus, alia feminarum. Item quartum quoque eorum, aut tropicum, aut solidum, aut deforme. Incipiet dinumeratio ab Ariete. Signa Tropicorum duo sunt æquinoctialia, Aries et Libra : duo solstitialia, Capricornus et Cancer. Tropicis proxima solida anteposita, his deformia.

Hic est stellarum ordo utrorumque circulorum : Septemtriones duplices ad Austrum vertuntur, figura aversis caudis invicem sibi adversantes : inter quas obliquus dilabitur Draco. Sub unius namque pede est Serpentarius, cujus Serpentarii pedes adtingunt frontem Scorpionis. A latere autem retro stat Custos : sub pedibus quidem ejus Virgo, habens igneam in manibus spicam : retrorsus vero, vestigiis ejus adjacens Leo, medio æstivo Solstitio Cancer et Gemini. Genua autem Agitatoris caput Gemini adtingunt : pedes autem ejus Tauri cornibus junguntur, cujus Hæduli desuper obtinent locum Septemtrionis. Habet autem Septemtrio a dextris juxta Coronam desuper Serpentem in manibus Serpentarii, et eum qui in Geniculo stat, et sinistro pede septemtrionalis Draconis verticem calcans, unum brachium Libræ, alterum dans Coronæ. Nam minori Septemtrione ultimus pes Cephei continetur, Cycnum manu dextra adprehendentis : super cujus alas Equus extendit pedem, et super Equum Aquarius extollitur, juxta quem Capricornus est. Sub Aquarii pedibus Piscis magnus austrinus, constituta ante Cepheum Cassiepeia : et a dorso Agitatoris Perseus pedem extendit : super Persei caput Cassiepeia pedibus properare videtur. Inter Cycnum igitur et eum qui in Geniculo stat, Lyra constituitur. In quorum medio desuper ab oriente Delphinus cognoscitur : sub cujus cauda est Aquila, in proximo habens Serpentarium. Sed jam de aquilonio circulo dictum est; nunc ad australem ordinem properemus.

Sub aculeo Scorpionis Sacrarium constitutum est; sub corpore ejus anteriora Centauri videntur, in quo est bestia. Conspicitur et Sagittarii pes summus ex alia parte. Sub australi circulo prope Centauri membra Hydræ cauda, et Cornus; ad genua Virginis urna est posita : a sinistris Orionis (qui et Incola) Fluvius, qui et Padus, necnon et Eridanus : sub pedibus Orionis, qui et Incola di-

citur, Lepus splendida effigie conspicitur. Retrorsum vero a pedibus ejus Canis splendida refulget: post cujus caudam Navis constituta est: ad Tauri pedem protendit manum Orion: pedibus Gemini adpropinquat Anticanis: super caput Arietis non longe ab Andromedæ pedibus Triangulus positus est; sub Ariete et Piscibus Cetus; connexio vero Piscium communem habet stellam.

SCHOLIUM I ad vs. 1 et 2.

Ab Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis genitor tu maximus auctor.

Quæritur cur a Jove incœperit, et non a Musis, ut Homerus? Conveniens magis hoc existimavit principium Phænomenis, uti Jovem invocaret, quod ipsorum carminum origo est Jupiter. Non solus autem ita cœpisse videtur Aratus, sed et Crates Comicus, a Vesta incipiens et profari carmina; Sophron in mimo, qui Nuntius inscribitur, a Vesta incipiens. Omnes invocant Jovem omnium principem. Sed quæritur cujus Jovis meminerit, utrumne fabulosi, an naturalis? Et philosophi quidem plurimi naturalis aiunt eum Jovis meminisse. Sed Crates ait, Jovem dictum cælum; invocatum vero merito, quia in aere et æthere sunt sidera; et Homerum dixisse Jovem in aliqua parte cælum. Et ipse Aratus, quod dicit Herodotus, Jovem dictum aera, et Crates quidem ejusdem est opinionis, testemque esse Philonem Comicum dicit. Hoc autem constat et ipsum dicere. Nam quia nihil aliud est Vox, quam percussus aer, videtur convenienter dixisse, quæ rei præstent auctoritatem, plenas Jove vias referens, et omnes hominum conventus. Nihil eorum, quæ in terra sunt, sine aere est: ratione etiam, cujus omnes usum desideramus. Nam cuncti mortales ostendunt usum suspirio, et quum vivimus, aere indigemus. At quod ait, *Dextra monstrat*, ad auguria pertinet avium.

Propter quod et Stoici Jovem esse adfirmant, qui per materiam manat spiritus, et similis est nostræ animæ. (Zenodotus autem Ætolus et Diodorus aiunt, nec ad fabulosi Jovis sufficere ejusmodi opinionem : esse enim talem causam Jovis, et convenire omnes vias eo confertas, quas tantum loco ejus describit. Dicendo autem, « Etiam genus », ostendit animæ immortalitatem. Bene, propterea quod ait: noverat enim virtuti aliquid æmulum futurum. Dei igitur adversus delicta lenem esse, est, quoniam omnium parens adfirmatur, et non solum hominum, sed etiam Deorum.)

SCHOLIUM II ad vs. 21 et 25.

......Extremum geminus determinat axem,
Quem Graii dixere polum; pars mersa sub undas
Oceani, pars celsa sub horrifero Aquilone.
Axem Cretææ dextra lævaque tuentur
Sive Arcti, seu Romani cognominis Ursæ,
Plaustrave.....

Vertices extremos, circa quos Sphæra cæli volvitur, Polos Græci nuncupaverunt, e quibus unus est australis, qui terræ objectus a nobis numquam videtur; alter autem septemtrionalis, qui boreus vocatur, et numquam occidit.

Duæ sunt Arcti, quarum majorem vocant, Helicen; minorem, Canis caudam. Alterutra quidem harum capita deorsum, alterutra sursum adspiciunt. Altera namque Helice est, quæ adparet prima noctis : altera, pusilla quidem, sed a navigantibus observatur; maria enim conturbat. Helicen autem dicit Hesiodus Callisto Lycaonis regis filiam fuisse, et in Arcadia solitam cum Diana venari, et in montibus vagari, et a Jove compressam, rem celasse Dianam. Quam gravidam, nudam se lavantem quum adspexisset Diana in lavacro, partum ejus accelerans, bestiam eam esse jussit; et

dum esset ursa, Arctum enixa est, quem Arcadem vocant. Amphis autem comicus poeta refert, Jovem in Dianæ effigiem transfiguratum in venatione Callisto oppressisse; tempore partus plena quum vexaretur, Dianæ culpam indicasse, et iratam Dianam in ursam transfigurasse. Quæ dum in montibus vagaretur, a quibusdam pastoribus adprehensa, cum puero perducta est ad Lycaonem; post tempus in Lycæi Jovis templum confugientem, quum eam Arcas filius sequeretur, quo eam nefas erat intrare, ab Arcadibus utrique interfecti sunt. Jupiter autem utrosque cæli astris intulit, Ursamque eam nominavit. Ovidius a Junone in bestiam conversam scribit. Habet autem stellas in capite septem, in singulis humeris singulas obscuras, in armo duas, in pectore unam, in pede priore claras duas, in summa cauda claram unam, in ventre claram unam, in spina unam, in crure posteriore duas, in extremo pede duas, super caudam tres; fiunt omnes XXIV. Porro Arctus minor a pluribus Phœnice, a Græcis Arctophylax, a nonnullis Canis cauda vocatur. Quam Sidones adspicientes continuo navigant. Dicitur a Jove inter astra collocatus, ut duplex honor Helices monstraretur. Agathosthenes quidem in Asiaticis carminibus, Cynosuram dicit Jovis fuisse nutricem, unam ex Idæis nymphis, a qua in Cretæ oppido Hystoe Nicostratus constituit portus, et circa eum locum Cynosuram fuisse cum Telchiniis, qui dicuntur Curetes Idæi. Aratus Cynosuram et Helicen Cretenses Jovis nutrices fuisse dicit, ob quod sunt cælesti donatæ honore.

Habet autem stellas, in humero splendidam unam, in pectore claram unam, in ventre claram unam, super caudam claras tres: fiunt omnes septem supra alias decem, quæ præcedunt et dicuntur ludentes: et maxime altera, quæ vocatur Polus, in quo a quibusdam putatur totus orbis circumverti.

SCHOLIUM III ad vs. 48 et 50.

Has inter medias abrupti fluminis instar
Immanis Serpens sinuosa volumina versat
Hinc atque hinc.....

Inter ambas ergo Arctos maximus flexuoso corpore adjacens Draco, qui utramque Arcton flexuoso corpore semicingit, Helices supervolvit caput, Phœnices circumcingit caudam. Hunc Pherecydes dicit inter astra collocatum beneficio Junonis, eo quod quum nuberet Jovi Juno, Diis offerentibus munera, Terra quoque obtulerit aurea mala cum ramis, quæ Juno in hortum suum, qui erat apud Atlantem, inferri jussit, et Hesperides Atlantis filias custodes posuit, quæ quum a filiabus Atlantis subtraherentur et sæpe vexarentur, Juno custodem horti Draconem pervigilem implicuit arbori, quem Hercules interfecit, et illa astris intulit. Hunc alii Jovem astris intulisse dicunt, ob memoriam virtutis Herculis, Minervæ objectu, quem illa contortum cælo immisit, et inter Septemtriones locavit. Habet autem stellas, in capite splendidas tres, in corpore vero usque ad caudam XII, ab invicem distantes. Sunt autem omnes XV.

SCHOLIUM IV ad vs. 64 et 65.

Haud procul Effigies inde est defecta labore,
Non illi nomen, non magni caussa laboris.

Draconem immensæ magnitudinis, hortorum custodem insomnem, dum a Junone ad custodienda aurea mala esset constitutus, Hercules, quum ad mala aurea profectus fuisset, ut refert Panyasis in Heraclea, fertur peremisse; et idcirco inter astra Jupiter hunc laborem memoria dignum honorasse, et utrosque sideribus intulisse, ita ut in certamine

fuerint eorum habitus, serpentis capite jam desecto; qui ideo in genu stans, manibus sursum extensis, dextro pede contra draconem porrecto pingitur, ut certaminis labor significetur. Ideo pellem leonis in sinistra manu habere fingitur, ut insigne virtutis monstretur, quia leonem inermis interfecisse narratur. Habet autem stellas, in capite unam, in singulis humeris singulas splendidas, in sinistro cubito unam, in eadem manu unam, in eodem brachio unam, in sinistro femore unam, in dextra parte femoris duas, in coxa duas, in genu dextro unam, in eadem tibia unam, in crure duas, in eodem pede unam, in dextra manu unam, in clava, quam eadem tenet manu, unam, in leonina pelle quatuor. Sunt omnes XXIV.

SCHOLIUM V ad vs. 69 et 70.

Claro Ariadnes qua sacrata est igne Corona,
(Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.)

Hæc corona dicitur esse Ariadnes, quam Liber astris intulisse dicitur, dum ejus nuptias Dii in insula Creta celebrarent, cogitans præclaram facere, pro qua primum nova nupta coronata est. Sed qui Cretica conscripsit, refert, quia quum Liber ad Minoem regem venisset, ut Ariadnen filiam ejus duceret uxorem, coronam dono Ariadnæ dedisse Vulcani opere factam ex auro et gemmis pretiosis, et talis fulgoris fuit, ut Thesea ex Labyrintho liberaret, quæ post astris adfixa est, quum in Naxon utrique venissent. (Signum amoris ejus crines ostendunt, et est stellis fulgentibus sub cauda Leonis. Habet autem stellas novem in circuitu positas, quarum tres sunt splendidæ.)

SCHOLIUM VI ad vs. 71 et 79.

Terga nitent stellis; at qua se vertice tollit,
Succiduis genibus lassum et miserabile sidus,
Hac Ophiuchus erit......................
Lux tenuis manibus, per quas elabitur Anguis
Pressus utraque manu, medium cingens Ophiuchum.

Hic est Serpentarius, qui super Scorpionem stat, tenens utraque manu Serpentem, qui ab astrologis dicitur fuisse Æsculapius, filius Apollinis; qui, quum medicinæ arte uteretur, mortuos fertur suscitasse. Quamobrem iratus in eum Jupiter domum ejus ipso fulminis ictu percussit. Rogatu autem Apollinis patris, Jupiter ei arte sua rursus post obitum defuncto animam restituisse ad vitam, et inter astra constituisse putatur. Habet autem stellas, in capite claram unam, in singulis humeris claras singulas, in sinistra manu tres, in dextra quatuor, et duas ex eis claras: in singulis lumbis singulas, in singulis genibus singulas, in dextra tibia claram unam, in singulis pedibus singulas claras. Sunt omnes XVII.

Serpens, quem tenet in manibus, habet stellas in orificio duas, in flexura capitis spissas quatuor, in manu Ophiuchi duas claras, in prima flexura octo, in secunda, quam tenet in dextra manu, alias octo, in tertia usque ad caudam sex. Fiunt omnes stellæ Serpentis triginta.

SCHOLIUM VII ad vs. 80 et 81.

Scorpius ima pedum tangit, sed planta sinistra
In tergo residet, vestigia dextera pendent.

Scorpius sane inter astra a Jove illatus est, pro eo quod ferunt ex terra ortum, submissumque qui Oriona interficeret ob ejus loquacitatem, quod ex venatione nullam se feram relinquere diceret; isque Oriona percussit et occidit,

et inde a Jove astris illatus est, ut ejus naturam futuri homines intelligerent. Nigidius autem dicit, scorpionem ad perniciem Orionis in insula Chio in monte Chelippio ortum, voluntate atque ope Dianæ. Nam quum in monte Celsionio venaretur, irridens Dianam, contemnebat ejus opera, quæ in monte constituebat. Itaque Diana dicitur misisse scorpionem, qui Orionem vita privaret: postea ab Jove impetrasse, ut Scorpio in duodecim signorum memoria constitueretur. Hic ob magnitudinem in duo domicilia partitur. Etenim ad aliud tendunt brachia ejus, ad aliud corpus et cauda et aculeus. Habet autem stellas in unoquoque cornu duas, in ore unam claram, in fronte duas, in dorso claras tres, in ventre duas, in cauda quinque, in aculeo duas. Sunt omnes XIX. Ex his quatuor, quæ sunt in cornibus ejus, duæ priores claræ, et duæ obscuræ Libræ adsignantur, quam Chelas Græci dicunt.

SCHOLIUM VIII ad vs. 89 et 90.

Ipsam Helicen sequitur senior, baculoque minatus,
Sive ille Arctophylax.

Bootes, qui et Arcturus, fertur esse custos Plaustri, eo quod Plaustrum sequitur, id est, Septemtriones, et quasi succinctus sit Septemtrionibus. Hunc dicunt Arcadem Jovis filium esse, de cujus post nomine Arcadia dicta est, quem Lycaon Pelasgi filius, quum Jovem hospitio recepisset, infantem membratim laceravit, et Jovi in epulis adposuit, tentans Jovem, utrum Deus esset. Jupiter autem dicitur domum Lycaonis fulmine incendisse, eoque loco civitatem constructam, quæ Trapezos adpellata est; Lycaonem vero convertisse in lupum, Arcadem autem compactis membris ad vitam reduxisse, et cuidam caprario dedisse nutriendum. Qui quum adulta jam ætate esset, matri inscius vim inferre voluit, quos quum incolæ Lycæi montis occidere vel-

lent, Jupiter utrosque liberans, astris intulit: qui, ut res gesta est, ita manent, illa ursæ naturæ, hic impetum faciens, quem Bootem Homerus vocat. Habet autem stellas, in dextra manu quatuor, quæ non occidunt: in capite claram unam, in singulis humeris singulas, in singulis mamillis claras singulas, in dextra parte corporis sub mamilla obscuram unam, in dextro cubito claram unam, inter utraque genua claram unam et magnam, quæ est Arcturus; in singulis pedibus singulas. Fiunt omnes XIV.

SCHOLIUM IX ad vs. 95 et 96.

Virginis inde subest facies, cui plena sinistra
Fulget spica manu, maturisque ardet aristis.

Ad adspectum autem Bootis Virgo constituta est, quæ Erigone dicta est, quæ inter Leonem et Libram in Zodiaco locum tenet. Hanc Hesiodus Jovis et Themidis filiam esse dicit, nomine Justam. Hunc sequutus Aratus dicit, quod quum esset immortalis, in terris morabatur, et a virorum adspectu se subtrahere solita, cum feminis consulto ludere et conversari videbatur, et ab eis Justa vocabatur, et nondum inter homines nequitiam, neque navigationem fuisse: sed illam in terris moratam, æquitatem hominibus præstitisse eo sæculo, quod aureum dicebatur. Sed postquam diminuti homines a pietate quieverunt, illa cum eis minime conversata est: postquam vero hominum mores in deterius versi sunt, in toto se e terris abstulit, et in ea parte cæli habitavit, qua enumeratur. Nonnulli autem eam esse Cererem, eo quod spicas teneat: alii Atargatin; quidam vero Fortunam, pro eo quod sine capite astris infertur. Nigidius de Virgine ita refert: Virginem Justitiam dici, sive Æquitatem, quæ ab hominibus recesserit, et ad immortales merito transierit. Nam quum inter mortales conveniret,

8.

omnibus locis conciliabulisque solitam consistere, et præcipere hominibus, ne temere a justitia et æquitate discederent: qui quamdiu monitis ejus obedirent, diu in vita sine cura et solitudine futuros: sed quum negligentius æquitatem observantes declinarent, insidiisque, cupiditate et avaritia alter alterum deciperet, ab hominibus discessisse, et digna cælesti numero immortale præmium pietatis possedit. Habet autem stellas in capite obscuram nimis unam, in singulis humeris singulas, in unaquaque ala obscuras duas: ex eis quæ sunt in dextra ala a parte humeri, est clara una, et in singulis cubitis singulas, in singulis manibus singulas: illa quæ dextra, clarior est, et vocatur Spica: in tunica obscuras sex, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes decem et novem.

SCHOLIUM X ad vs. 146 et 147.

Qua media est Helice, subjectum respice Cancrum;
At capiti suberunt Gemini.

Hi dicuntur Castor et Pollux, fratres Gemini maxima concordia, e quibus quum unus cecidisset in pugna, quam adversus Athenienses gerebant, alter immortalitatem accepit, quos Jupiter utrosque cælo intulit sideribusque Geminos nominavit, qui Salutares sunt adpellati. Nam et horum stellæ ita se habent, ut occidente una, oriatur altera. Alii volunt Zethum et Amphionem esse; ideo unus zonam, alter lyram habet. Nigidius Deos Samothracas dixit, quorum argumentum nefas sit enumerare, propter eos, qui ministeriis præsunt. Item dicit Castorem et Pollucem, Tyndaridas, Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur: quod mare totum prædonibus maleficisque pacatum reddidissent, et quo in tempore navigaverint cum Jasone atque Hercule ad pellem inauratam auferendam, mul-

tis laboribus tempestatibusque conflicti, periculorum atque animorum experti, impendia laboribus liberare studuerunt: atque quum a Jove essent elati, petierunt a patre, ut sibi liceret in eo cæli loco constitui, unde mortalibus auxiliantes prospicere possent. Quamobrem eis concessum est immortali memoria locoque constitui, et plerisque mortalibus auxiliantes sui conspectus gratiam præbent. Quorum prior habet stellas, in capite claram unam, in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito unam, in eadem manu unam; in singulis genibus singulas, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes novem. Alter qui Propus adpellatur, is juxta Cancrum est, habet stellas, in capite claram unam, in singulis mamillis singulas, in sinistro cubito duas, in eadem manu unam, in sinistro genu unam, in singulis pedibus singulas, in sinistro pede ultimæ distantiæ unam : quæ vocatur Propus. Fiunt simul decem. Hi sunt inter duodecim signa zodiaci circuli : sed in medio circulo æquinoctiali tropici hiemalis, qui Australis adpellatur, sita sunt.

Cancer in astris positus esse dicitur, beneficio Junonis, quod quum Hercules cum hydra ad fontem Lernæum depugnaret, hic cancer Herculis pedem morsu deprehendit, ut Panyasis auctor dicit, quem miratus Hercules, calcatum contrivit, beneficioque Junonis magnis honoribus decoratus est. Idem duodecim signorum numero adnumeratus. Sunt in hoc signo aliæ stellæ, quas Græci ὄνους dicunt, quod quum Liber a Junone insania objecta fugeret, ad occursus Dodonæi Jovis, ejusque in templo responsa peteret, ut Philiscus refert, magni imbres cum grandine orti sunt, ea parte qua transiturus erat; asinis e contrario transeuntibus per aquas, in uno ex his sedens et ipse transvectus est sine periculo, et ab insania liberatus. Uni autem ex his effecisse dicitur, ut voce humana loqueretur, et post paucum tempus cum Priapo contendere cœpit de membro naturali. Priapus compressum asinum occidit. Jovis autem beneficio utrique immortali honore donati astris sunt illati. Est et

altera origo, quæ infertur ab aliis: quod quum adversus gigantes Dii bellum agerent, idem Liber et Vulcanus et Satyri asinis insidentes profecti sunt ad pugnam. Quod genus viso tumultu diro, quum murmure rugissent, gigantes eorum voce territi fugerunt, et confestim Dii de gigantibus triumphaverunt; et idcirco una cum præsepio suo astris sunt illati, et in signo nobilis Cancri positi, cujus cursum ad occasum tendit. Habet autem stellas in cornibus anterioribus duas claras, et tres obscuras, quæ adpellantur Nubilum: quod circa eum videtur, Præsepium dicitur: in ore unam, in dextris pedibus singulas: sunt quatuor obscuræ; in sinistris priores claras duas, in secundo unam, in tertio unam, in extremo minore unam, in testa duas. Sunt omnes XVI.

SCHOLIUM XI ad vs. 147 et 148.

Qua posterior pes,
Horrentesque jubas et fulvum cerne Leonem.

Leo beneficio Junonis inter astra collocatus dicitur, eo quod virtute cæteras præcellat. Periandrus Rhodius refert, eum ob primos labores Herculis, memoriæ caussa, honorifice astris illatum. Nigidius refert, hunc leonem nutritum apud Lunam jussu Junonis, ac in terra Arcadia et regione Nemææ in spelunca quæ Mihdimon nomine fuit, quam quidam Aphriso dicunt, et jussu Junonis ad Herculis exitium dimissum, quem Hercules jussu Eurysthei interfecit cum Molorcho hospite suo, cujus clavam pro viribus tributam principio est adeptus, cum qua leonem interfecit; itaque postea clava pro gladio, pelle pro scuto reliquo tempore uti cœpit, et apud omnes mortales gratus ob virtutem haberi cœpit; Junoni porro magis odio esse. Quapropter leonem cælesti memoria dignatum voluntate Junonis non arbitra-

mur. Hic notabilis et maximus inter signa est. Pleriquc volunt Nemææ gymnicos ludos ob hunc leonem institutos. Hic totus figuratur. Habet stellas, in capite tres, in collo duas, in pectore claram unam, in spina trcs, in cauda media unam, in ultima cauda claram unam, in medio ventre unam, sub pectore duas, in priore pede claram unam, sub ventre unam claram, in medio ventris unam, in posteriore pede claram unam, in genu posteriori claram unam. Fiunt omnes decem et novem. Videntur aliæ stellæ obscuræ septem juxta caudam ejus, quæ vocantur crines Berenices, et sunt earum virginum, quæ Lesbo perierunt. Illa autem magna et clara, quæ in pectore ejus est, adpellatur Tyberone.

SCHOLIUM XII ad vs. 156 et 157.

Est etiam Aurigæ facies, sive Atthide terra
Natus Erichthonius.

Hic agitator Erichthonius dicitur fuisse Vulcani et Minervæ filius. Qui Vulcanus quum Jovi fulmen efficeret, ab Jove promissum cœpit, ut, quidquid vellet, præsumeret. Ille Minervam in conjugem petivit. Jupiter imperavit Minervæ, ut virginitatem defenderet. Dumque cubiculum introirent, certando Vulcanus semen in pavimentum jecit, unde natus est Erichthonius, quem Minerva in cista abscondit, draconeque custode adposito, duabus sororibus Aglauro et Pandroso commendavit. Hic primus currus homines equis junctis docuit similes quadrigæ Solis facere. Primum Panathenæa constituisse, arcem templumque ædificasse dicitur, quem Jupiter miratus astris receptum memoriæ tradidit. In hoc signo et Capra est, quam in humero portat, quæ Jovem nutrivit. Itemque ejus filii Hædi, quos auriga in brachio portat, qui fluctus dicuntur significare,

noscuntur. Musæus de capra hoc refert: datur Jovis infans nutriendus Themidi Amalthææ, quæ fuit domina capræ, quæ ex ea Jovem nutrivit. Esse autem hanc capram filiam Solis dicunt, cujus adspectus tam atrox fuisse dicitur, ut Titanes eam timerent, rogarentque matrem Terram, ut eam abderet. Terra autem in antro clausam Amalthææ tradidit custodiendam, ibique Jovem cum cura Amalthææ educasse. Qui quum esset juvenis, et ille contra Titanas inermis vellet pugnare, ejus pellem dicitur acceptam pro scuto habuisse, quod semper Titanibus agitator timori fuerit, et dicebatur media pelle Gorgoneum caput habere, eo tectus tegmento capræ, tergo alterius pellis tecta restituit, vitæ etiam immortalitate donavit, cælique astris intulit, et ejus pellem adpellavit. Aliis placet, agitatorem Myrtilum esse, Mercurii filium, Œnomai aurigam, et a patre Mercurio astris illatum, cujus caput non multum distat ab Helice, genua adponuntur Geminis, pedes juxta Tauri cornua. Habet autem stellas, in capite unam, in singulis humeris singulas, sed ea est clarior, quæ in sinistro humero est, et adpellatur Capra: in singulis genibus singulas, in dextra manu unam, in sinistra duas, et super ipso brachio stellas duas, quæ vocantur Hædi. Sunt omnes simul decem.

SCHOLIUM XIII ad vs. 173 et 174.

Aurigæ pedibus trux adjacet ignea Taurus
Cornua fronte gerens.

Porro Taurum inter astra quidam putant positum, propter Jovem quod in bovem sit fabulose conversus. Nigidius hunc Jovem a Neptuno fratre per gratiam adduxisse, qui in figura tauri sensum humanum haberet, quem Jupiter Sidonem misit, ut Europam Agenoris filiam ad se portaret,

isque per pelagus Sidonem venit, ibique Europam inter æquales suas ludentem in templo Æsculapii conspexit, eamque repentino adreptu collocatam suo tergo devexit ad Jovem in insulam Cretam. Ob hanc igitur caussam Jupiter Taurum sideribus dignatus est immortali memoria inferre. Eratosthenes dicit, hunc esse qui coiit cum Pasiphae. Cujus priores partes adparent, reliquum corpus non adparet propter femineum sexum. Spectat autem orientem. In signo autem Tauri frons et facies, Hyades vocantur, quas Pherecydes Athenæus nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides nymphæ vocantur. Quæ quum a Lycurgo captivitatem timentes, fugerent Thebas, ne sibi a Junone aliquid paterentur, Jupiter cælo illatas sideribus honoravit, Hyadesque adpellavit, quod nascente Libero eas invenerit, quas in signum temporis posuit; vel quod sint pluviales: ὕειν enim pluere est, quia earum ortus imbres concitat: vel quia in modum Y literæ positæ sunt. Musæus et ista refert: Ex Atlante et Hya duodecim filiæ procreatæ sunt, et filius Hyas; quem dum ab apro vel leone occisum sorores omnes nimis diligenter flerent, obierunt; e quibus quinque stellas figuratas Hyades adpellaverunt; septem autem, Pleiades. Myrtilus autem quinque filias Cadmi esse dixit. Habet autem Taurus stellas, in capite quinque, quæ Hyades adpellantur: id est, in cornibus singulis singulas, in fronte duas, in naribus unam: hæ sunt Hyades; in singulis genibus singulas, in ungue anteriore duas, in palearibus duas, in collo unam, in dorso tres, e quibus novissima splendida est; in ventre splendidam unam, in pectore unam, in palla unam. Sunt omnes XVIII ab excisione Tauri usque ad id quod septem stellæ sunt, quas quidam Pliades vel Pleiades dicunt, quæ non videntur simul, eo quod septima obscura sit.

SCHOLIUM XIV ad vs. 183 et 184.

Iasides etiam cælum cum conjuge Cepheus
Adscendit totaque domo.

Cepheus in ordine quarto loco positus est, quem Septentrionalis circulus occupat, a pedibus usque ad pectus; reliquus medius est Arcturo, Æstivo tropico circulo. Fuit ergo, sicut Euripides scribit, Æthiopum rex, Andromedæ pater, qui filiam suam ad cetum dicitur exposuisse, quam Perseus servavit; ejusque caussa et ipse pater beneficio Minervæ fuit astris illatus. Habet quidem stellas, in capite splendidas duas, in singulis humeris singulas, in singulis manibus singulas claras, in singulis cubitis obscuras singulas, in zona tres obliquatas, in dextra coxa unam, in sinistro genu duas, supra pedes quatuor, in ultimo pede unam. Sunt omnes XIX.

SCHOLIUM XV ad vs. 191 et 192.

Qua latus ac flexum sinuosi respicit Anguis,
Cassiepeia virum residet sublimis ad ipsum.

Cassiepeia interea (ut refert Sophocles carminum vates) dicitur præposuisse formam suam Nereidibus: ob quam rem ira Neptuni ceto transmisso vastabatur eorum terra; expostulataque Andromede et ceto exposita fuit; ob quam rem longe habitus eorum diversus est. Ita autem est Cassiepeia in sella sedens. Habet in capite stellam claram unam, in singulis humeris singulas claras, in dextra mamilla claram unam, in dextra manu claram et magnam unam, in læva manu claram unam, in umbilico claram et magnam unam, in sinistro femore duas, in eodem genu claram unam, in unoquoque angulo sellæ, in qua sedet, singulas claras. Sunt omnes XIII.

SCHOLIUM XVI ad vs. 199 et 200.

Nec procul Andromede, totam quam cernere posse
Obscura sub nocte licet, sic emicat ore, etc.

Andromeda filia fuit Cephei et Cassiepeiæ, quæ adamata est a Cupidine; et datum est responsum, ut traderetur ceto ad devorandum. Quæ suspensa inter duos montes, et exposita ceto est cum omnibus ornamentis, a Perseo autem liberata est, et ob id Persea dicta; beneficioque Minervæ astris recepta est. Euripides etiam dicit inter astra collocatam, ut labor Persei æternus pateret, manibus ejus extensis, quemadmodum ceto opposita est. Quæ quum a Perseo liberata esset, neque patri, neque matri voluit commorari, sed continuo cum Perseo profecta est. Habet stellas, in capite claram unam, in singulis humeris singulas, in singulis cubitis claras singulas, in dextra manu claram unam, in eodem brachio claras duas, in zona tres, sub zona quatuor, in singulis genibus claras singulas, in dextro pede duas, in sinistro pede unam. Sunt omnes XXI.

SCHOLIUM XVII ad vs. 206.

Andromedæ capiti sonipes supereminet ales.

Equus præterea dimidius est, priore parte patens usque ad umbilicum. Aratus dicit super Geniculatorem situm, et jam astris illatum, eo quod a celsitudine Heliconis montis percusso pede dextro aquam produxit, quem liquorem Hippocrenen dicunt. Quidam pro eo quod Jupiter eo usus fuerit. Nonnulli vero Pegasum putant, qui ad astra pro Bellerophontis interitu evolaverit. Euripides dicit, Menalippen Chironis filiam esse, quæ compressa gravida, profugit in Pelion montem, et dum a patre comprehendi ti-

meret, Deorum misericordia conversa in equum ad astra conscendit, cujus posteriores partes corporis propter feminei sexus pudorem non videntur. Habet autem stellas, in facie claras duas, in capite claram unam, in singulis auribus singulas claras, in maxilla unam; in ala proxima capiti claram unam, in humero alæ dextræ unam, in media ala unam, in extremis pennis unam, in armo unam, in pectore unam, in spina unam, in umbilico claram unam, in singulis genibus singulas, in singulis ungulis singulas. Fiunt omnes XVIII.

SCHOLIUM XVIII ad vs. 223 et 225.

Inde subest Aries, qui longe maxima currens
Orbe suo spatia ad finem non tardius Ursa
Pervenit.

Aries, ut Hesiodus et Pherecydes dicunt, inter astra collocatus est propter Phrixum et Hellen, Athamantis et Nebulæ filios. Qui quum novercam occidere vellent, insani a Libero dicuntur effecti; qui dum in silva errarent, mater eis arietem aurata pelle fertur adduxisse, qui quum navigare vellent, in mare projecti sunt, quod pelagus ab Helles nomine Hellespontus vocatur. Helle autem (ut aiunt) a Neptuno salvata est, et ex ea puerum Pæonem genuit. Phrixus autem insidens præparato arieti, Colchos adductus est ad Æetam regem, ibique arietem Marti immolavit, eique suam auream pellem concessit, antequam inter astra processisset, quam Draco custodivit. Genitum autem hunc arietem dicunt ex Neptuno et Theophane, Altidis filia, quam quum adamasset, in insulam Crinnissam traduxit, inque ovem convertit, cum qua in arietem mutatus concubuit, ex qua aries chrysovellus natus. Nigidius hunc Arietem dicit ducem et principem esse signorum zodiaci

circuli. Inmortali autem honore donatum, quod quum Liber exercitum in Africam duceret, et aquæ inopiam pateretur, subito aries ex arena exivit, et Liberum cum suo exercitu ad aquam perduxit divinitus. Hoc facto Liber eum arietem Jovem Ammonem adpellavit, eique fanum magnificum fecit, eo in loco, in quo reperta est aqua, et abest ab Alexandria itinere dierum novem, locus arenosus et serpentum multitudine plenus, et ab arena Ammon est nominatus. Præterea Aries dux aquæ, immortalis mutatus, et cæli sidera consequutus. Convertit autem caput ad Taurum; ipse autem adsequitur aliis signis. Habet autem stellas, in capite unam, in auriculis tres, in collo duas, in summitate pedum anteriorum singulorum singulas, in dorso quatuor, in cauda unam, in ventre tres, in summitate singulorum pedum posteriorum singulas. Sunt omnes XVIII.

SCHOLIUM XIX ad vs. 233 et 234.

Est etiam propiore Deum cognoscere signo,
Deltoton si quis, donum hoc spectabile Nili, etc.

Super caput Arietis non longe ab Andromedæ pedibus adjacet signum quod Græci ob similitudinem Deltæ literæ, Deltoton vocant, Latini autem ob proprietatem formæ, Triangulum dicunt. Quod quidam a Jove per Mercurium inter astra positum dicunt, super caput Arietis, pro eo quod obscurum esse dicitur. Quidam vero dicunt, Ægypti esse effigiem, stellis figuratam in tribus angulis, id est, trigono, et Nilum talem ambitum facere. Habet autem stellas tres, in singulis angulis singulas, e quibus una est clarior.

SCHOLIUM XX ad vs. 240 et 241.

Hunc ultra gemini Pisces, quorum alter in Austros
Tendit.

Pisces hi sunt, et major Piscis. Nigidius hos pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, et ibi ovum invenisse miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam insedisse, et post aliquot dies exclusisse eam quæ vocatur Syriæ Venus; quæ misericors maxime ad homines pertinebat; quæque multa quæ ad utilitatem hominibus verterentur, dicitur invenisse. Quæ, quoniam Jupiter sæpius a Mercurio laudari nominarique audiret, quod in Deos religiosa, in hominibus officiosa diligenter fuerit, rogata a Jove, quod sibi optanti tribui postularet, illa ait, Ut pisces, qui suam originem servassent, immortali præmio adficerentur. Jupiter in duodecim signis Pisces siderum splendore decoravit. Unde hodie quoque Syri, neque hos pisces edunt, et columbas potestate decorant. Horum autem unus aquilonius est, alter australis, ex adverso caudis utrimque positis. Habent inter se adligamentum luteum, continens usque ad priores pedes arietis. Andromedæ autem humerus dexter, Piscis est signum. Habet idem aquilonius stellas duodecim. Adligamentum luteum, quo continentur in parte borea, habet stellas tres, in parte noti tres, ad orientem tres, ad occidentem tres. Australis piscis quindecim. Sunt omnes XXXIX.

SCHOLIUM XXI ad vs. 247 et 248.

Subter utrumque pedem devolæ Virginis ales
Perseos effigies servatæ grata puellæ.

Perseus quidem ex Danae et Jove natus est. Jupiter enim in similitudinem aurei imbris se transformans oppressam

delusit Danaen, Acrisii regis Argivorum filiam; quam pater a Jove ut vitiatam cognovit, intra arcam includens præcipitavit in mare; quæ delata ad Italiam, inventa a quodam piscatore, et oblata regi, eam sibi fecit uxorem, una cum Perseo, quem enixa est in mari. Qui missus ad Polydecten regem insulæ Seriphi, acceptis a Mercurio talaribus, et a Vulcano harpe adamantina, per aera iter faciens ad Gorgones, Phorci filias, venisse perhibetur, quæ angues pro crinibus dicuntur habuisse, quosque vidissent in lapides convertere. Gorgones tres feruntur fuisse sorores, uno oculo, una pulchritudine inter se communicantes: quarum nomina putantur, primæ Sthenyo, secundæ Euryale, tertiæ Medusa. Quidam vero eum a Minerva missum dicunt, et ab ea clypeum vitreum accepisse, per quem videre nec videri ab eis posset. Qui quum Gorgones dormientes invenisset, caput Medusæ abscidit, et Minervæ tradidit, quod illa in suo pectore aptavit, ut in bello terribilior esset. Perseum autem inter sidera collocavit. Habet autem stellas, in capite unam, in singulis humeris claras singulas, in manu dextra claram unam, in eodem cubito unam, in manu sinistra unam, in dextra parte lumborum claram unam, in sinistro femore claram unam, in singulis genibus singulas, in singulis tibiis singulas, in singulis pedibus singulas, in capite Gorgonis circumquaque tres, in harpe unam. Fiunt omnes XVIII.

SCHOLIUM XXII ad vs. 254 et 255.

Poplite sub lævo, Tauri certissima signa
Pleiades suberunt.

Pleiades a pluralitate Græci vocant; Latini, eo quod vere exoriantur, Vergilias dicunt. Dicit autem Pherecydes Athenæus, septem sorores fuisse, Lycurgi filias, ex Naxo insula:

et pro eo quod Liberum educaverunt, a Jove inter sidera sunt relatæ. Harum nomina putantur, Electra, Alcyone, Cæleno, Asterope, Merope, Taygete, Maia: quarum septimam, ut ait Aratus, vix intueri licet, quam quidam præ timore Orionis fugisse putant; quidam a Sole persequutam arbitrantur, vocatamque Electram, quæ non sustinens videre casus pronepotum, fugerit. Unde et illam dissolutis crinibus propter luctum ire adserunt, et propter comas, quidam Cometen adpellant. Nonnulli vero Meropen esse autumant, quæ nupta a quodam viro nominata est Hippodamia. Musæus autem refert, filias Atlantis fuisse septem, ex quibus sex claræ sunt, una obscura; cum Diis concubuerunt, tres cum Jove, et ex Electra Dardanus, ex Maia Mercurius, ex Taygete Lacedæmon; cum Neptuno duæ; Alcyone, ex qua Herus; Cæleno, ex qua Lycus; cum Marte Asterope, ex qua Œnomaus; Merope cum Sisypho. Magnam apud homines dignitatem habent.

SCHOLIUM XXIII ad vs. 269 et 270.

Quin etam Lyra Mercurio dilecta, Deorum
Proli accepta.

Lyram inter astra collocatam dicunt, propter honorem Mercurii, qui eam condidit ex testudinis similitudine, de Apollinis boum cornibus; qui intendit chordas septem Atlantidum numero. Regrediente igitur Nilo ad suos meatus, inter cætera relicta etiam testudo est, quæ quum putrefacta fuisset et nervi ejus extensi intra corium remansissent, percussa a Mercurio sonitum dedit; in cujus similitudinem Mercurius lyram fecit, quam postea Apollini datam, alii Orpheo dicunt, eo quod unius ex Musis, id est, Calliopæ sit filius. Fecit autem chordas novem juxta numerum Musarum. Tantæ namque dicitur dulcedinis in modulando

fuisse, ut arbores, saxa, bestias, atque inferos commoverit ob conjugis Eurydices desiderium ad inferos descendens. Qui quum Apollinem maximum Deorum honoraret, Liberum autem patrem, a quo fuerat glorificatus, minime glorificaret, sedens in Pangæo monte, et exspectans solis ortum, Liber indignatus misit Bacchas, ut Æschylus scribit, quæ eum membratim discerperent, collectisque membris ejus sepelierunt cum in Lesbiis montibus; ejus lyram Musæo dederunt, Jovemque rogaverunt, ut ejus memoriam astris inferret. Habet autem stellas, in utrisque pectinibus singulas, in cacumine chordarum singulas, in utrisque humeris singulas, in fundo unam, in modulo unam, in tympano claram atque candidam unam. Sunt omnes novem.

SCHOLIUM XXIV ad vs. 273 et 275.

Contra spectat avem, vel Phœbi qui fuit olim
Cycnus, vel Ledæ thalamis qui illapsus adulter
Furta Jovis falsa volucer sub imagine texit.

Cycnum dicunt inter astra constitutum, eo quod Jupiter in cycnum transfiguratus evolaverit in ramum Atticæ regionis, ibique compresserit Nemesin, quæ et Leda dicitur (ut refert Crates tragœdiarum scriptor), quæ enixa est ovum, unde nata est Helena: sed quoniam Jupiter rursus in cælum in cycnum transfiguratus se recepit, ut fuit pennis tensus, simulacrum ejus sideribus reliquit. Habet autem stellas, in capite claram unam, in dextra ala quinque, unam claram quæ est erga collum, in sinistra ala quinque, in pectore unam, in cauda unam, quæ est amplissima. Sunt omnes XVI.

SCHOLIUM XXV ad vs. 282 et 283.

Piscibus interlucet Equi latus, ad caput ejus
Dextra manus latices qua fundit Aquarius exit.

Porro Aquarius nomen accepisse dicitur, quod ejus exortu imbres plurimi fiant. Quidam volunt, Ganymeden eum esse, Troili et Callirrhoes filium, qui quum in Ida monte venaretur, ob nimiam pulchritudinem a Jove adamatus, et per aquilam raptus, inter astra est collocatus. Dehinc Aquarius dictus est, quod undas funderet. Nigidius Hydrochoon, sive Aquarium existimat esse Deucalionem Thessalum, qui maximo cataclysmo sit relictus cum uxore Pyrrha in monte Ætna, qui est altissimus in Sicilia; et posteaquam se et uxorem suam in terra relictum censuit, orbitatis et vastitatis misertus, ab Jove precari cœpit, ut aut et ipsi interirent, aut hominum genus restituerent. Jupiter respondit et per sortem indicavit, ut lapides, quos ante se reperissent, post se jactarent. Reversi itaque, quotquot Deucalion misit, viri fiebant; quos Pyrrha, feminæ. Quo facto rursus hominum genus natum est, ob quam rem λαὸς Græce populus dicitur, quia lapis antiquitus Græce λᾶας adpellabatur. Ab antiquis quidem dicitur Aristeus filius Apollinis fuisse, quem Apollo dicitur ex Cyrene procreasse, quam compressit in monte Orpheo, qui Cyrenis est adpellatus. Aristeus dicitur omnibus artibus doctus fuisse, quibus cæteros homines ad bonos fructus utilitatemque perducebat. Is quum Caniculæ signum pestiferum oriretur, et statim præsentes fructus læderentur, et homines diuturna pestilentia adficerentur, factum est, ut a Diis impetraretur, maxime Neptuno, Jovis fratre, ne tempestatibus et ventis pateretur genus humanum adfici indignis calamitatibus. Itaque venia data, constitutum est a Diis, ut Caniculæ stellæ exortu, venti perflarent dies circiter quadraginta, ejusque pestilentiæ vim abscinderent. Quapropter Aristeus

a Diis inter astra est collocatus. Habet autem Aquarius stellas, in capite obscuras duas, in singulis humeris singulas amplas, in sinistro cubito unam, in dextro cubito unam, in singulis manibus singulas, in singulis mamillis singulas, sub mamillis singulas, in dextro lumbo unam, in singulis genibus singulas, in dextra tibia unam, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes XVIII. Effusio vero aquæ dextra lævaque fit stellis XXXI. Quarum duæ splendidæ sunt, cæteræ vero obscuræ.

SCHOLIUM XXVI ad vs. 285 et 286.

Quo prior Ægoceros semper properare videtur
. Oceano mersus sopitas condere flammas.

Capricornus sane similitudinem habet Ægipanos; habet enim posteriorem partem piscis, priorem capricorni; et hunc honorem dicitur adsequutus, eo quod cum Jove sit nutritus. Epimenides dicit in Ida utrosque nutritos, et ad Titanum bellum cum Jove esse profectum; quem Jupiter victor astris intulit, quod ejus opera Dii armati essent; itemque matrem ejus capram, quod Dicolon invenisset in mari, ideo piscis cauda notatam. Nigidius Capricornum refert immortali honore donatum, quo tempore Typhon qui in monte Tauro speluncam habebat, Ægyptum incoleret, ab Joveque concessum habuisset, quemadmodum Diis posset obsistere; et quum ipse Diis consilium panderet, si neque terras relinquere vellent, neque Typhonis immanitati resistere Dii possent, ut suas figuras immutarent, in quam quis vellet, seu bestiam, seu volucrem, seu piscem pecudemve; tunc et Typhon se in capram transmutavit; itaque immortales figuris ignotis Typhonis ante oculos crebro versabantur; unde adhuc maxime pro Diis multas bestias observant coluntque Ægyptii. Et quum venit Typhoni neminem Deorum

adversari, sibimet vacuam cognovit dominantibus, arbitratus Deos se veritos, propter metum : dominabatur imperitis fortunæ varietate, et periculi magnitudine instantis. Nam post XVIII dies dicitur consilium de eo repente a Diis factum, ut interficeretur; ob idque usque hodie in Ægypto hos dies, id est, XVIII festos perpetuo, annis singulis instituerunt; in quibus diebus qui nascitur, amplius quam eos non vivit. Typhon autem fulmine interficitur ab Apolline, in templo Ægypti Memphis, ubi mos fuit solio regio decorari reges qui regnabant. Ibi enim sacris initiabantur primum, ut dicitur, reges, satis religiose tunicati: et Tauro quem Apim adpellant, jugum portare fas erat, quem Deum maximum Ægyptii existimant : et per vicum unum duci, ut periti existimabant, labore humanæ necessitatis, ut crudelius quæ sub eis sint abutantur. Deducitur autem a sacerdote Isidis in locum, qui nominatur Adytos, et jurejurando adigitur, neque mensem, neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent, sed CCCLXV dies peracturos, sicut institutum est ab Antiquis. Sed illo revertamur, unde digressi sumus. Igitur Dii postea quam Typhonem pœna adfecerunt et interfecerunt, sancta astrorum memoria decoraverunt, et ei nomen Ægyptii Ægipana imposuerunt, quod quum tanti Dii se in bestias convertissent, Typhon se in capram transfiguravisset, oppidumque magnificum in Ægypto ædificaverunt, quod adpellaverunt Panopolin. Habet autem stellas, in singulis cornibus duas, in naribus claram unam, in capite claras duas, sub collo unam, in pectore duas, in anteriore pede unam, in summitate ipsius pedis unam, in dorso septem, in ventre quinque, in caudæ extremitate claras duas. Sunt omnes XXVI.

SCHOLIUM XXVII ad vs. 305 et 306.

Belligeri Titan magnum quum contigit arcum,
Ducentemque ferum sinuato spicula nervo.

Porro Sagittarius Scorpione oriente adscendit, quo adscendente Orion occidit totus, et Cepheus a vertice et humeris cum manibus, in cujus signi regione zodiacus circulus humillimus propter equina crura. Quidam negant, dicentes, numquam Centauros ullis sagittis usos fuisse. Quidam autem dicunt, quod quadrupes esse non videatur, sed stans bipes sagittarius. Hic autem homo equinis pedibus est, et caudam habet veluti sagittarii. Sositheus autem, tragœdiarum scriptor, illum adfirmat esse Crotonem, Euphemes Musarum nutricis filium, et inhabitasse Heliconem, atque sagittis et venatu vitam exegisse, qui inter Musas sæpius commoratus, plausu cantus earum distinguebat, id est, ad pedem manibus plaudebat, quo alii timerent. Hunc Musæ beneficio Jovis astris intulerunt, cujus artes, id est, plausus et sagittæ, inter mortales mansere. Nigidius de Crotone idem dicit, sed non conversatum cum Musis; sed dum illæ cantus chorosque celebrarent, hunc procul auditu repentino plausu ad pedem feriendo oblectare canentes, ob hoc eum a Jove immortali memoria earum rogatu donatum, quod esset nutricis earum filius, idem Oceani nepos. Habet autem stellas, in capite duas, in arcu duas, in acumine sagittæ duas, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in ventre claram unam, in spina duas, sub cauda duas, in anterioribus geniculis singulas. Sunt omnes XV. Reliquæ vero septem, subter crura, similes quidem sunt posterioribus, quæ non ostenduntur, quod Centaurus duplex sit; jaculum autem ejus, ex quo dicunt omnes Cyclopas ab Apolline interfectos, qui Jovis fulmina fecerant, absconditum fertur ad aquilonem, et peracta, ac potius sedata lite, adsumptum, et ad pedes Sagittarii inter astra

collocatum. Habet autem stellas quatuor, in summo unam, in medio obscuram unam, in pennis duas, unam vero splendidiorem aliis.

SCHOLIUM XXVIII ad vs. 314 et 315.

Est etiam incertum quo cornu missa Sagitta,
Quam servat Jovis ales.

Aquilam sane inter astra collocatam dicunt, propter Ganymedem Jovis ministrum, quem rapuit in cælum. Est enim ea signum Jovis, quod quum Dii omnes volucres inter se dividerent, eam in portione sortitus sit Jupiter, quod altius cunctis volantibus evolet, et pæne inter omnes principatum teneat, et quod sola avium Solis radiis non terreatur. Namque ita est spectans ad orientem pennis tensis. Aglaosthenes dicit Jovem in aquilam transfiguratum Naxiam regionem, ubi nutritus fuerat, petiisse, et regnum accepisse: egresso vero de Naxo, quum adversus Titanas proficisceretur, et sacrificium faceret, aquilam ei in auspicio adparuisse, et fulmina ministrasse; quam bono omine acceptam tutelæ suæ subjecisse. Habet autem stellas, in capite claram unam, in humeris singulis alarum singulas, in pectore obscuram unam. Sunt omnes quatuor. Sagitta autem, quam tenet in pedibus, dicitur sagitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit, eo quod Jovis fulmina facerent, quod eo telo Æsculapius ejus filius a Jove esset interfectus, quam sagittam astris illatam in memoriam virtutis suæ reliquit. Habet autem stellas quatuor, in summo unam, in medio unam, in pennis sagittæ duas.

SCHOLIUM XXIX ad vs. 320 et 321.

Delphin inde brevis lucet juxta Capricornum
Paucis sideribus.

Neptunus, ut Artemidorus refert, Amphitriten voluit in conjugium accipere, quæ quum ob verecundiæ magnitudinem et virginitatis observantiam ad Atlantem confugisset, Neptunus post eam multos misit, qui eam peterent, inter quos et delphinum misit, qui eam peteret. Quæ quum circa insulas Atlantis moraretur, reperit eam, nuntiavitque Neptuno, quam ille suis persuasionibus ad suam perduxit voluntatem, delphinoque maximos honores in mari tribuit, quem in astris intulit, et in manu sua habere instituit. Habet autem stellas novem, et ideo musicum signum dicitur, eo quod in numero Musarum stellas habet, in ore unam, in solio duas, in pinnulis ventris tres, in dorso unam, in cauda duas. Sunt omnes novem. Delphinus autem non multum currit supra Capricornum.

SCHOLIUM XXX ad vs. 327 et 328.

Primus in obliquo rapitur sub pectore Tauri
Orion.

Orion qui et Incola dicitur, ante Tauri vestigia fulget, et dicitur Orion, ab urina, id est, ab inundatione aquarum. Tempore enim hiemis habet ortum, quum mare et terras aquis et tempestatibus turbat. Hunc Romani Jugulam vocant, eo quod sit armatus, ut gladius stellarum luce terribilis et clarissimus, qui si fulget, serenitatem portendit: si obscuratur, tempestatem adnuit imminere. Hunc Hesiodus dicit Neptuni et Euryales filium, cui dono datum est a Neptuno, ut super fluctus ambularet, veluti supra ter-

ram. Qui quum Chium venisset, Meropem OEnopionis filiam compressit, quem OEnopion ob injuriam excæcavit, et de finibus suis expulit. Ipse quum Lemnum venisset, a Sole dicitur ei lumina restituta esse, et reversus est ad OEnopionem, qui quum a civibus terra absconderetur, OEnopion, desperata ejus inventione, Cretam est profectus: ubi quum immodice venaretur, et a Diana corriperetur, ait se nullam feram in terris relicturum. Tellus indignata scorpionem extulit miræ magnitudinis, qui pœnas magniloquentiæ ejus exigeret. Jupiter autem Orionem ob virtutem astris intulit. Idem rogatu Dianæ Scorpionem inter astra duodecim cælo collocavit, quorum contra magnitudinem stellæ quoque eorum amplissimæ sunt. Aristomachus autem dicit Erythrea quemdam Thebis voto petiisse, ut filium haberet, ad quem Jupiter Mercurius et Neptunus hospitio devenerunt: qui eis hostiam immolavit, ut filius nasceretur: cujus bovis in pellem detractam, Dii urinam fecere, jussuque Mercurii, terra obruta est, unde puer supradictus est natus, quem Urionem adpellaverunt, et astris intulerunt. Quidam autem dicunt Orionem Methymnæum, qui quum esset citharæ potens, rex Corinthiorum Pyranthus nomine eum dilexit, qui quum a rege impetrasset ut civitatem arte sua illustraret, et magnum patrimonium adquisivisset, consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent: quem quum vellent interficere, petiit ab eis ut ante decantaret. Quum autem citharæ sonus cum voce ejus audiretur, delphini circum navim venerunt, ille super unum ex his se præcipitavit, qui eum sublatum ad regem Pyranthum Corinthum detulit. Delphinus subductis per æstum aquis exanimatus est. Qui quum suos casus Pyrantho narrasset, jussit rex Pyranthus delphinum sepeliri, et ei monumentum fieri: post aliquantulum temporis, navis qua Orion devectus fuerat, Corinthum delata est. Nautas quum ad se adduci rex imperasset, et de Orione inquireret, dixerunt eum obiisse. Quibus ille, Crastino, inquit, die ad delphini

monumentum jurabitis: eosque custodiri mandavit, atque Orionem ita ornatum sicut se præcipitaverat, in monumento delphini delitescere. Quum autem adducti per delphini monumentum jurarent Orionem obiisse, et de monumento prodiisset, illi eum videntes obmutuerunt, ibique regis imperio crucifixi sunt. Dehinc Jovis miseratione dicitur Orion cum Delphino inter astra positus. Nigidius autem refert quodam tempore Jovem cum cæteris Diis apud Musæum Bistoniorum regem hospitio dapsili copiosoque adfectu prædìtos in hilaritate constituisse, ut in corio Tauri qui tunc immolatus fuerat, mingerent, eoque loco in corio terra obruto natus sit Orion, qui factus adolescens digna Deorum forma atque egregia virtute incitatus, immortali memoria his obtemperabat, quibus ortus dicebatur. Nam quum in Celinio venaretur, Dianam irridens contemnebat ejus opera, quæ in monte constituebat. Itaque Diana misisse dicitur scorpionem, qui Orionem vita privaret: Orion vita privatus, sideribus illatus est. Habet autem stellas, in capite claras tres, e quibus media est splendidior cæteris: in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito obscuram unam, in eadem manu unam, in zona tres, in gladio quem tenet in manu, tres: in singulis genibus singulas, in pedibus singulas, in mantili tres. Sunt omnes XVII, et decem ex eis obscuriores.

SCHOLIUM XXXI ad vs. 332.

Talis ei et custos aderit Canis ore timendo.

Sirius stella est in medio centro cæli, ad quam quum Sol accesserit, duplicatur calor ipsius, et languore adficiuntur corpora humana. Sirium autem stellam vocatam putant propter flammæ candorem. Latini autem illam Caniculam vocant, unde et dies Caniculares dicuntur, quia

quamdiu Sol in ipsa est, pestifera est, sed pro qualitate adjacentium commutatur. Nam aut vincitur, aut morbosis utitur viribus. Hinc est, quod quum certo tempore oritur, non semper est noxia. Quidam vero dicunt, canem fuisse, quæ Europæ cum dracone custos data est: et postea Minos utramque accepit. Eamdem deinde ob medicinæ caussam Procridi in munere datam : quam quidem Cephalus dein possedit, vir Procridis, qui eam ad Thebas duxit ad vulpem Thebanorum agros infestantem; cui cani fatum est, ne ab ullo posset interfici, itemque vulpi. Jupiter vero Vulpem in lapidem convertit, et Canem astris intulit. Amphianus, tragœdiarum scriptor, refert, quod quum hominibus stellæ relinquerent locum, missus est legatus Canis ad Doloram, quam ut vidit, tempore tempestivo adamavit; qui quum flagraret amore, nec posset frui, magis asperius urebatur; calamitate accepta, et Deos adjutores invocare cœpit; tunc Aquilo misit filios suos adolescentes, qui operam Cani traderent; et ipse flatu suo Canis ardorem sedavit, qui flatus Etesiæ dicitur; amoris autem memoria remansit.

Sunt qui aliter memorent. Icarius a Libero hospitio receptus est, qui ei in munere utrem plenum vino tribuit, jussitque, ut in reliquas terras propagaret. Icarius dehinc Athenæus, quum in terram Atticam ad posteros devenisset, eis genus hoc suavitatis ostendit; pastores autem quum immoderatius biberent, ebrii facti conciderunt. Qui arbitrantes Icarium sibi malum medicamentum dedisse, eum fustibus interfecerunt. Icarium autem occisum canis, qui cum eo fuerat, Mæra nomine, ululans, Erigonæ ejus filiæ monstravit, ubi pater insepultus jaceret; quæ quum venisset, ejus corpus sepelivit, ipsaque se in monte Hymetto contulit, ibique laqueo sibi mortem conscivit. Tunc dicitur Liber a Jove petisse, ut Erigonen et Icarium astris inferret. Jupiter autem audita ejus petitione, Erigonen signum Virginis nominavit; Icarium autem patrem ejus, Arcturum. Qui quum exoritur, tempestates mari terræque efficit; quumque

Athenas pestilentia opprimeret, ex oraculo responsum est, cessaturam pestilentiam, si per annos singulos de frugibus et vindemia Icario et Erigonæ primum delibaretur. Quod factum est ab Atheniensibus, qui diebus festis institutis aras constituerunt; ideo quia illam pendentem adspexerunt, ex eo apud Græcos deinde factum est, ut soli oscillo jactarentur homines. Canis autem Icarii, qui ululans ante pedem pendentis Virginis mortuus est, Astrocyon nominatur, quod nos Canis stellam dicimus; qui ob eamdem causam, quando exoritur, summam pestilentiam hominibus facit. Habet autem stellas, in capite unam, quæ Isis dicitur, claram in lingua unam, quam Sirium vel Canem vocant, quæ magna est et splendida, in collo duas, in singulis humeris singulas obscuras, in pectore claras duas, in anteriore pede sinistro tres, in dextro unam claram, in extremo supra dorsum tres, in ventre duas, in sinistro femore unam, in posteriori pede sinistro unam, in summitate caudæ unam. Fiunt omnes XX. Situm autem est hoc signum inter hiemalem tropicum, et arcticum subterraneum, qui Australis vocatur.

SCHOLIUM XXXII ad vs. 340.

Auritum Leporem sequitur Canis, et fugit ille.

Lepus sub pedibus Antecanis et Orionis constitutus est: qui dicitur Orionis canem fugere venantis. Nam ut venatorem eum finxerunt aliqua de caussa, ita Leporem ei ad pedes fugientem finxerunt. Quidam negant tam nobilem tamque magnum venatorem, de quo ante in Scorpione signo diximus, et postea in ipsius figura dicemus, oportere Leporem venari; Callimachusque accusat eum, quod quum Dianæ scriberet laudes, eam leporino sanguine gaudere, et eos venari dixerit. Nonnulli a Mercurio inter astra collocatum dicunt propter nimiam velocitatem, sive quod inter qua-

drupedes plus pariat, et quosdam fetus pariat, quosdam vero in ventre habeat, sicut Aristoteles philosophus ait, qui de animalium ratione disseruit. Antiquitus autem dicebatur in insula Lero nullum leporem fuisse, sed ex eorum civitate adolescens quidam studio generis ab exteris terris leporem feminam produxit, et ad ejus partum diligentissime, quæ opus essent, administravit; itaque quum peperisset, et complures ejus civitatis ad studium intendisset, et partim pretio, partim beneficio mercati essent, omnes lepores alere cœperunt, quibus quum nihil daretur ad manducandum, impetu facto omnia comederunt, unde insulam calamitas adflixit. Itaque postea Leporis figuram astris contulerunt, ut homines meminissent, nihil his exoptandum in vita, si insolenter utantur lætitia, qua dolorem capere posterius cogantur. Habet autem stellas, in singulis auribus singulas, in pectore duas, in dorso nitidam unam, in posterioribus pedibus singulas. Sunt autem omnes VII.

SCHOLIUM XXXIII ad vs. 343 et 344.

At qua cauda Canis languenti desinit astro,
Fulgens Argoæ stellis aplustria puppis.

Post Canis igitur magni caudam, secundum stellarum ordinem Navis constituta est; quam quidam beneficio Minervæ inter astra collocatam dicunt, quia prima in hanc fabricata est, et mare quod antea invium fuerat hominibus, pervium nautis ingenio fecit: hinc notatam in cælo figuravit, sed a gubernaculis usque ad malum. Nonnulli dicunt, Danaum Beli filium ex compluribus conjugibus quinquaginta filias habuisse, fratrem autem ejus Ægyptum totidem filios. Danaum autem et filias ejus interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret, easque filiis suis uxores a fratre poposcit. Danaus autem cognita malitia, Mi-

nervam invocavit adjutricem; tunc primum dicitur Minerva navim fecisse, quæ Argo adpellata est, cum qua Danaus ex Africa Argos profugit. Ægyptus filios suos ad persequendum fratrem misit. Qui postquam Argos venerunt, patruum impugnare cœperunt. Danaus autem, ut vidit, se eis obsistere non posse, dedit eis filias suas, quæ patris jussu viros suos una nocte interfecerunt, sola Hypermnestra Linceum servavit; ob quod fanum illi factum est. Cæteræ vero dicuntur apud Inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Habet autem Navis stellas, in puppe quatuor, in catastromate quatuor, in malo summo tres, in singulis temonibus quinque, sub carina quinque. Sunt omnes XXVI.

SCHOLIUM XXXIV ad vs. 355 et 356.

Haud procul expositam sequitur Nereia Pistris Andromedam.

Porro sub Ariete et Piscibus super Fluvium Cetus in cæli regione collocatus est. Dicitur autem a Neptuno missus ad Cepheum propter invidiam Nereidis, a qua contra Cassiepeiam et Andromedam exardescebat propter nimiam pulchritudinem. Huic Ceto Andromeda proposita erat, quem Perseus interfecit, et ab Jove astris illatus est, ut memoria actus maneret. Habet autem stellas, in caudæ extremo claras duas, a cauda usque ad gibbum ejus sex, sub ventre sex. Sunt omnes XIV.

SCHOLIUM XXXV ad vs. 366.

Eridanus medius liquidis interjacet astris.

Fluvius, ut superius diximus, subter Cetum collocatus est: cæli regione cernitur, ad quam sinister Orionis pes ex-

tenditur. Ab Arato et Pherecyde Eridanus Padus esse putatur; et ideo inter astra collocatus, quod a meridianis partibus dirigere cernitur. Hesiodus autem dicit, eum inter astra collocatum, propter Phaethonta, Solis et Clymenes filium, qui dicitur currum patris adscendisse: quumque a terra altius levaretur, præ timore in Eridanum fluvium, qui et Padus dicitur, cecidit, ab Jove fulmine percussus; et omnia ardere cœperunt; caussaque exstinguendi universos amnes immissos esse, omneque mortalium genus interiisse, præter Pyrrham et Deucalionem. Sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos versæ sunt, lacrymæque earum in electrum durare dicuntur, Heliadesque adpellatæ, ipsæ autem nomina habuisse, Merope, Helie, Ægle, Ægiale, Petre, Phœbe, Chærie, Dioxippe. Cycnus quoque, rex Liguriæ, Phaethontis propinquus, quum fleret, in cycnum conversus est; id quoque monens flebile canit. A quibusdam vero Nilus, qui et Gion existimatur, et ideo inter sidera collocatus, quod a meridianis partibus cursum dirigat. Est autem sidus multarum stellarum luce adornatum, et subjacet ei stella, quæ vocatur Canopus, sive Ptolemæon splendens, tangitque temonem Navis: adparet autem humillima, eo quod circa terram esse videtur, et nullum sidus inferius adparet, ob quod terrestris vocatur. Habet autem stellas, in primo flexu quatuor, in secundo tres, in tertio tres, usque ad novissimum septem, quas dicunt in ore Nili fluvii esse. Sunt omnes XVII.

SCHOLIUM XXXVI ad vs. 378 et 379.

> Est etiam a Geminis diversus Piscibus unus,
> Qui Boream fugitat.

Piscis magnus, cujus nepotes dicuntur Pisces, qui circulo zodiaco constituti sunt, dicitur in astra collocatus,

eo quod decidens in Boeth stagno, Phacetis, filia Veneris, in piscem sit transfigurata, quam Syri Deam nominaverunt. Quidam autem dicunt, quod de stagno filiam Veneris salvaverit. Unde usque hodie Syri pisces argenteos in templo sacraverunt. Est autem signum in parte australi, quod Piscibus orientibus oritur, quem Piscem dicunt Aquarii urnæ habere effusionem. Habet autem stellas XII, e quibus una fertur esse sub pedibus Aquarii, et tres in brachiis ejus. Ipsæ autem clariores esse cæteris noscuntnr. Inter hæc sunt astra sive signa, quæ Planetæ adpellantur.

SCHOLIUM XXXVII ad vs. 389 et 391.

Scorpius erecta torquet qua spicula cauda
Thuribulum vicinum Austris sacro igne videbis
Arcturum contra.

Sacrarium quod et Pharus dicitur, est signum navigantibus semper contrarium, quod sequitur Scorpionis caudam. Hoc quidam locatum inter astra dicunt, quod in eo Dii primum mutuo conjurationem inierunt, quam Jupiter contra Saturnum fecit, quod memoriæ non solum astris illatum, sed etiam hominibus hoc haberet institutum, quia in agonibus et ludis quinquennalibus coronæ habentur, et fœderis testes adhibentur, itemque vates, per quos futura respondentur, in Symposiis domus consecrantur, et jure Jupiter igneum sibi velamen, ne ejus fulminum potentia deprehenderetur, adhibuit. Habet stellas quatuor, duas in superficie, in qua prunæ fuisse dicuntur, duas in vase ejus.

SCHOLIUM XXXVIII ad vs. 411 et 412.

Sunt etiam flammis commissa immania membra Centauri.

Centaurus dicitur Saturni et Philyræ filius; nam Saturnus quum Jovem filium quæreret in Thracia, cum Philyra Oceani filia in equum versus dicitur concubuisse, et ex ea Chironem Centaurum natum artis medicinæ inventorem, ipsamque in arborem φίλυραν, hoc est, tiliam versam esse, et habitasse Chironem in Pelio monte inter homines æquissimum, a quo Æsculapius medicina, Achilles cithara, astrologia Hercules, et literis instructi sunt; cujus hospitio quum Hercules uteretur, sicut Antisthenes dicit, e pharetra sagitta lapsa dicitur pedem ejus vulnerasse, acceptoque vulnere illum animam exhalasse, et ab Jove astris illatum. Est autem signum ad adspectum Sacrarii; unde et ad idem Sacrarium sacrificare videtur. Habet stellas, in capite obscuras tres, in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in medio pectore unam, in spina duas, in ventre splendidas duas, in dextro lumbo claram unam, in cauda tres, in singulis genibus retrorsus duas, in utroque armo unam, in utrisque pedibus anterioribus singulas. Fiunt omnes XXXIII. Quidam arbitrantur, tenere in sinistra manu arma et Leporem; in dextra vero bestiolam, quæ θηρίον adpellatur, et βύρσαν, id est, utrem vini plenum, in quo libabat Diis in sacrario. Habet autem stellas bestiola, in capite unam, in spina claram unam, in cauda duas, in summo pede posteriore claram unam, in thyrso tres. Sunt omnes XXXIII.

SCHOLIUM XXXIX ad vs. 423 et 427.

Nec procul hinc Hydros trahitur, cui cauda superne
Centaurum lucet: tractu subit ille Leonem;
Pervenit ad Cancrum capite, et tria sidera tangit.
Huic primos tortus Crater premit; ulteriores
Vocali rostro Corvus vorat, etc.

Hydra, super cujus caudam Corvum sedere dicunt, et in medio Urnam adserunt, est signum in parte australi, caput deflexum habens ad Cancrum, cujus sinuosi corporis medietas est connexa sub Leone, caudam vero extendit ad Centaurum, supra quam sedet Corvus; qui Corvus ideo inter astra collocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela Apollinis, a quo missus ad fontem, ut Diis ad libandum aquam deferret, quum vidisset arbores grossos ficus habentes, volans consedit in eis, donec maturæ fierent, et aquam deferre distulit; post paucos autem dies peracto sacrificio, quum ille ficos comedisset, et se Diis peccasse sensisset, denuo ad fontem, ut aquam hauriret, rediit, et ab hydra exterritus vas vacuum reportavit, dicens, excessisse aquam, quæ fuerat in fonte. Cognoscens Apollo, sibi corvum peccasse, prohibuit eum eo tempore aquam bibere, ut Aristoteles dicit in eo libro, qui de Bestiis scribitur. Et Isidorus in naturalibus, vel in physicis, memoriæ tradidit, quod ipse peccati pœnas daret, qui et postea astris illatus est. Crater autem in medio Angue positus est; caudam autem Anguis Corvus adpetit rostro, neque potest juxta accedere, ut bibat. Habet Anguis stellas in capite claras tres, in prima flexura sex, et una ex eis obscura ad ultimum; in secunda flexura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta usque ad caudam octo claras. Fiunt omnes XXVI. Paullulum sub prima flexura Crater, sive Urna, situs est, inclinatus ad genua Virginis. Habet stellas in labris obscuras duas, per

singula latera tres, in fundo duas. Sunt omnes X. Corvus autem qui est ad ultimam ejus caudam, spectans ad occasum, habet stellas, in capite claram unam, in ala duas, in cauda tres, in pedibus singulas ab unguibus. Sunt omnes sex. Omnes simul fiunt XLIII.

GERMANICI CÆSARIS
PROGNOSTICORUM ARATEORUM
FRAGMENTA.

FRAGMENTUM I*.

GRANDINE permixtas Aries nivibusque caducis
Spargit vicinas supra juga tristia nubes.
Taurus portat aquas et ventos excitat acres.
Fulmina tunc crebro jaculatur Jupiter, et tunc
Intonat emissis violentior ignibus æther.
At Geminis leviter perstridunt cærula venti,

* Evulgavit hoc fragmentum e Msto suo Grotius; nam in editionibus antiquioribus illud desideratur. Agitur in eo generatim de Signorum virtute et de Planetarum similiter natura; verum posterior pars imperfecta deest.

1, 2. *Grandine permixtas Aries*, etc. Ita emendavit Grotius. Sensus est: Aries montes altissimos nubibus spargit grandinosis et nivosis. Atqui dices, addit Grotius, magnam nimis esse differentiam inter *nubes* et *Piscis*, quod in Msto legitur. Immo vero est tantum parva. Astronomi olim, ut et alii artium doctores, nomina usitatiora notis signabant talibus plerumque, ut aut primam tantum literam cum postrema, nonnumquam etiam cum mediarum aliqua referrent. Id ex variis notis JCtorum aliorumque est notissimum. Itaque *Piscis* ita notabant: $\overline{PS}$. Sed Astronomi Prognostici una cum Meteorologicis *nubes* ita signabant: $\overline{NS}$. Sunt enim hæc vocabula sæpissime occurrentia; nam in iis, quæ ab usu sunt remota, notas imaginari, est stultissimum. Hinc igitur natus librarii error. Primæ vero utriusque vocis literæ etiam supra inter se commutationem passæ sunt, ubi pro *Pigra ministeria* MS exhibet *Nigra*.

3. *Et ventos excitat acres.* MS *ventos excitat Aries*, perperam.

4, 5. *Fulmina tunc crebro*, etc. MS « Fulmina tum..... Intonat emissus ».

6. *At Geminis.* MS male *Ad Geminis.*

Rarus et in terras cælo demittitur humor.
Omnia mitescunt tranquillo sidere Cancri.
Siccus erit Leo, præcipue quum pectora fervent.
Virgo refert pluvias et permovet aera ventis.
Lenius est Libræ signum; vix rorat in illo.
Scorpius adsiduos cælo minitabitur ignes;
Lentior in pluvias veniet; magis arva quieta;
Atque truces venti densa nive sæpe rigebunt.
Rara Sagittifero descendunt flumina terris.
Ægoceros aliis parcit, sed frigora durat,
Instabilique gelu falli vestigia passus.
Qui fundit latices cælo quoque permovet imbres.
Omnia miscentur cum Piscibus; aspera ventis
Æquora turbatos volvunt ad sidera fluctus;
Imbribus incumbit cælum, solemque recondit;
Grandine pulsatur tellus; nive mœnia durant.
Hæc ut quisque Deus possedit numine signa,
Adjungunt proprias vires. Torpere videntur
Omnia Saturno; raros ille exprimit ignes,
Et siccas hiemes adstrictis perficit undis;
Grandine durantur pluviæ; nive grando putrescit,
Et rigor accedit ventis; mitissimus ille.....

9. *Quum pectora fervent.* Ita legendum. MS *cui* pro *quum*. Verum sensus est: Leo erit siccus, sed tunc maxime, quum ea in parte spectatur, ubi est pectus et stella fervidissima, quæ βασιλικὸς adpellatur. — Buhl. pro *fervent* in notis adserit *fulgent*. Ed.

11, 12. *Lenius est Libræ signum*, etc. ex emendatione Grotii. MS « vix rore in illo ..... Scorpios adsidoe cælo minitabitur ignis ».

13-15. *Lentior in pluvias veniet*, etc. Dixit Germanicus « venti rigebunt », ut infra : « Et rigor accedit ventis ... Sagittifero descendunt », ut supra : « At Geminis perstridunt ».

16. *Ægoceros aliis parcit, sed frigora durat.* Sensus est : Capricornus aliis omnibus, i. e. imbribus, fulminibus, tonitruis, ventis, parcit ; sed sola frigoris vehementia nocet.

FRAGMENTUM II*.

Ætherium venit Taurum super imbribus atris
Et tonitru, crebraque abscondit grandine terras.
Temperat in Geminis annum; nec crede sereno,
Nubila nec diuturna putes, quum sidere Cancri
Fulserit ardentis: tantum hoc, nil fidere, certum.
Flagrantis placide lucis vis temperat annum.
Quum posuit sedem Nemeæi finibus astri,
Virgineque et Libra, semper pendentia tantum
Nubila continua magis in statione manebunt.
Tunc quoque nulla fides cælo, quum Scorpion acrem
Stat super; incerta namque omnia lege feruntur:
Heu quantis terras tum Jupiter imbribus omnes
Obruet! heu glomerata cadet quam densâ per æthram
Immitis grando! cælum quam sæpe sonabit!

* Describitur a Germanico in hoc fragmento relatio et conjunctio Signorum duodecim cum Planetis Venere et Mercurio. Desunt hic quoque nonnulla, ut in principio de Ariete; forsitan et in medio, et post finem de aliis Planetis, Saturno, Jove, Marte, nisi de his prius tractatum fuerit. Desideratur hoc fragmentum, quod in omnibus edd. antiquioribus legitur, in Msto Grotii.

1. *Ætherium venit Taurum super, imbribus atris.* Sic utique legendum. Incipit fragmentum de stella Veneris a Tauro; deest itaque de Ariete, ut diximus. De Tauro autem Germanicum loqui, certum est, quum sequautur Gemini.

5. *Quum sidere Cancri Fulserit ardentis : tantum hoc, nil fidere, certum.* Egregie hunc versum restituit Grotius. Vulgo: « quum sidere Cancri Fons erit ardentis, tamen hoc in litore certum ». Dicit Germanicus, neque nubila diuturna fore, neque serenis credendum; auram scil. fore variam et instabilem. Subjungit, hoc unum certum esse, nil certum putare. Similiter aliquis Fortunam in sola inconstantia constantem dixerit.

6, 7. *Flagrantis placide lucis*, etc. ex Grotii conjectura rescripsi. *Temperat annum*, ut supra: « Temperat in Geminis annum ».

10. *Tunc quoque nulla fides*, etc. Multis de caussis similia sunt signa, Cancer et Scorpius; quare illis Germanicus similem tribuit effectum variantis auræ.

12-14. *Heu quantis terras*, etc. Tria, ait Germanicus, metuenda: imbres, grandinem, tonitrua.

Quum spatium adtigerit tendentis spicula signi,
Non terris imbres, ponto non flamina deerunt.
Et cæli terret sonitus mortalia corda,
Quum sedem Ægoceri Cithereius adtigit ignis.
Horridus at gelidos portendit Aquarius imbres,
Hibernæque cadunt pluviæ, concretaque grando.
. . . .

Piscibus a geminis sub prima recurrerit astra
Hesperus, hæc tibi signa refert, quum Lucifer ora
Ingreditur Venus alma polum; sed ubi Hesperus ignes
Provocat ætherios, et noctem ducere terris
Incipit, exoriens ecce hæc Citherea movebit.
Vere caveto imbres, et fulmina culmine ab alto,
Phrixeum rutilo pecus ut radiaverit astro,
Nubila, commixtusque fragor pluvialibus undis,
Flaminaque assiduo terris instantia pulsu,
Et cælo diri dejecti grandinis ictus.
Ver magis infidum, Tauri quum sidere fulsit,
Adportat. Geminis eadem inconstantia præsto est;
Quum dederit soles, inducit nubila cælo;
Nubila quum fuerint, subitos mirabere soles;

15. *Tendentis spicula signi.* Elegantissima Grotii emendatio. Intelligitur Τοξότης, Arcitenens.

16. *Ponto non flamina deerunt.* Hic distingnendum; nam quod sequitur ad Capricornum referendum. Vulgo male versus cum sequentibus connectitur.

20. *Concretaque grando.* Hic finitur periodus. Deest versus unus aut alter de Piscibus, qui propterea ab imperitis librariis omissi sunt, quia sequitur: « Piscibus a geminis sub prima recurrerit astra Hesperus », hoc est, Venus a Piscibus regressum facit ad Arietem.

22. *Quum Lucifer ora.* Sensus est: Hæc signa sunt a Venere summo mane edita. Quæ jam sequuntur, ad Vesperam pertinent. Non dubium vero est, quin eadem stella Veneris matutino tempore *Lucifer* dicatur, quæ vespertino *Hesperus.*

29. *Flaminaque assiduo*, etc. Sic emendavit Grotius vulgatum: « terris tum stantia pulsu ». Idem in versu sequenti pro *E. cælo* legere jubet *Et cælo.* Manet tamen sensus mutilus, et videtur versus excidisse.

Et modo cum vento, gelido modo protinus imbre
Lucens alterna superabit nube serena.
Si Venus ingressa est spatiosi sidera Cancri,
Pacem mundus habet; non ulli corpore soles
Pestiferi incendunt, non sidera densa solutos
Adstringunt artus alieno tempore; lenis
Omnia pacato tum sidere temperat aer.
Ac rapidis idem ne solibus æstuet orbis,
Efficiet, magni quum spectat signa Leonis.
Virgine erunt pluviæ, plenaque in nube fragores,
Concava quos reddunt incluso nubila vento.
Adtrahit autumno pluvias, eademque repellit
Nubibus assiduis Chele, neque frigora prima
Extremum autumni superent glacialia Libræ.
Scorpius at raris, ne quid cava terra queratur,

35, 36. *Et modo cum vento*, etc. Inconstantiam auræ Germanicus denotat.

37. *Si Venus ingressa est.* Vulgo: « Sin levis ingressa est », sine sensu.

38-40. *Non ulli corpora*, etc. Ita bene correxit et distinxit Grotius. Male vulgo: « non nulli corpore ». Peccatum quoque est in distinctione membrorum periodi. *Alieno tempore* dixit pro *inimico*.

42. *Ac rapidis.* Epitheton est vulgare et simili sensu positum, quo alibi *æstatem rapidam* dixit poeta; quamquam *rabidi* epitheton utroque loco restitui possit.

43. *Efficiet, magni quum spectat signa Leonis.* Vulgo: « Efficient magni conspectu signa Leonis ». In versu sequenti cum Grotio reposui *plenique* pro *plerique*. Possit etiam legi *plenaque*. Alius tamen forsitan tueri malit vulgatum.

45-49. *Adtrahit Autumno pluvias*, etc. Ita dedit Grotius. In vulgata lectione: « Detrahit Autumno pluvias, eademque repellit Nubibus assiduis, cælumque ob frigora prima, Extremum Autumni superent glacialia terræ », nullus sanus inest sensus. *Adtrahere* et *repellere* plane contraria. Libra adtrahit quidem humores, sed non resolvit, ita ut nubes semper pendeant. Alibi Germanicus: « semper pendentia tantum Nubila continua magis in statione manebunt ». Itaque et dat pluvias Libra, et aufert. Frigus vero adfert extremum, adeo ut neque extremum Autumni, τὸ φθινόπωρον ἢ μετόπωρον, algore vincat Autumni principium, quod per Libram noscitur; quemadmodum, quum Venus est in Ariete, Veris initium dixit. Venus enim et Sol pari spatio ferme cursum perficiunt.

49. *Ne quid cava Terra queratur.* Sensus est: Quamquam in Virgine et Libra aura fuerit ingrata et pluvia, tamen Scorpius pluviis absti-

Horrebit pluviis. At diris omnia nimbis
Continuisque fluent, quum per sinuosa tenetur
Cornua Centauri rapida distenta Sagitta.
Ægoceros imbres, et crebro lumine ruptos
Nubibus elidet sonitus, tremuloque nitore
Flagrantis teli mortales numina vincent.
Hæc eadem fundens prædicit Aquarius imbrem.
Extremi sævis maria increbrescere ventis
Ostendunt Pisces, Veneris quos stella notavit.
Et quoniam certis exstat via cognita signis,
Accipe quid moveat mundo Cyllenius ignis,
Si modo Phœbei flammas evaserit axis,
Matutina ferens solitos per sidera cursus.
Quum pecudis villis auratum fulserit astrum,
Ventorumque graves, et diræ grandinis iræ,
Non intermisso quatiendi tempore surgent.
Quin pluvias alias etiam in regione notabis
Adfore; non minimus namque est tunc imber in arvis.
Ast ubi se Taurus sinuatis cornibus effert,

nens efficict, ne quid Terra possit queri. Vulgo : » ne quis cava terra gravetur ». Proposuit Grotius quoque legendum : « ne quid cava terra gravetur ».

50-52. *At diris omnia nimbis*, etc. In Sagittario, inquit, omnia fluitabunt præ nimbis nimiis. Vulgo : « ad diros omnia nimbos Continuosque ruit..... rapida distincta sagitta ».

55. *Mortales numina vincent*, h. e. Di homines fulminibus et tonitru superabunt ac terrefacient. Vulgo : « mortalia numina vincent ».

57. *Extremi sævis*. Vulgo : « Extremis sævis », male. In Catalectis : « Pisces ultimus ordo ». In versu sequenti restitui *notavit* pro *notarit*.

60. *Accipe quid moneat*, etc. Ita emendavit Grotius. Vulgo : « quid moveat mundo ».

62. *Matutina ferens solitos per sidera cursus*. Hypallage est pro : « Matutinos cursus ferens per solita sidera ». Simile illud Virgilii, Æn. VI, 268 : « Ibant obscuri sola sub nocte per umbram ».

63. *Quum pecudis villis*, etc. Sic legendum. Vulgo : « Quum pecudum ». Sed intelligitur Aries. Infra : « quum regna Tonantis Ingrediens pecudis redit intrans aurea terga ». Manil. Astron. I, 263 : « Aurato princeps Aries in vellere fulgens ».

67. *Adfore, non minimus*, etc.

Grandine signa facit. Gemini tranquilla sereni
Et placidum nautis spondent cælumque fretumque,
Nubilaque atque imbres, æstus ac frigora miscent.
Certior ardor erit, quamvis juvet aura Favoni,
Quum vasti calida radiabit sede Leonis.
Templa sed Astrææ simul ac possederit ignis,
Omnia mixta feret, pluvias meditabitur; ingens
Undique grando venit, rumpuntur culmina nimbis.
Centauri adtigerit quum jam Cyllenius arcum;
Aut ubi consurget Capricornus et ipse biformis,
Aut subitos cælo deducet crebrius imbres,
Fulminis aut jactu magnum perrumpet Olympum.
Nulla serenato Capricornus nubila cælo
Comparat; at gelidos flatus, cælique fragores,
Non alio melius signo prædicere possis.
Piscibus hæc eadem quamvis cognoscere fas sit,
Quandoquidem exoritur mundo Cyllenius ignis.

Vulgo sine sensu : « Adfore non omni; namque est tunc imber in arvis ».

69. *Grandine signa facit.* Ita videtur legendum pro « grandinis signa facit » : solent enim hi casus permutari. Verum eodem sensu possit vulgata quoque lectio defendi : « Grandine significat ». — Sed ibi Buhl. scribit *Grandini*, quod tolerari potest, si pro *Grandinis* legatur. Ed.

72. *Aura Favoni.* Etesias indicat Germanicus, qui post æstivum solstitium flare solent, tunc nempe, quum Sol, cui Mercurius est comes quodammodo, in Leone est. Conf. Arat. Phæn. vs. 152. Sunt autem Etesiæ teste auctore libri de mundo Aristoteli adscripti μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων καὶ Ζεφύρων. Hinc est, quod Plinius et Schol. Germanici Aquilones vocent, alii Favonios, quos ita conciliabis. Conf. *Kapp* ad Aristot. de Mundo, Excurs. III, p. 367 sq.

74. *Templa sed Astrææ*, etc. Vulgo : « Templa sed ætherei simul ac possederit ignis ». De Virgine sermo est sine dubio.

77. *Adtigerit quum jam Cyllenius arcum.* Vulgo *arcus*, male. « Arcum Centauri » dixit Germanicus, ut supra « cornua Centauri ».

78. *Aut ubi consurget Capricornus.* Vulgo *consurgit.* Sic et in versu 80 rescripsi *perrumpet* pro vulgato *perrumpit.*

82. *At gelidos flatus.* Vulgo *aut.* Capricornus, inquit Germanicus, non cogit nubes, neque adtrahit, sed coactas resolvit, ideoque tonitrua ex eo potes prædicere.

Quid faciat primo mundo cum lumine Solis,
Tempus et occasu moneat, quæ discere, Phœbi.
Ver erit hibernis totum exsecrabile nimbis,
Et crebro tonitru ninget, florentia rura,
Spesque novæ segetis quatientur grandinis ictu,
Uretur cælum, magni quum regna Tonantis
Ingrediens pecudis redit intrans aurea terga.
Hinc et Agenorei stellantia cornua Tauri,
Quidve ferant Gemini, rapido quid sidere Cancer,
Si penitus quæras: Taurum sævire videbis,
Grandine nec contra ferri ratione probanda
Aut Cancrum, aut Geminos: calidus vestigia servat
Hæc, quæ dicta Leo, sævisque caloribus ardet.
Flatibus at Gemini miscent tranquilla sereni,
Spiciferæque manu tendenti nubila Libra
Dissentit Divæ; sed enim hæc ventura serena

86, 87. *Quid faciat primo mundo,* etc. Sensus est: Nunc diximus, quid agat Mercurius, si modo Phœbei flammas evaserit axis. Tempus igitur est, discere, quid faciat mundo cum primo lumine solis, et quæ moneat occasu Phœbi. Res clara. Astronomi etiam hujus sæculi aliter Mercurium speculantur solum, aliter cum Sole sive oriente, sive occidente; nam et hæc in significationibus diversa sunt.

89, 90. *Et crebro tonitru ninget*, etc. Tria prædicit mixta: Tonitrua, grandinem, nives.

91, 92. *Magni quum regna*, etc. Vulgo: « Ingrediens pecudis ingreditur aurea terga ». Vocem repetitam *ingreditur* repudiant et metrum et sensus. *Regna Tonantis* simpliciter pro *cælo* positum, ut Arato ἔνδιος, ἐνουράνιος.

95-98. *Taurum sævire videbis*, etc. Ita legere et distinguere jussit Grotius. Ait Germanicus, ut liquet, Taurum grandine sævire; Cancrum quoque et Geminos non ferri in contrarium, quod foret optandum; immo et Leonem servare præcedentium siderum vestigia.

99. *Flatibus at Gemini*, etc. Sic emendavit quidem Grotius lectionem vulgatam: « Flatus at Geminis miscet tranquilla serenis ». Sed quia Leo Geminos debet præcedere, et de iis jam mentio facta est, et quia supra habuimus: « Gemini tranquilla sereni », unde hoc repetitum videtur, recte hunc versum omnino spurium Grotius judicat.

100, 101. *Spiciferæque manu tendenti*, etc. ex emendatione Grotii, transpositis et paullulum mutatis literis lectionis vulgatæ, in qua nullus inest sensus: « Spiciferæque manu tendenti libera nutu Dissen-

Nuntiat, et ventis cessat mare, cessat et aer.
Scorpios in pluvias rarus, sed nubibus atris
Creber agit nimbos, et sæva tonitrua portat,
Clara Sagittiferi tetigit quum lumina signi.
Ægocero semper cælo levis excidit imber.
Frigidus at rapidis horrebit Aquarius Euris,
Brumalesque dabit pluvias, atque igne perenni
Cum sonitu quatiet nubes; si cura laboris
Non frustrans animum certo me limite ducat,
Hæc eadem tibi signa dabunt non irrita Pisces.

tit Divæ ». Desideratur quoque in hoc vulgato textu signum Libræ. Spicifera Dea est Virgo, quam Cererem esse nonnulli voluerunt, secundum Hyginum. Ab hac dissentit Libra. Illa manu tendit nubila; hæc nuntiat serena. In sequentibus, v. 101, restituendum *sed enim hæc*, vel *sed et hæc*, pro *sed ut hæc*.

106. *Ægocero*, supple *surgente*. Ed.

VETERIS SCHOLIASTÆ
AD
GERMANICI PROGNOSTICA
COMMENTARIA.

Solem per seipsum constat moveri, non cum mundo verti, sed in zodiaci circuli obliquitate cursum peragrare, paullo superius diximus; qui quum per trecentos sexaginta quinque dies et quadrantem zodiacum lustret, et singula tricenis diebus denisque horis ac semisse, id est, dimidia hora, transcurrat, incremento dimidiarum horarum quarto anno unum diem complet, quem bissextum nuncupant, qui dies conficitur ex quadrantibus. Nam quum duodecies semis sex horas integras faciant, id est, quadrantem, hic quadrans quater ductus viginti quatuor horas perficit, idem unum diem cum sua nocte complet, et in quarto bissextum, ut præfati sumus, efficit. Sol interea dum igneus sit, præ nimio motu conversionis suæ amplius incalescit. Cujus ignem dicunt philosophi aqua nutriri, et e contrario elemento virtutem luminis et caloris accipere, unde videmus eum sæpius madidum atque rorantem. Tunc autem eclipsin patitur, quod Latine defectio dicitur, quoties Luna XXX ad eamdem lineam, qua Sol vehitur, pervenit, eique se objiciens eum obscurat, unde deficere nobis videtur; quum ei orbis Lunæ opponitur. Signa enim tempestatis vel serenitatis hoc modo astrologi mundi cognoscenda esse dixerunt. Virgilius namque ait, Si Sol in ortu suo maculosus sit, atque sub nube latens; aut si dimidia pars ejus adparuerit, imbres futuros. Item Varro ait, Si exoriens concavus videtur, ita

ut e medio fulgeat, et radios faciat, partim ad aquilonem, partim ad austrum, tempestatem humidam et ventosam futuram innuit; item, si Sol, inquit, rubeat in occasu, sincerus dies erit; si palleat, tempestatem significat. Nigidius quoque ait, Si pallidus Sol in nigras nubes occidat, aquilonem ventum significat. Hunc etiam Græci Apollinem adpellaverunt, a quo se spiritum accipere arbitrantur: ἀπόλλων enim Græce, Latine *perdens* dicitur, quod fervore suo omnem succum virentium decoquendo perdat herbarum. Hunc etiam divinationis Deum esse voluerunt, sive quod Sol omnia obscura manifestat in luce, sive quod in suo processu, et occasu ejus orbita multimodos significationum monstret effectus. Sol dicitur, aut ex eo quod solus sit, aut quod solito per dies surgat et occidat. Hunc etiam sine barba pingunt, quia occidendo et nascendo semper est junior, sive quod numquam in sua virtute deficiat, ut Luna, quæ crescit aut minuitur. Huic quoque illam ob caussam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, id est, verni, æstatis, autumni, et hiemis: aut quod quadripartito limite diei metitur spatium. Unde et ipsis equis condigna nomina posuerunt, id est, Erythræus, Æthon, Lampros, et Philogæus. Erythræus Græce ruber dicitur, quod a matutino lumine rubicundus exsurgat. Æthon lucidus dicitur, quod tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampros vero lucens vel ardens dicitur, quod fit dum ad umbilicum diei contra arcticum conscenderit circulum. Philogæus Græce terram amans dicitur, quod hora nona proclivior vergens occasui pronus incumbat.

Luna terris vicinior est, quam Sol, sive quam cætera errantia sidera. Unde et breviore orbe celerius peragit cursum suum. Nam iter, quod Sol trecentis et sexaginta quinque diebus et sex horis peragit, Luna viginti septem diebus et octo horis percurrit; singula vero signa Sol tricenis diebus et denis horis ac semisse. Luna autem binis diebus, et semis hora, besse unius, perlabitur. Unde fit, ut quantum spatii

in zodiaco Luna percurrit, tantum Sol tredecim diebus expleat. Hanc quidam philosophorum dicunt proprium lumen non habere, globique ejus unam partem esse lucifluam, aliam vero obscuram et paullatim se vertendo diversas formas efficere. Alii contra aiunt, Lunam globum suum habere, sed ignem a Sole concipere, et quantum percutitur ardescere, et quantum a Sole discedit augeri. Quum vero contra steterit, feritur ex adverso et velut speculum, non vim, sed imaginem reddit, unde et defectum patitur, si inter ipsam et Solem umbra terræ interveniat. Hac enim crescente universa gignentia pubescunt, tenuescente tenuantur; humor etiam et spiritus omnis augescit, tumescit Oceanus. Quod diverso cæli et vagantium stellarum temperatur, atque deteritur et infra fluit, id excipit Luna et Soli tradit. Quo et animalia vigescunt, et humus quodammodo animatur genitali calore, et ut ita dixerim, viva plurimum valent in originibus, quam in ortu sunt; languent in occasu. Ortum facit in stella, quam Sol præterit, deinde statione matutina quum a quinto loco Solis steterit, in eodem manet signo, donec ab eodem Sole moveatur, quæ contraria est Soli. Mane occidit, oritur simul nocte, et vocatur Chronicos. Deinde rursus altero latere, a quinto signo deprehensa postmeridiana, stationem facit, donec ingresso Sole idem signum sub radiis ejus delitescens in totum occidat. Adspiciunt inter se stellæ ex tertio signo, quod dicitur Trigonum, et habent maxime confusionem; item a quarto signo, quod Tetragonon et Centrum vocatur, et in alterutrum maxime præstant effectum. Item ex contrario, quod est septimum signum et Diametron vocatur, quæ maxime adversum cætera dissident. Vel leviter adspiciunt, ut sextum, quod dicitur Hexagonon. Signa tropica peregrinis nationibus præsunt, et omnino motibus et consiliis subinde variantur, atque permutantur. Biformia generatione rerum omnium repetitionem significant, et interim dilationem. Solida vehementer et instanter efficiunt, et ad exitum vel prospera vel ad-

versa perducunt, sicut adspiciuntur a stellis, vel faventibus, vel repugnantibus. Jam vero quia de ejus cursu vel ordine sub brevitate diximus, restat, ut quid de ea gentiles senserint, edicamus. Lunam gentiles Dianam, germanam Solis, quem Apollinem nuncupabant, fuisse dixerunt, et sicut a Sole spiritum, ita se a Luna corpus accipere arbitrabantur. Dicebant enim eam viarum præsidem, et virginem, eo quod in via nihil pariat. Idcirco igitur ambo sagittas habere dicuntur, quod ipsa duo sidera de cælo radios usque ad terram emittant; ideo faces, quia Luna illuminat, Sol et illuminat et exurit; ideo bigam Luna dicitur habere, sive propter velocitatem, sive pro eo quod nocte et die adparet; ideo unum equum album et alium nigrum dicitur habere, eo quod hieme et æstate plus luceat, quam vere et autumno. Diana autem Luna dicta est, quasi diurna, eo quod die ac nocte adparet ipsa, et Luna eo quod luceat, et Trivia eo quod tribus fungatur figuris, de qua Virgilius ait, *Tria virginis ora Dianæ;* nam eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur, id est cælestis, terrestris, et infernalis. De qua quidam, *Denique quum Luna est, sublustri splendet amictu; Quum succincta jacet calamis, Latonia virgo est.* Lunam voluerunt etiam apud inferos Proserpinam, seu quod nocte luceat, sive quod humilior currat et terris præsit; unde bigam boum habere dicitur, illo videlicet pacto, quod detrimenta et augmenta non solum terra, sed et lapides, vel cerebra animantium, et quod magis incredibile sit, etiam lætamina sentiunt, quæ in Lunæ incrementis ejecta vermiculos parturiant. Ipsam Dianam ortam nemoribus volunt, simili modo, quod arborum ac fruticum succo augmenta inducat. Denique crementis Lunæ abscissa ligna furfuraceis tinearum terebraminibus fistulescunt. Nemoribus quoque adesse dicitur, quod omnis venatio plus nocte quam die fiat. Endymionem vero pastorem amasse dicitur, duplo scilicet modo: seu quod primus hominum Endymion cursum Lunæ invenerit, unde et triginta annos dormisse

dicitur; quia nihil aliud in vita sua, nisi huic repertioni studuit, sicut Mnaseas in primo libro de Europa scribens tradidit: sive quod Endymionem amasse fertur, quia nocturni roris humor, qui est siderum, quique ipsius Lunæ, animandis herbarum succis insudetur, et pastoralibus prosit successibus. Præterea signa tempestatis vel et serenitatis in ea videri posse Antiqui dixerunt. Nigidius ait, Si Luna in summo circulo maculas nigras habuerit in primis partibus mensis, imbres futuros significat. Si in medio, tunc quum plena sint in eo cornicula, serenitatem. Cæterum si rubet quasi aurum, ventos ostendit. Fit enim ventus ex aeris densitate, qua obducti Sol et Luna rubescunt; item si cornua ejus tetra fuerint nebula, tempestas futura est. Aratus autem dicit, Si aquilonium cornu Lunæ est porrectius, aquilonium imminere: item si cornu australe sit erectius, notum imminere. Quarta autem Luna index futurarum certissima habetur aurarum. Unde et Virgilius, *Sin ortu quarto: namque is certissimus auctor.*

A Bruma in Favonium Cæsari nobilia sidera, significant III cal. Januarias matutino Canis occidens, quo die Atticæ et finitimis regionibus Aquila vespere occidere traditur. Pridie nonas Januarias Cæsari Delphinus matutino exoritur, et postero exoritur Fidicula, quando Sagitta vesperi occidit. Item quinto idus Januarias ejusdem Delphini vespertinus occasus et continui dies hiemis Italiæ, quum Sol in Aquarium sentitur transire, quod fere XVIII cal. Febr. evenit. VIII Febr. Regia stella adpellata Tuberoni, in pectore Leonis occidit matutino, et pridie non. Febr. Fidicula vesperi occidit.

A Favonio in æquinoctium Cæsari significant IV cal. Mart. quatriduum varie, et VIII cal. Mart. hirundinis visus, et postero die arcturi exortus vespertinus. Item nonas Mart. Cæsar Cancri exortu id fieri observavit. VIII Idus Mart. aquilonis Piscis exortus, et postero die Orionis exortus, et in Attica Milvus adparere observatur. Idibus Martiis Cæsar

ferales sibi notavit Scorpionis occasus. III kal. Aprilis Italiæ Milvus ostenditur. XII kal. Aprilis Equus occidit matutino.

Æquinoctium vernum VIII kal. Aprilis peragi videtur. Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Cæsari significant. III non. April. in Attica Vergiliæ vespere occultantur. Item post pridie nonas Apriles in Bœotia et Chaldæis Orion et gladius ejus incipiunt abscondi. Cæsari VI Idus Aprilis significat imbres Libræ occasus. XIV kal. Maias Suculæ occidunt vespere, sidus vehemens, et terra marique turbidum. XVI kal. Maias, in Attica occidunt vesperi, Cæsari. XV kal. Mai. quatriduum significant. XII kal. Mai. Assyriis Suculæ occidunt vesperi, quod vulgo adpellatur sidus parilicium, quoniam XI kal. Maias urbis Romæ natalis habetur, quo fere serenitas redditur; claritatem observationis membrorum augmento, Hyadas adpellantibus Græcis, quod nostri a similitudine cognominis vocabulum eis stellis propter succos impositum arbitrantur : imperiti adpellavere Succidas. Cæsari VIII kal. Maias notantur dies. VII kal. Maias Ægypto Hædi exoriuntur. VI kal. Maias Bœotiæ et Atticæ Canis vespere occultatur, et Fidicula mane oritur. V kal. Maias, Assyriis Orion totus absconditur. Quarto autem kal. Maias Assyriis Canis.

VI non. Maias Cæsari Suculæ matutino exoriuntur, et VIII Idus Maias Capella pluvialis. Ægypto autem eodem die Canis vesperi occultatur. Sic fere in VI Idus Maias, qui est Vergiliarum exortus, decurrunt sidera.

A Vergiliarum exortu significant Cæsari post pridie Idus Maias Arcturi occasum matutinum. III Idus Maias Fidiculæ exortus. XII kal. Junias Capella vesperi occidit et in Attica Canis. XI kal. Junias Cæsari Orionis gladius occidere incipit. III no. Junias Assyriis Aquila oritur vesperi. VII Idus Junias Arcturus matutino occidit Italiæ. IV Idus Junias Delphinus oritur in Ægypto. XI kal. Julias ejusdem Orionis gladius

Cæsari occidere incipit. VIII kal. Julias, longissimus dies totius anni, et nox brevissima solstitium conficit.

A solstitio ad Fidiculæ occasum, VI kalend. Julias Cæsari Orion exoritur: Zona autem ejus Assyriis, IV non. Julias: Ægypto vero eadem die Procyon æstuosus matutino oritur, quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Canicula, quam volumus intelligere minorem Canem, ut in astris pingitur ad æstum maxime pertinens, sicut paullo post docebimus. IV non. Julias Chaldæis corona occidit matutino. Atticæ Orion totus eadem die exoritur. Pridie Idus Julias, Ægypto Orion desinit exoriri. XV kal. Augustas, Assyriis Chiron exoritur. Deinde post triduum fere ubique confusum inter omnes sidus, indicans quod Canis ortu vocatus, Sole partem primam Leonis ingresso quum fit solstitium, quod sidus accendit Solem et magnam æstus obtinent caussam. XVI kal. August. Ægypto Aquila occidit matutino, Etesiarumque Prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar X kal. Aug. sentire Italiam existimavit: Aquila Atticæ matutino occidit. VII Idus Aug. Arcturus medius occidit.

III Idus Aug. Fidicula occasu suo autumnum inchoat, aut adnotat; sed vera ratio id fieri invenit pridie Idus Aug. Equus oritur vesperi, et Cæsari. Ægypto Delphinus occidit. XI kal. Septembres Assyriis stella, quæ Antevindemiator adpellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens, cujus argumento erunt agni colore mutati, et Assyriis quinto kal. Septemb. Sagitta occidit, Etesiæque desinunt. Antevindemiator Ægypto nonis Septembribus oritur. Atticæ Arcturus matutino, et Sagitta occidit mane. V Idus Septemb. Cæsari Capella oritur vesperi: Arcturus vero pridie idus Septembr. imbres vehementissimos significat, terra marique. Ratio ejus hæc traditur, si Delphino occidente imbres fuerint, non defuturi sunt per Arcturum. Ejus signi ortum servat hirundinum habitus. Namque deprehensæ intereunt. XVI kal. Octob. Ægypto Spica quam tenet Virgo,

oritur matutino, Etesiæque desinunt. XI kal. Octobres commissura Piscium occidit, ipsumque Equi sidus VIII kal. Octob. III kal. Octobr. Hædi oriuntur. Kal. Octobribus Capella matutino exoritur. VI nonas Octobr. Atticæ Corona exoritur mane. V nonas Octob. Heniochus occidit matutino. IV non. Octob. Cæsari Corona exoriri incipit, et pridie non. occidunt Hædi vesperi. VIII Idus Octobr. Cæsari fulgens in Corona stella exoritur et tertio Idus Vergiliæ vesperi exoriuntur. XVIII kal. Novembr. Succulæ vesperi oriuntur. Pridie kal. Novembr. Cæsari Arcturus occidit, et Succulæ exoriuntur cum Sole; quarto nonas Novemb. Arcturus occidit vesperi, et Idus Novembr. Atticæ Vergiliæ occasu suo hiemem inchoant. Quinto Idus Orionis gladius occidere incipit. Deinde III Idus Vergiliæ occidunt, occasum matutinum Vergiliarum Hestodes: natura hujus quoque nominis Hestodis astrologiam tradidit fieri.

In æquinoctio autumni, confitetur quod Thales XXV die ab æquinoctio, Anaximander XXXI, Euctemon XLVIII; nos autem, sequentes observationem Cæsaris, XLV die ab æquinoctio dicimus fieri.

Ante omnia autem duo esse nomina cælestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod *tempestates* vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur, quæ quum plenilunio acciderint, vi majore impelluntur. Hæc ab horridis sideribus exeunt (ut sæpius diximus) veluti Arcturo, Orione, Hædis. Alia sunt illa, quæ silente cælo, serenis noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi quum facta sunt publica: et magnæ sunt differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis caliginem impellentibus: omnibus vero sterilitatem. De his nunc dicemus, quæ ante nos a nullo sunt prodita. Prius caussas reddemus eorum, quæ sunt præter lunarem, et quæ paucis cæli locis constant. Namque Vergiliæ primatum tenent ad fructus, quarum exortu æstas incipit, occasu hiems, semestri spatio intra se, et messes vindemiasque, et omnium maturitatem amplexan-

tur. Est præterea in cælo, qui vocatur Lacteus circulus, etiam visu facilis: hujus defluvio velut ex ubere aliquo sata cuncta lactescunt, duorum siderum observatione: Aquilæ in septemtrionali parte, et in austrina Caniculæ, cujus mentionem suo loco fecimus. Ipse circulus fertur per Sagittarium et Geminos, solis centrum infra æquinoctialem circulum secans, commissuras eorum obtinente, hinc Aquila, illinc Canicula. Ideo effectus utriusque ad omnes frugiferas pertinet terras, quoniam in his tantum locis solis terræque centra congruunt. Igitur horum siderum diebus, si purus atque mitis aer genitalem illum lacteumque succum transmiserit in terras, læta adolescunt sata; si luna, qua dictum est ratione, roscidum frigus adsperserit, admixta amaritudo, ut in lacte puerperium, necat. Modus in terris hujus injuriæ, quam fecit in quacumque convexitate comitatus utriusque caussæ, et ideo non pariter in toto orbe sentitur, ut nec dies. Aquilam diximus in Italia exoriri XIII kal. Januarias: nec patitur ratio naturæ quidquam in satis ante eum diem spei esse certæ. Si vero interlunium incidat, omnes hibernos fructus lædi necesse est. Rudis fuit priscorum vita, atque sine literis, non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem adparebit, quam nunc esse rationem. Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos: Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa constituit anno regni sui XI, quæ nunc aguntur, ad VII kal. Mai. quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat, Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio: sed vera caussa est, quod post dies XIX ab Æquinoctio verno, per id quatriduum varia gentium observatione in quarto kal. Maii Canis occidit, sidus et per se vehemens, et cui præoccidere Caniculam necesse sit. Iidem itaque Floralia quarto kal. ejusdem instituerunt, urbis anno DXVI ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, Sole Tauri partem quartam decimam ob-

tinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges et omnia quæ florebunt lædi necesse erit. Vinalia priora quæ ante hos dies sunt, IX kal. Mart. degustandis vinis instituta, nihil ad fructus adtinent, nec quæ adhuc diximus, ad vites oleasque, quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit, ad sextum Idus Maii, ut docuimus. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint; exhorrent enim frigidum sidus Arcturi postridie occidens, et multominus plenilunium incidere. Quarto nonas Junias iterum Aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium incidat in eum, equidem et solstitium octavo kal. Junias in simili casu dixerim et Canis ortum post dies a solstitio XXIII, sed interlunio accidente, quoniam vapore constat culpa, acinique præcoquuntur in callum. Rursus plenilunium nocet ad quartum nonas Julias, quum Ægypto Canicula exoritur, vel certe XVI kal. Aug. quum Italiæ item quarto kal. Aug. quum Aquila occidit usque in X kal. ejusdem. Extra has caussas sunt Vinalia altera, quæ aguntur XIII kal. Septembr. et Varro, a Fidicula incipiente occidere mane, determinat: quod vult initium autumni esse et hunc diem festum tempestatibus leniendis esse institutum. Nunc Fidiculam occidere sexto Idus Aug. observatur. Intra hæc constat cælestis sterilitas; neque negaverim posse eam permutari arbitrio legentium locorum et æstimantium naturas, sed a nobis rationem esse demonstratam satis est; reliqua observatione cujusque constabunt. Alterutrum quidem fore in caussa, hoc est, plenilunium, aut interlunium, non erit dubium, et in hoc mirabilem admirari benignitatem Naturæ succurritiam; primum hanc injuriam omnibus annis accidere non posse, propter statos siderum cursus, nec nisi paucis noctibus anni : idque quando sit futurum facile nosci, ac ne per omnes menses timeretur, earum quoque lege divisum æstate interlunia, præter quam biduo secura esse hieme plenilunia, nec nisi æstivis brevissimisque noctibus metui, non diebus item

valere. Præterea tam facile intelligi, ut formica minimum animal interlunio quiescat, plenilunio et etiam noctibus operetur. Avem Param oriente Sirio ipso die non adparere, doneç occidat, e diverso Virionem prodire ipso solstitii die. Neutrum vero Lunæ statum noxium esse, ne noctibus quidem nisi serenis, et omni aura quiescente; quoniam neque in nube, neque in flatu cadunt rores; sic quoque non sine remedio. Sarmenta aut palearum acervos, et evulsas herbas, fruticesque per vineas camposque quum timebis, incendito, fumus medebitur; hic e paleis et contra nebulas auxiliatur, ubi nebulæ nocent. Quidam tres cancros vivos cremari jubent in arbustis, ut carbunculi non noceant. Alii siluri carnem leviter uri a vento, ut per totam vineam fumus dispergatur. Varro auctor est, quod si Fidiculæ occasu, quod est initium autumni, una pica consecretur inter vites, minus nocere tempestates. Archibius ad Antiochum Syriæ regem scripsit, si fictili novo obserata obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates.

(Vertices extremos circa quos cæli sphæra volvitur, Polos nuncupavere, e quibus unus est septemtrionalis, qui boreus adpellatur, qui numquam occidit. Alter australis, qui terræ objectus a nobis numquam videtur. Et austronotus dicitur, quam quidam dicunt esse Tethyn Oceani uxorem, nutricem Junonis, quæ fingitur in Oceano prohiberi occidere. Hæc habet stellas, in capite septem non claras, in utraque aure duas, in armo unam, in pectore claram unam, in pede priori unam, in femore posteriori duas, in pede extremo posteriori duas, in cauda tres. Sunt omnes XX.)

M. MANILII
ASTRONOMICON
LIBRI QUINQUE

EX RECENSIONE

JOS. SCALIGERI,

CUM SELECTIS NOTIS

FAYI, BENTLEII, PINGRÆI,

NOVISQUE ANIMADVERSIONIBUS

PRÆMONITIO
NOVI EDITORIS.

Manilium ut ederemus, jamdudum monebat Wernsdorfii consilium, quod huj. edit. t. IV, p. 2, in præfatione aperit, ipsiusque nostri operis poscebat utilitas. In hoc autem castigando Scaligerum præcipue ducem elegimus, quamvis sub oculis Bentleium et Fayum, et omnium recentissimum, Al. G. Pingræum, habuerimus, Regiæ Scientiarum Academiæ socium, qui anno 1786 Manilii textum cum versione Gallica et notis edidit Parisiis, in-8. Hic autem fere semper Bentleium sequutus videtur, cujus non immerito multi audaciam in refingendo Manilii textu carpserunt, teste ipso Wernsdorfio nostro, huj. op. tom. II, pag. 4 præfat. Nos vero, quia sic poemati sua integritas vix manere videbatur, lectionem codicis Gemblacensis, auctoritate Scaligeri innixi, non ita tamen ut servili imitatione uteremur, plerumque amplexi sumus. Lectionis varietates innumeras, ut in poeta omnium scriptorum, quotquot sunt, corruptissimo, sæpe supersedimus notare; quæ versuum adeo numerum exsuperant, ut fere verborum exæquent. Rarius quidem, sed non semel a Scaligero recessimus, quoties vel ipse quædam ex mera conjectura immutavit, vel occurrerunt versus depravati, aut lectiones ineptæ, e quibus nullus idoneus sensus posset elici. Emendationes Bentleii nonnullas vetustiorum manuscriptorum fide adjutas, e quibus major elegantia aut lucidior ordo accedebat, multoties recepimus. Alias autem ex arbitrio quidem enatas, vel conjectaneas, literæ forte unius mutatione formatas, tunc modo contexto intulimus, quum iis manifeste vis sermonis et perspicuitas augebatur;

sin minus, eas in notis tantum indicavimus. Versus quidem integros, quos Bentleius, et ejus exemplo Fayus et ipse Pingræus e texto excluserunt, servare maluimus; sed eos omnes, quia prorsus spurii et obscuri videbantur, ne ullam lectori crearent moram, typis, ut vulgo vocantur, Italicis imprimendos curavimus. Nunc vero totius operis synopsin dare prætermittimus, quia cuique libro peculiare argumentum præfigetur. Restat, ut indicem editionum et manuscript. Manilii, quorum ad nos notitia pervenit, perscribamus; et quibus scribendi compendiis designentur, ostendamus.

B. — Richardus Bentleius. Londini, typis Henrici Woodfall, 1739, in-4.

Bonon. — Editio primaria Bononiensis, 1484, in-4.

Bull. — Ismaelis Bullialdi notæ in lib. II Manilii, ad calcem Scaligeranæ editionis. Argentor. 1655.

Burt.—Edmundus Burton. M. Manilii Astronomicon, etc. Londini 1783, in-8. Sed ille tantum priorem Scaligeri editionem vidit; posteriores eum latuerunt.

Carr. — Antiquarum Lectt. Commentarii tres, Carrione auctore. Antwerp. 1576, in-8. Hic liber LX capita continet, e quibus XII in emendando et illustrando Manilio impenduntur.

F. — Michael Fayus, editio ad usum Delphini, Parisiis, apud Fredericum *Leonard*, 1679, in-4. Hæc satis fideliter ultimæ Scaligeranæ lectiones sequitur, alias tamen e Junio, et Bibliothecæ Regiæ Parisiensis manuscripto codice hausit, aut ex veteribus editionibus consarcinavit. Bonæ lectiones, quæ sibi ipsi debuit, ut ait Pingræus, admodum paucæ sunt. Commentarium ejus inconcinnum et obscurum plane omisimus.

G.—Manuscriptus codex Gemblacensis, omnium antiquis-

simus, qui decimo sæculo scriptus habetur. Hoc usus est Scaliger.

Huet. vel H.—Pet. Dan. Huetii Animadversiones in Manilium et Scaligeri notas, ad calcem editionis Fayanæ.

Jun. — Lectiones variæ F. Junii Biturigis, et notæ in Manilium, Heidelb. apud Commelinum, 1590, in-8. Primam Scaligeri omnino repetiit. Varias tantum lectiones perpaucas non felicibus conjecturis suis arreptas addidit.

L. — MS codex Lipsiensis, forte undecimo sæculo scriptus, quem Bentleius bis, ann. 1693 et 1709, cum ultima Scaligerana contulit.

Molin.—Editio Lugdunensis, curante Molinio Mattisconensi, 1556.

Pal. — MS codex Palatinus, satis quidem recens, cujus varias lectiones collegit Junius.

Par. — MS codex regius Parisinus, quo usus est Fayus.

Pruckn. — Editio Basileensis, curante Prucknero, 1533 et 1551.

Reg. — Editio Nurembergensis Regiomontani, sine impressionis anno.

Rom. — Editio Romana Bonincontrii, de qua vid. infra Proleg. ad Manilium.

Sc.—Scaliger in Manilium, edente Bœclero. Argent. 1655.

Stœb. — Editio Manilii, Argentorati, apud Am. Kœnig, 1767, cura et studio M. Eliæ Stœber. In hanc vehementissime declamat Pingr. Introd. p. 33.

Cæterum multi eruditi obiter in suis operibus Manilio curas dederunt, e quibus præcipue adpellandi Casp. Bar-

thius in Adversariis, J. Casp. Gevartius in Electis, J. Fr. Gronovius in Observationibus, Adrianus Heringa in libro Observationum singulari, J. Phil. Orvillius in Charitonis de Chærea et Callirhoe libros VIII, Petavius in lib. de Doctrina temporum, ejusque operis Supplemento, Cl. Salmasius in Exercitationibus Plinianis, in lib. de annis climactericis, vel in notis ad Simmiæ Rhodii ovum, Adrianus Turnebus in Adversariis; denique Isaac Vossius in Catullum.

JOSEPHI SCALIGERI

PROLEGOMENA

DE ASTROLOGIA

VETERUM GRÆCORUM

ET DE MANILII ASTRONOMICIS.

I. Quum multa sint in omni genere disciplinarum a Græcis prodita, omnes tamen Græciam bonarum artium magistram potius, quam parentem agnoscunt; quod non sua, sed Chaldæorum inventa excoluerit: qui quum ita judicant, videntur mihi aut Græcorum vetustatis obliti esse, aut eorum illustria in literas merita ignorare. Si enim rem ab ultima origine repetamus, deprehendemus artes non solum antiquitus a Græcis inventas, et perfectas fuisse, sed etiam ab illis ad eas nationes derivatas, a quibus Græcos hausisse volunt isti. Quum enim magnarum rerum tardi sint progressus, et ad earum scrutationem una ætas non sufficiat, earum quædam primo rudimenta sunt, neque cum perfectione sua ad nos transmittuntur : propterea accidit, ut ad majorum inventa aliquid procudendo posteriores adjiciant, et posteritati denique semper aliquid relinquatur a superioribus, quod aut emendatore aut illustratore indigeat. Quod quum in omni disciplina a Græcis factum sit, qui multum studii in hoc collocarunt, ut majorum inventa illustrarent, emendarent, elaborarent : quis

neget artes, quas Græci quotidie meliores fecerunt, nulli nationi acceptas referri debere, quam iis ipsis Græcis, qui eas gradatim et quasi ex alto eruerunt? Nam Chaldæi, et Ægyptii, a quibus omnia Græcos didicisse volunt, quid, obsecro, habent hodie, quod non a Græcis acceperint? immo quos libros paullo vetustiores bonarum artium, quos non ad verbum ex Græcorum in suam linguam transfuderint? quorum alteri nihil antiquum retinent, præter characteres, qui nihil aliud sunt, quam Phœnicum et Cananæorum literæ interpolatæ. Ægyptii vero ne suas quidem literas habent, sed ab Arabibus emendicatas. At sero Græci literas a Cadmo didicerunt, sine quibus nulla disciplinarum memoria conservari potest. Hoc quidem nemo negare potest: neque tamen propterea concedimus ab iisdem Græcos necessario artes accipere debuisse, a quibus literas didicerunt: siquidem literæ omni disciplina vetustiores sunt. Neque enim eos Medicinam aut Philosophiam docuit ullus Phœnix, Chaldæus, aut Ægyptius: quorum altera minimum aberat a perfectione sua tempore Hippocratis, scriptoris antiquissimi: alteram tot sectæ Philosophorum tam inter se discrepantes arguunt non potuisse ab ullo Chaldæo aut Ægyptio proficisci, quæ adhuc inter Græcos quæreretur. Restant Mathematica, in quibus Barbari aliquod jus vindicare possunt: quod ea tenus verum, ut figuras quidem Geometricas ab Ægyptiis accepisse Thaletem aut Pythagoram non negemus, Geometriam autem ab iis didicisse quominus credamus, obstant præclara Epichiremata Pythagoræ, quæ si ipse ab Ægyptiis didicisset, Hecatomben non immolasset. Accedit Eudemus priscus auctor, qui historiam Mathematicam contexuit, in qua quis Græcorum quid gradatim in Mathematicis invenerit ab incunabulis ipsius disciplinæ, ad suum ipsius sæculum, diligenter adnotaverat: arduum sane opus, et quod rei literariæ intererat non periisse. In Astrologia vero Græcos Chaldæo aut Ægyptio magistro usos, ita accipiendum, ut eam quidem sero ex-

coluerint invitati partim ab Eudoxo, quem Ægyptii docuerunt Planetas contra mundi motum niti, partim ab observationibus eclipticis Chaldæorum, quæ mediocrem tantum vetustatem præferebant, ut quæ a Nabonassari initio deducerentur, quod est posterius prima Olympiade. Sed Geometriam ab Ægyptiis eos didicisse, quod ab illis figuras acceperint, aut Astrologiam, quod Chaldæi observationes defectuum in annales suos relatas Græcis indicarint, perinde est, ac si quis se eloquentiam ab eo didicisse crederet, a quo rudimenta Grammatices; aut Philosophiam, a quo principia Logices edoctus fuisset. Quamobrem historiam defectuum Barbari Græcos docuerunt: caussas defectionum Græci indagarunt, et sero tandem repererunt, primum Conone Samio, qui defectiones Solis ab Ægyptiis observatas collegit, deinde Hipparcho, viro, ut Plinius ait, naturæ consiliario, eis viam præeunte, qui primus utriusque sideris deliquia a Chaldæis adnotata ad menses omnium Græciæ nationum adcommodavit, ex quo divino opere omnem historiam defectuum lunarium, hausit Ptolemæus, qui in suo illo magno opere multa Veteribus accepta refert, nulli plura, quam Hipparcho. Quod si rem propius putemus, etiam antequam ulla defectuum observatio Chaldaica ad Græcos pervenisset, jam prius Thales Milesius sine ullo magistro barbaro deliquia utriusque sideris didicerat, et adeo in illis profecerat, ut defectus ipsos longe ante prædiceret. Et certe ut Astronomiam Græcos sero adtigisse fatemur: ita Chaldæos ὁλοσχερῆ tantum, non etiam ἀκριβῆ ejus notitiam habuisse constanter adfirmamus: cujus quum duas partes facerent, τὸ μετεωρολογικὸν, quod circa motus versatur, et τὸ ἀποτελεσματικὸν, quod futurorum divinationem promittit: in priore Græcos nihil pæne a Chaldæis didicisse ostendimus: alterius, quæ multis modis, a bonis moribus, a Philosophia, ab ipsa Geometria reprehensionem incurrit, auctores fuisse Chaldæos adeo necesse est, ut omnes ejus artis sive potius insaniæ populares, cujuscumque nationis ii

fuerint, ab ultima vetustate hactenus Chaldæi dicti sint: ut taceam Sacra Biblia, in quibus nominis et artis Chaldæorum luculenta exstant argumenta. Neque tamen negare possunt Chaldæorum et Ægyptiorum fautores, Græcos etiam vetustissimos aliqua Astrologia usos: idque ad tempestatum significationes tantum, ad arandi, ad serendi tempora: eos Caniculæ ortum observasse: ex eo frugum proventum augurari solitos: quod a Ceis et Cilicibus factitatum fuisse a nobis alibi plene indicatum. Præterea undequinquaginta formaturæ cælestes non solum Græcorum sunt, sed etiam vetustissimorum; quum aliæ Indorum fuerint, aliæ Persarum, aliæ etiam ipsorum Chaldæorum. (Quod Scalig. pluribus argumentis, e Veterum Græcorum tum poetarum, tum Geometrarum operibus, desumptis, demonstrat: e quibus perspicuum est jam anno Iphiti 345 illis priscis formationes imaginum cælestium cognitas fuisse et eos ex illarum ortibus et occasibus tempora notasse.) Nam quod posteriores Hesiodo poetæ similes observationes Trojanis heroibus adtribuunt, non tam anticipatione poetica fictum videri dicimus, quam re ipsa potuisse contingere, quum cæli pictura omnium oculis pateat, et ex illis parabilis Astrologia petita omnibus sui copiam faciat. Nam ecce auctor Rhesi Tragœdiæ vetustissimus, qui sine dubio non est Euripides, scribit Vergilias eminere supra finitorem Aquila culminante. Et præterea notationem temporis adjecit, vicinitatem diluculi: postremo etiam partis anni, quo illa gesta finguntur, pulcherrimum characterem Lunam ex horizonte se primum efferentem: ut necessario gestus earum rerum intercesserit medio circiter Lunæ quadrante ultimo, hoc est, pauxillis diebus a jugo: quod ut proclivius ex Tetraeteridos Atticæ doctrina discere potuit Poeta, ita audacius ex ejus fide hæc pronuntiare. Nam scena illa agitur, ut ex Homero constat, eodem anno, quo Ilion captum, ut autem ex hoc auctore colligimus, mensibus vernis, paullo ante urbis Trojanæ casum, nempe Thargelione; quia Munychione fere toto latebant Vergiliæ.

At annus Ilii capti incidit in tertium Tetraeteridos Atticæ, ut a nobis studiose disputatum est. In Thargelione illius anni novilunium incidit IX, aut X mensis, circiter V Junii. Itaque tempus illud competit intervallo inter XXVII Maii, aut quintum Junii, V aut VI die Thargelionis, quo etiam mense captum Ilion. In his intellige rationes sæculi, quo Poeta scribebat, non autem Trojani, ut nos alibi monuimus. Ita non solum ad rusticorum observationes comparata erat illa Astrologia, sed etiam ad notationem sæculi fugacis. In libris enim de Emendatione declaravimus, quam præcise Veteres illi annum et diem excidii Trojæ indagaverint ex rationibus Tetraeteridos Atticæ, inter quos Ephorus Eudoxi et Platonis familiaris: quod quum et iste auctor fecerit, sive is Sophocles, sive alius, sane non potuit, nisi summus vir esse, qui præter rationes civilis Tetraeteridos, etiam ex Phænomenis, et ea astrologia, quæ tum inter nationes Græciæ locum habebat, rem propositam demonstrarit. Ex quo accidit, ut propterea quod Euripides cum Eudoxo in Ægyptum profectus, inde quædam de Planetis in Græcia primus vulgaverit, ut produnt priscæ historiæ, propterea veteres Critici Tragœdiam Rhesum illi adtribuerint, ὅτι, inquiunt, ἡ περὶ τὰ μετάρσια ἐν αὐτῇ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ, innuentes locum illum, qui a nobis jam explicatus est: quamquam character grandiloquentioris Poetæ fetum arguit, puta Sophoclis: et vereor, ut hæc tam vere Euripides referre potuerit. Id ut dubitem, facit locus ex Iphigenia in Aulide in re simillima: Σείριος ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου Πλειάδος ἀΐσσων. Quomodo non consuluit oculos suos, ut posset videre, quantum intervallum sit inter Sirium et Ursam majorem? Hæc ergo fuit rudiorum illorum rudior astrologia. Nam et Thaletis nomine priscus liber exstabat titulo ναυτικὴ ἀςρολογία. At ἡ ἀποτελεσματικὴ sero ex partibus Euphratis in Græcorum urbes immigravit: et vix tandem quidem admissa diu in processu fuit, nondum curiositate humana totam se proferente, quæ progressu temporis in illa arte

quotidie aliquid novi commenta est, in qua insaniam suam potius homines, quam sapientiam, profiterentur. Quando primum hæc peregrina hospitio a Græcis excepta fuerit, haud temere dixerim: quandoquidem ante tempora Berosi Babylonii, qui sub primis Seleucidis floruit, ejus nullum vestigium apud Græcos scriptores reperiam, quod quidem in præsentia meminerim, nisi forte δωδεκαετηρίδες Onomacriti sub nomine Orphei in hunc censum veniunt. Hoc unum nobis constat, fere eodem tempore a Græcis ad Romanos tamquam morbum aliquem pervasisse. Nam Plutarchus in Mario scribit, Chaldæos Octavium consulem in Urbe detinuisse: in Sulla, Chaldæos Sullæ felicissimum exitum vitæ florentissimis rebus suis, magnis victoriis partis, promisisse. Non dicam quoties, quam severe, quibus modis Romani in hoc genus hominum animadverterint: quæ Senatusconsulta, quæ edicta Principum in illos emissa. Nam posteriorum temporum sunt, et materia ab aliis occupata. Apud Græcos vero multi non solum artem professi sunt, sed et artis libros reliquerunt, Berosus, Antiochus, Teucer Babylonius, Dorotheus Sidonius poeta, et Thrasyllus ille Caprearum carceris obses, Tiberii hospes: quorum de responsis, quæ ἀποτελέσματα dicuntur, dubitare, perinde erat ac fidem oculis abdicare. Ex bac fiducia, vel potius confidentia, prodierunt genituræ Œdipi, Thersitæ, Paridis, Philoctetæ, et, ne parce insanire viderentur, etiam Mundi ipsius natales cum themate ejus: ne miraremur, quod posteriorum Græcorum genituras ex eventibus indagare conati sint. Nam Platonis thema ex Veterum scriptis refert Firmicus, horoscopante Aquario, Sole in Piscibus, Luna in Geminis, hoc est, quinto circiter die a novilunio. Atqui Plato natus est Thargelionis septima, referente Laertio, veteribus Academicis, anno primo Olympiadis LXXXVIII, et proinde anno septimo periodi Atticæ, Maii XXI, feria quarta, cyclo Lunæ XII, Solis secundo, Sole in XXVII Tauri, Luna proxime ad jugum transitum faciente, hoc est, paullo ante

coitum. Vides quam boni vates fuerint, quibus ne temporum quidem ratio constabat! Romulus, inquiebat L. Tarrutius Firmanus, conceptus fuit XXIII Choeæ, anno primo Olympiadis secundæ, hora tertia, Solis defectione. Nos putavimus menses Actiacos designari, freti fide Plutarchi, quæ tamen in ejusmodi non semel nobis imposuit, quod putaremus Plutarchum ea retulisse ad usum Actiacum Plutarcho ipsi notum, ut falso credidimus. Nam sunt menses vagi: et ante formam anni Juliani, nedum ante victoriam Actiacam, invitatus a M. Terentio Varrone Tarrutius Romuli natalem ex ejus gestis et aliis signis indagare, paruit, et eo tempore, quo diximus, conceptum respondit: quod quidem tempus convenit vicesimæ quartæ Junii Juliani, in qua procul dubio conjunctio luminum fuit, sed sine ulla defectione Solis: quum tamen παντελῆ ἔκλειψιν fuisse dicat. Columen astrologiæ, quem tanti fecit togatorum doctissimus, quomodo hominis intra uterum maternum conclusi fata canere potuerit, qui rem trivialem ignoraverit, viderit Genethliace. Rursus editus in lucem Romulus XXI Toth, eodem auctore, Sole oriente; hoc est, XXIV Martii, cui diei XXVII pars Piscium congruebat. Atqui Veteres, quos sequutus est Manilius, Libra horoscopante natum prodiderunt. Pergamus. Idem L. Tarrutius Firmanus conditam urbem vaticinabatur anno primo Olymp. VII, die IX Toth, hoc est, VII Martii, Sole in decimo gradu Piscium, μεταξὺ δευτέρας καὶ τρίτης ὥρας. At ex eodem Tarrutio Solinus depromit thema natalis urbis, XI kal. Maii, in quam diem conveniebat XXV Arietis, quum ipse Solem in Tauro ponat, Mercurium longissime a Sole, et alia præterea nugatoria, quæ tamen adtribuit Tarrutio, de quo nihil retinuit, præter horam, quam cum eo recte inter secundam et tertiam pronuntiavit. Sed hæc levia. Adponam exemplum, quod fiduciam nationis Genethliacorum aperiat. Theagenes Mathematicus ex iis, quæ Octaviano adolescenti contigerant (quia verum tempus natalis ejus ignorabat) horoscopante Capricorno natum confidenter pronuntiavit:

quem tamen natum proxime Solis ortum diligentissimus scriptor Suetonius tradit, Septembri antiquo, qui tunc conveniebat in Quintilem Julianum, Sole Cancrum obtinente. Quid magis joculare? Qui Cancro circiter Oriente natus est, quomodo ei horoscopabat Capricornus? Et tamen vanus divinaculus non veritus est pronuntiare, quia horoscopante Capricorno natus esset, ut ipse somniabat, eum rerum potiturum. Sed in illis Veteribus propter artis rudimenta, quæ nondum ad hodiernam perfectionem, vel potius περιεργίαν deducta erat, non omnia ad vivum resecanda; et quædam præterea ignoscenda. (Hic Scalig. de falsitate et vanitate artis astrologicæ multa disserit, quæ omittuntur.) Quæcumque igitur ea ars fuit, numquam caruit amatoribus, ut numquam desunt levia ingenia; quæ novitate rerum et futilibus inventis permoventur. Inferiora sæcula omitto: unum felicissimum Augusti occurrit, in quo flos ingeniorum fuit, et inter illustres artes hæc quoque ausa est verticem adtollere, multis magistris clara, præsertim M. Manilio, qui non propter artem nobis carus esse debet; sed quia in eo rudimenta illius priscæ astrologiæ manifesta exstant, hactenus etiam a doctis ignorata: qualia sunt Antiscia, duplex modus horoscopi indagandi, thema Athlorum longe diversum a themate geneseos, ratio Canonis horarii, Dodecaeteris genethliaca, Chronocratoriæ signorum, et alia perplurima, quorum in vulgatis præceptionibus nulla exstant vestigia: immo ejuscemodi sunt, ut si hodierni Mathematici ea viderint, commenta nostra esse dixerint, non Veterum instituta; sed puerilia, et ex Grammaticæ fæcibus hausta. (Hic Scaliger Grammaticos quosdam criticos suos insectatur.) Certe ab hujusmodi Astrologis nulla spes salutis adfulgebat tam male accepto poetæ et ab innumeris mendis, et a trajectione non solum unius, sed et plurimorum versuum: quod tantam perturbationem toti operi adtulerat, ut antea ne quid vellet quidem Manilius, satis constaret. Itaque ignoscendum, si nemo illum scri-

ptorem intelligebat, quem adtingere menda non sinebant: boni consulendum, si nemo adtingebat, quem non intelligebat. Jampridem commentarium in hunc ediderat Laurentius Bonincontrius oppido Miniatensi in Italia, vir doctus, ut tum captus erat sæculi ad literas nascentes caput adtollentis. Sed ferendum erat, ab ejus lectione lectorem doctiorem non discedere, si non etiam et poetæ ipsi astrologus nocuisset. Nam si qua in textu Bonincontrii variant a scriptis codicibus, eæ interpolationes sunt a Bonincontrio, et præterea numquam illi verum excidit in re paullo majoris momenti: quum alioquin pervetustum, ut ipse ait, naetus codicem esset: qui tamen melior mihi, quantum conjectura adsequi possumus, non videtur Gemblacensi, quo nos usi sumus: qui nescio quomodo reliquos omnes scriptos bonitate anteit, vel, ut verius loquamur, eo reliqui deteriores sint. Nam nullus bonus est, quotquot exstant hodie. Sed Bonincontrio non multum profuit vetustum codicem nancisci, quo uti nesciit: quem miserum interpretem si suum malum fatum canibus hodiernis objecisset, pejore fato, quam Actæon defungeretur..... Eos (sc. criticos) testes non imploramus, sed ingenuas et generosas mentes, bene natas, liberaliter educatas. Eæ non negabunt nos membra laceri poetæ in suos artus reposuisse, quod isti probi Philosophi luxare vocant: qui ridebunt, quum signa recte oriri sub æquinoctiali legent, quum progressum arithmeticum in rationibus anaphoricis, in ratione Antisciorum quatuor signa pro uno momento haberi, et propterea illa signa esse μονόζωνα· quod item ut in adscensionibus ratio maximæ diei, et minimæ noctis habetur, ita in doctrina βιωσίμων χρόνων esse quemdam cursum vitæ humanæ CXII annorum quasi diurnum et Solis, quemdam nocturnum LXXVI annorum, qui Lunæ adtribuatur? (Excurrit Scaliger demonstrans veteribus astrologis Ephemeridum, quas Arabico nomine ἀλμενίχια Porphyrius vocavit, usum fuisse.) Sed ad nostrum Manilium redeo, quem ita

a vetustissimis trajectionibus, et mendorum nescio quot millibus vindícavimus, ut quantum obsoleta facies ejus lectores a se deterrebat, tantum eos novus nitor et cultus restitutus ad se amandum, legendum, et intelligendum invitare possit. Certe ejus liber primus ita utilis adolescentibus futurus est, ut ad sphærica elementa illis viam munire debeat. En illum damus ita a mendis purgatum, ita sibi restitutum, ut vel a tironibus capi possit: ita notis illustratum, ut ex illis et doctrinam poetæ omnem studiosus lector adsequi, et ad commentarios uberiores edendos excitari possit.

II. De Manilio dicturos nulla nos Veterum prosequuntur auxilia. Nam Ovidius, qui omnes æquales sæculi sui poetas, atque adeo sodales suos recenset, nostri hujus non meminit: nisi forte in illis fuerit, quorum nomina referre ait esse longam moram. Neque verisimile est, siquidem omnes commemorasset, hunc prætermissurum eorum temporum æqualem, et tanto ingenio ac facundia poetam (1). Laurentius Bonincontrius Miniatensis, qui ann. 1484 Commentarium nullius aut perexiguæ frugis in hunc Poetam edidit, primusque publice interpretari conatus est, ait hunc Manilium nostrum non alium esse a Manilio Antiocho, quem astronomiæ conditorem pedibus cretatis inter venalitia Romam nave devectum narrat Plinius: cujus rei firmandæ producit testem nummum argenteum, quem penes se fuisse ait, in quo expressa fuerit imago hominis peregrino habitu,

(1) Ovidium omnino de Manilio tacuisse, nil mirum. Ille enim, Trist. IV, eleg. 10, eos tantum nominat, qui adolescenti sibi familiares fuerant, et Pont. IV, 16, de his agit, qui ante quam exsularet, Romæ florebant. Porro Manilius ne Romam quidem incolebat hoc tempore, saltem Ovidio nominari non poterat, quia nullis adhuc scriptis innotuerat. Ovid. l. c. « Essent et juvenes, quorum quod inedita caussa est, Adpellandorum nil mihi juris adest ». Cæterum pari fato Phædrus, Q. Curtius et Velleius Paterculus nulli aliorum Veterum memorantur. Ed.

sphæra juxta caput ejus adposita cum literis MANILI: ejusdem exempli nummum habuisse quemdam Nicolaum Trapontinum familiarem suum scribit Lilius Gyraldus. Mirum vero Bonincontrii argumentum, Antiochenum fuisse, tum quia peregrino habitu, quasi omnes peregrini essent Antiocheni, tum quia Antiochus dictus, quasi Antiochus nomen gentile potius, quam proprium. Sed nihilominus mirum, quod ejusmodi nummi hodie in loculis antiquariorum non reperiantur, quorum nemo talem neque habet, neque vidit umquam. Iste vero Antiochus a parentibus in patria, quæcumque illa fuit, Manilius Romæ a manumissore nominatus, quomodo temporibus ultimis Augusti vivere potuit, qui Sullanis temporibus jam astrologus erat? Vectus enim fuit eadem navi cum Staberio Erote Grammatico, quem temporibus Sullanis ludum aperuisse prodit Suetonius annis nonaginta quinque ante excessum Augusti. Ergo ante tempora Sullana Romam delatus fuit, ut ultimo Augusti ævo eum annorum cxx plus minus fuisse statuendum sit, quo tempore Manilius hæc Astronomica scribebat. Atqui ipse optat sibi contingere longam vitam ad tantum opus, quod instituit, explicandum, lib. I, v. 114:

> .... Faveat magno Fortuna labori,
> Annosa et molli contingat vita senecta,
> Ut possim rerum tantas emergere moles.

Sane senex non est, qui cupit, senex fieri. Probabilius illi, qui eumdem Manilium esse existimant, qui pilam obelisco Augusti imposuerit, scribente Plinio. Sed Plinius Mathematicum vocat, non poetam. Et nos scimus meliorem poetam, quam Mathematicum fuisse. Hactenus quod ex aliis de Manilio odorari potuimus. Nam ex ejus scriptis de patria nihil colligi potest (1). Quod autem peregrinum ex

(1) Bentleius suspicabatur Manilium fuisse ex Asia peregrinum, tum ex singulari ejus quorumdam verborum constructione, tum quia nusquam adparet ipsos Romanos hisce artibus adeo mature operam dedisse.

eo caussatur Gyraldus, quod, ut ipsius verbis utar, inquinate loquitur: prius nos debebat docere, quid sit inquinate loqui. Nam si id est βαρβαρίζειν, ut revera est, quare non indicat barbarismos in scriptore sæculi florentissimi, quo et mancipia ipsa pure et Romane loquebantur? Sed si ulli sunt barbarismi, quare nos fugiunt illi barbarismi, quos deprehendere si non per ingenium non liceret, quod in nobis perexiguum est, tamen usus ipse aperuisset, qui et in nobis aliquis est, et stupidorum etiam est magister..... Futilissimo igitur argumento Lilius peregrinum suspicatur Manilium ex sordibus ejus orationis, quæ nullæ sunt. Idiotismos vero in illo esse non paucos animadvertet, qui eum auctorem æquiore animo legerit, quam Gyraldus. Sed idiotismos, et si qua sunt similia, ipsemet poeta excusat tum asperitate materiæ, tum egestate Latini sermonis; contentus nude docere, quod ornate non possit. Neque vero statim omnia damnanda sunt, quæ nitorem sermonis non admittunt: quasi minore cura et ingenio tractanda sint, quæ ab omni cultu eloquentiæ sterilia sunt, quam quæ ornamenta orationis admittunt. Sed ad libros Manilii, unde digressi sumus, revertamur. Manilius igitur, quum ea, quæ a Veteribus Græce tradita erant, Latinis versibus edere instituisset, ut in cæteris, sic in tributione operis sui auctores suos sequitur; qui hanc scriptionem εἰς ἀμιγῆ καὶ συγκρατικὴν θεωρίαν diviserunt. In priore parte Signorum habitus ad se invicem, et apotelesmata sine suffragiis Stellarum errantium considerantur. In altera planetarum decreta admiscentur. Verbi gratia, in priore parte, oriente Capricorno reges eduntur. In altera, si oriente Capricorno ille planeta cum illo conjunctus fuerit, aut in suo hypsomate, aut tapino-

Nonnulli autem e duobus versibus lib. IV, 41: « Speratum Hannibalem *nostris* cecidisse catenis »; et vs. 775: « Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem », efficere conantur Manilium non modo fuisse Romanum, verum etiam Romæ hoc suum poema composuisse; sed Bentleius eos ambos pro spuriis habet, omninoque rejicit. Ed.

mate fuerit, non reges, sed alios nasci. Priorem partem Manilius sex libris explicaverat, quorum quinque hi tantum ad nos, et ne ii quidem ab omni parte integri pervenerunt : quintus enim in penultimis partibus truncus est. Nam quum συνανατολῶν καὶ συγκαταδύσεων ἀποτελέσματα docere vellet, συνανατολὰς libro quidem quinto complexus est : in sequente autem libro συγκαταδύσεων ἀποτελέσματα persequebatur: quod ipse his fatetur, V, 27 :

> Quæ mihi per proprias vires sunt cuncta canenda,
> Quid valeant ortu, quid quum merguntur in undas.

Firmici quidem ætate adhuc supererat, ex quo συγκαταδύσεων sphæræ barbaricæ ἀποτελέσματα, ut συνανατολῶν, ex quinto hausit. Alteram partem, quam συγκρατικὴν θεωρίαν Græci vocant, quot libris absolverit, jure ignoramus, quia vates non sumus. Absolvisse vero non solum ipsi toties adfirmanti credendum, sed etiam Firmico, qui decreta Planetarum cum ortibus et occasibus Sphæræ barbaricæ admiscet. Nam ut ortus stellarum totidem verbis, quot Manilius, retulit, ita decreta stellarum ab eodem Manilio esse, dubium non est. Manilius vero nos ad illud opus remittit, ut libro II, 964:

> Hæc mihi sub certa stellarum parte canentur.

Libro III, v. 155 :

> Si bene constiterint stellæ per signa sequentes :
> Quarum ego posterius vires in utrumque valentes
> Ordine sub certo referam, quum pandere earum
> Incipiam effectus.

Item, v. 582 :

> Sed mihi templorum tantum nunc jura canentur.
> Mox veniens mixtura suis cum viribus omnis
> Non interpositis turbabitur undique membris.

Opus suum Augusto dicavit; quod me tacente indicat vel carmen ipsum, I, 7 :

> Hunc mihi tu Cæsar patriæ princepsque paterque.

Tempus scriptionis post cladem Varianam. Libro I, v. 900 :

> Extremas modo per gentes, ut fœdere rupto
> Quum fera ductorem rapuit Germania Varum,
> Infecitque trium legionum sanguine campos.

Locum scriptionis dedicatio quidem prodit : sed et ipse quoque indicavit IV, 775 :

> Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

Scripsit igitur Romæ post cladem Varianam, quæ quinquennio Augusti obitum antecessit (1). Hoc Astronomicum una cum auctore suo ignoratum ex bibliothecis Germaniæ erutum primus publicavit vir sæculo suo eruditus Poggius Florentinus (2), jam tum nascente typographia. Quum ab ejus lectione homines deterrerentur, partim difficultate materiæ, partim vitiis scripturæ, et nihilominus quædam in eo auctore caperent, quæ desiderium eorum, quæ non intelligebant, magis accenderent : evocatus Florentiam oppido Miniatensi Laurentius Bonincontrius astrologus poetam publice interpretatus est, nactus meliorem codicem, quam quo Poggius usus fuerat : cujus rei testem ipsum producam verbis ipsius, quæ huic loco maxime necessaria sunt : « Sed tamen multa de ipsius nomine perscrutando accepi ab Antonio Panormita viro doctissimo, atque poeta, quum Alfonsi temporibus Neapoli essem, quosdam quinterniones valde perturbatos vetustissimosque, quos ex Bibliotheca Cassinensi se accepisse dicebat, quosque mihi tradidit dirigendos, in quibus in omni librorum principio talis inscriptio erat : C. MANILII POETÆ INLUSTRIS ASTRONOMICON INCIPIT.

(1) Hanc sententiam sequutus est Pingræus, tom. I, Introd. p. 7, et hoc poema scriptum putat in ultimis Augusti temporibus. ED.

(2) Hujus filius, J. F. Poggius, Manilium edidit Bononiæ, 1474, quæ semper editio prima habita est. Eodem fere tempore vir celeb. *Kœnisberg*, seu Regiomontanus, cum Nuremberg. prodire jussit, non signato impressionis anno. Paullo post, editio altera Itala, sine anno, prodiit, in-4. ED.

In cæteris libris numerus cum eadem inscriptione. Quos ego quinterniones transcripsi una cum Gallina Siculo, in quibus etiam quosdam versus pluribus locis inveni, quos in exemplaribus Poggii aut impressorum deesse cognovi: de quibus et aliis suo loco dicemus. Cujus vetustissimi codicis auctoritate permotus non verebor adfirmare pro C. Manilio impressores M. Mallium scripsisse». Nos quoque libenter ejus sententiæ de prænomine accederemus, nisi aliorum manuscriptorum auctoritas obstaret, qui Marci non Caii prænomen præferunt. Quod autem Bonincontrius dicit se multa in editione priore Poggii emendasse, non dubito, quin ubi textus ejus ab exemplaribus scriptis discrepat, hæc fuerit interpolatio Bonincontrii. Nam Palatinus codex et alius minimum recedunt a textu Bonincontrii, præter ea pauca, quæ constat ab ipso innovata esse. Nos præter Palatinam et alius Germanici codicis lectionem, quæ, ut diximus, pæne eadem est cum textu Bonincontrii, eam quoque nacti sumus, quam ex codice monasterii Gemblacensis libri sui oræ adnotarat Jacobus Susius. Id exemplar Gemblacense cum Palatino et altero Germanico collatum bonum videri possit: quod in Palatino et Germanico nihil boni sit, quod non in Gemblacensi, et pæne semper in textu Bonincontrii reperiatur: quum contra aut multæ præclaræ lectiones expressæ, aut verarum vestigia in Gemblacensi exstent, quæ in reliquis desiderantur. Et tamen ubique judicio opus fuit, ut vera a falsis distingueremus. Denique quamquam Gemblacensi codici multa bona accepta ferimus, tamen in omnibus illis, quæ luxata sunt suis locis, plane cum textu Bonincontrii consentit. Nam in illo quoque signa aquilonia cum austrinis confusa sunt, et circulorum ἐκθέσεις non solum alieno loco et ex abrupto posita, sed etiam perplexa circulorum inter se intricatione perturbata est: ut taceam multos versiculos secundo aut tertio loco non raro luxatos: quod ne minimum quidem Bonincontrio oboluit, cujus tamen referebat aut ex arte,

quam profitebatur, suo loco restituere, aut ex tenore contextus non suo loco positos indicare. Nam quid de eo statuendum, qui Colurum æquinoctialem interpretatur Horizontem? Si codicem Gemblacensem prius nancisci contigisset (1), hac editione opus non fuisset : in quo codice luculente confirmantur multa, quæ de conjectura antea emendabamus. Quædam adhuc opus habebant castigatione, quia excedebant captum humanæ conjecturæ : ut et adhuc non pauca relinquimus, quæ opem emendatioris codicis exspectant. Non dubito tamen et superesse, quæ a meliore ingenio restitui possunt, et ut fiat, optamus. In tertio libro quinquaginta quatuor versus loco suo motos, materia ipsa et tenore sententiæ ita postulantibus, suis sedibus reddidimus : quæ sane est luculenta emendatio : qua lux reddita nobilissimæ disputationi, quæ in illa versuum et sententiarum permixtione a nemine intelligebatur. Eam vero trajectionem integrarum disputationum exsectione contigisse animadvertimus, qua homines imperiti Carmen Manilii in capita secuerunt, quum auctor perpetuum epos texuisset. Gemblacensis sane codex longe plura præfert capita, quam vulgatæ editiones. Atque adeo perturbatio versuum magna ex parte nihil aliud est, quam illorum capitum, sive sectionum inter se commutatio. Quum autem omnia Maniliana exemplaria scripta non magnam vetustatem præferant, et ex uno vetustiore archetypo propagata sint : si quis quærat, ab archetypo ne illæ sectiones sint, an recentioris temeritatis : nihil aliud ad hoc respondemus, quam si vetustissimæ sint, hoc mirum non videri, quum in multis vetustis scriptoribus ejusmodi luxationes deprehendantur. Aliquot proferre possemus : una contenti erimus, quæ est

(1) Prima nempe Scaligeri editio prodiit Parisiis, 1579, in-8; altera Lugduni Batav. 1600, in-4, quam sub oculis habuimus; tertia denique, quam Scaliger pollicebatur, post ejus mortem prodiit, curante J. H. Bœclero, Argentorati, 1655, in-4, cum variorum observationibus criticis. Ed.

in X Æneidos, 715, ubi Mezentius comparatur apro venatorum telis et latratibus canum lacessito : versus hi sunt suo loco moti (vid. Virg. ed. nost. t. IV, p. 170. Ed.):

> Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
> Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.

Reponendi enim post illum,

> Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant.

Hoc ita esse nemo dubitabit, nisi qui Latine nescit, aut communi sensu caret. Ejuscemodi multas trajectiones in Tibullo et Propertio notavimus. Sed et de Tibullianis jam antea Lilius monuerat. Et tamen invidis et imperitis quibusdam flagitium fecisse videmur, quod has perturbationes extricavimus in Manilio. Sed illa Virgiliana luxatio adeo vetusta est, ut a vetere interprete agnoscatur. Dicemus igitur Virgilium ita scripsisse, quia omnes vetustissimi codices ita habent, et omnibus codicibus hodiernis antiquior Servius ita legebat? Non sane, si quid sapimus. Quæ auctoritas codicum a perito extorquere poterit, ut Cassiepea cum Canicula simul in eodem hemisphærio boreali ponantur? Si Astrologia taceret, tamen reclamaret Critice, quæ etiam sine ulla ope Astrologiæ facile luxatos artus in commissuras suas reponeret : atque adeo cordatus Grammaticus fecisset, quod Bonincontrius ab Astrologia sua petere debebat, si quid in eo aceti Italici fuisset. Quemadmodum igitur recentiores editiones ad vetera exemplaria, ut aurum ad obrusam, exigendæ sunt : ita etiam exemplarium examen in judicii trutina castigandum... Sed redeo ad nostrum poetam, cujus quum priorem editionem adornaremus, concurrere crabronum examina, qui se Mathematicos dicunt: porro Quirites clamare, facinus indignum, hominem ἀναστρολόγητον mathematica tractare. Tantus mathematicus visus est illis Manilius, ut nisi a summo mathematico tractari non debuerit. Quid ergo dicent de illis, qui ne in

somnis quidem ullam mathesin viderunt, et tamen illum poetam post nos vexare ausi sunt, quem isti tantum astrologum faciunt? Ego vero tantum abest, ut in hoc poeta tam exquisitam mathesim agnoscam, ut et mediocrem desiderem, quum etiam non raro imperitum se earum rerum prodat, quas profitetur.... Sed, ut antea dixi, aliis præsidiis instructum esse oportet, qui Manilium postulat se intelligere, quam nuda Astrologia, et quidem alia, quam recepta. Itaque non solum maxima pars eorum, quæ in carmine Maniliano docentur, abhorrent a scitis doctrinæ receptæ, sed ne bona quidem fide semper ab ipso Poeta docentur, sive aliud agebat, quum illa scriberet, sive, quod verissimum est, quia ea ignoraret. Neque vero ignorandum est, partem illorum errorum non ipsius, sed vetustiorum esse: et unam culpam ejus esse, non quod post tot Veteres peccaverit, sed quod post tot recentiorum castigationes, Hipparchi, Timocharis, et aliorum, vestigiis illorum antiquiorum insistere maluerit. Ab illis enim didicit sub sphæra recta omnia signa recte oriri, et recte occidere. Quam pravam doctrinam Lucanus quum sequeretur, inscitia sua deteriorem fecit. Non solum enim sub recta sphæra, sed etiam sub Tropico Cancri recte oriri putat. Nam quum legisset apud illos rudiores priscæ matheseos magistros sub recta sphæra Zodiacum ad verticem esse, et omnia signa propterea oriri recte: sciret autem sub Tropico Cancrum culminare borealissimum omnium signorum, hinc putavit totum quoque Zodiacum μεσουρανεῖν, et consequenter omnia signa recte oriri. Vidi hunc locum Lucan. IX, 518 seqq. cujus poetæ alios errores hic non disquirimus.

Et in nostro quoque Manilio non pauca sunt non utique ad exemplum Lucani, sed tamen aliena a vero, partim per ἀλογιστίαν, partim per imperitiam, sive quod Veteres falso sentientes sequitur, sive quod ea fuit animi ejus sententia: et quidem quatenus exemplo peccat, tanto justiorem veniam meretur, quanto gravior ejus esset culpa, si tantus

esset Mathematicus, quantum videri volunt, quibus dolet nos ei manum admovisse: quos tamen ejus mathematices, si qua est in Manilio, imperitos esse adfirmamus, præter pauca, quæ et pueris ipsis nota. Ante editionem nostram ne docti quidem, quid vellet Manilius, et quæ ejus esset Astronomia, sciebant: quæ methodus horoscopi, quid Athla, quod eorum thema: non quod illis aut judicium, aut doctrina defuerit: sed quod in solo Manilio hæc reperiuntur. Manilius autem propter portentosa menda, et integras capitum trajectiones a nemine intelligebatur. Qui enim sola mathesi instructi ad hujus poetæ lectionem sese conferunt, neque alia præsidia comparant, etiam mathesim Manilii, nedum poesim ignorabunt.

Sciant igitur studiosi nos ad Gemblacensis exemplaris fidem omnes castigationes nostras exegisse: nam reliqua scripta Maniliana exemplaria nihil boni habent, quod non in Gemblacensi reperiatur, et paucissima sunt illa, præ illis, quæ habet Gemblacense: quod tamen bonum propterea non vocaverim: tantum abest, ut reliqua hoc nomine digna sint. In quibus nos destituit Gemblacense, in illis certissimam conjecturam admovimus: quæ et ipsa quoque in multis nos destituit: ut multa a nobis relicta sint, quæ feliciores industrias exercere possunt. Non enim mathesis Maniliana nos remorata est, sed multa millia mendorum, quorum partem codicis auctoritas, partem ratio expunxit: reliqua a melioribus ingeniis opem exspectant..... De Manilio autem nondum statui, magis optandum ne fuerit, illum publice in scholis legi, an dolendum, quod hactenus neglectus jacuerit, poeta ingeniosissimus, nitidissimus scriptor, qui obscuras res tam luculento sermone, materiam morosissimam tam jucundo charactere exornare potuerit, Ovidio suavitate par, majestate superior: uno vincitur, quod non potest manum tollere de tabula, et (quod tam falso, quam immerito Ovidio objectum olim), numquam scit desinere (1), in quo peccat,

(1) Bentleius, monente Pingræo, tom. I, Introd. pag. 17, Manilium

non judicio, sed fertilitate, et indulgentia styli : qua in re non judicium, sed animum Ovidio quoque defuisse Quintilianus animadvertit. Est et aliud non leve vitium in nostro, quod nimius in verborum iteratione, quum posset aut parcius eadem, aut alia pro illis usurpare. Itaque criticas aures offendunt illa toties totiesque inculcata, *Sidera*, *cælum*, *mundus*, *per templa*, *per sidera* : et alia non pauca, quæ ter quater trinis, quaternis continuis versibus infulcit. Hoc ut non mediocre vitium est in nitido scriptore, ita puri sunt ab hac labe principes poetæ, Virgilius et Ovidius. Hoc uno excepto, nihil ad perfectionem absoluti operis in hoc auctore requiras. Inprimis omnia ejus procemia et παρεκβάσεις extra omnem aleam posita sunt. Nihil illis divinius, nihil copiosius, gravius, et jucundius dici potest (1). Sed præstat ex ipso potius, quam ex nostra prædicatione hoc discere. Audiamus igitur olorem canentem.

in hoc excusare tentavit, versus multos spurios dicens ab inscitis librariis insertos esse, quibus a Manilio jam et quidem melius expressa, vitiose iterantur. Pingræus tamen Scaligero omnino adsentitur. Ed.

(1) Hoc de Manilio judicinm sæpissime Barthius confirmavit in Adversariis, e quibus testimonii loco, hæc proferam, pag. 374 : « Quantus poeta, quamque eloquens scriptor Msnilius fuerit, quantique ingenii, licet vel ex sola descriptione Andromedæ perspicere : quæ paucos Latinæ linguæ conditores habet suspicere ; adeo multis orationis acutæ et nervosæ luminibus exornata est ». Ed.

M. MANILII
ASTRONOMICON*

LIBER PRIMUS**.

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

Astronomicon Manilii in quinque libros tributum est. Primns liber duarum summarum Astrologiæ partium priorem tractat, quæ dicitur Scaligero μετεωρολογική, aliis de mundo et cælo: reliqui quatuor alteram partem, quam vocant ποιητικήν, cujus prius membrum, hoc est, τὸ πινακικὸν, secundus et tertius liber persequitur; alterum, quod vocant ἀποτελεσματικὸν, duo postremi, quartus et quintus. — Hoc totum, sive semper fuit (v. 122), ut volunt Peripatetici, sive principium habet, ut sciscunt reliqui Philosophi (125-145), in medio sui terram habet rotundam, quemadmodum et ipsum est absolutæ rotunditatis (206). Alio-

* *Astronomicon.* Liber vetustissimus Cassineosis titulum præfert: « C. Manilii poetæ iulustris Astrooomicon incipit ». Adparet igitur opus ab auctore inscriptum ἀστρονομικὸν, non ἀστρονομικῶν, ut Virgilius τὰ γεωργικά. Sic Gratius Cynegeticoo inscripsit puta opus vel volumen, et κυνηγετικὸς liber Xeuophoutis; vid. huj. op. tom. I, p. 33, et conf. pag. 21. Ed. — De prænomioe Marco, quod editioues præferunt, miratur Scaliger, quum vetostissimum omnium Cassinense exemplar habeat Caium. Ed.

** *Liber primus.* Iste liber est de Sphæra mundi. Fayus inscribit *de Mundo et Cælo*. Scaliger duas ait partes Astrooomiæ: alteram quidem, quæ circa stellarum motus versatur; alteram vero, quæ circa effectus ipsos; primam autem secuodæ præparatoriam esse. Itaque huoc librum, qui meliori parte meteorologicus est, reliquis præire et tamquam faoem præluocere voluit Manilius. Ed.

qui eadem phænomena in omni inclinatione adparerent, occasus et ortus iidem essent (242). Totam autem molem hanc circa ejus axem spiritus divinus agitat, cujus suprema superficies lucentibus stellarum flammis ornata est : quarum aliæ in Zodiaco positæ sunt, aliæ in aquiloniis, cæteræ in austrinis partibus; quamquam austrinarum quædam pars a nostro conspectu submota est (455). Hæ stellæ in corpora et formas a Veteribus digestæ, ut melius comprehendi possent, dispositis vicibus, immutabili lege semper occasus suos atque ortus peragunt: quo nullum argumentum præsentius, hoc totum ratione ac providentia, non autem forte moveri (483). Aliter numquam ad præscriptos cursus et vadimonia motuum suorum redirent. Itaque quum ab antiquis usque temporibus exploratum sit, easdem motuum in stellis ac vicissitudinum leges servari, credendum utique hos effectus divinæ rationis, non autem fortuitos esse (531). Quamobrem quum hoc absolutissimæ, ut diximus, rotunditatis in medio sui terram instar centri habeat, quantum est a terra ad cæli superficiem, tanta erit sexta peripheriæ totius, adjecto modico discrimine, ex definitione Sphæræ, adjuvante Archimedis epichiremate : et proinde sexta pars peripheriæ bina signa comprehendens æqualis est fere semidiametro universi orbis, minimo discrimine (539-601). Quinque autem circulos parallelos in ejus superficie descriptos imaginamur, qui in quatuor quadrantes, quæ quatuor anni tempora efficiunt, duobus Coluris per polos Mundi ductis secantur (ad v. 628). Duo etiam maximi circuli, Horizon et Meridianus, sese invicem secant non utique immobiles, ut illi quinque, sed pro inclinatione cæli diversa alii atque alii (629-663). Verum hi quidem omnes animo tantum finguntur, oculis autem duo soli notari possunt Zodiacus et Galaxias, qui et ipsi sunt duo maximi circuli (664-752). Sed in Zodiaco duodecim signa, sive ζώδια, hærent; septem vero sidera illum pererrant, qui ab eo planetæ dicuntur (668). At in Galaxiam heroum animas recipi pleraque omnis vetustas credidit (756-806). Hæc est facies Mundi, cui absolvendæ adjicienda septem planetarum, et cometarum, aliorumque quæ infra Lunam generantur, consideratio, ut tota meteorologica absolvatur, quam partem priorem Astronomiæ constituimus (807 ad finem).

Carmine divinas artes, et conscia fati
Sidera diversos hominum variantia casus,
Cælestis rationis opus, deducere mundo
Aggredior, primusque novis Helicona movere
Cantibus, et viridi nutantes vertice silvas;
Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.
Hunc mihi tu, Cæsar, patriæ princepsque paterque,
Qui regis Augustis parentem legibus orbem,
Concessumque patri mundum Deus ipse mereris,
Das animum, viresque facis ad tanta canenda.
Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum,
Et rapit æthereos per carmina pandere census.
Hoc sub pace vacat tantum : juvat ire per ipsum

1. *Carmine divinas artes.* Divinas artes, i. e. divinatrices. Sed Salmasio et Fayo divinæ sunt cælestes. Sic Horatins : « Imbrium divina avis imminentum ». — *Et conscia fati Sidera.* Qnod accepit a Virg. Æn. IV, 519 : «Testatur moritura Deos, et conscia fati Sidera ». Et sequntus est Ausonius : « Tu cæli numeros, et conscia sidera fati Callebas ».

3. *Cælestis rationis opus.* Scaliger putat hoc e sententia Stoicorum dictum putantium orbem universum mente præditum, et quod ratio homini est, hoc cælum esse mundo. — *Deducere mundo.* Sidera carmine sibi mundo, h. e. cælo deducenda dicit Manilins, nt Virg. Ecl. VIII, 69 : « Carmina vel cælo possunt dedueere Lunam ».

5. *Et viridi nutantes vertice silvas.* B. *ad viridi*, quod probat Gronovius. Sic junguntur apte quæ prius laxa erant et hiantia. Sed nihil hiat, si intelligimus *movere Helicona et silvas :* deinde qnid vult *ferre sacra ad silvas.*—*Nutantes vertice,* ut Virg. Æn. IX, 682 : « Adtollunt capita, et snblimi vertice nutant ». Ed.

6. *Hospita sacra ferens.* Sic Virg. Georg. II, v. 476 : « Qusrum sacra fero ». — *Nulli memorata priorum*, sc. poetarum Latinorum. Sic infra v. 113.

7. *Hunc mihi.* Sic veteres : recentiores *Nunc ;* Bentl. *Tu mihi.* Ed

12. *Et rapit ætherios.* Gemblac. *Et cupit.* Ex quo docti fecerunt *Et rapit*, optime meo judicio. — *Pandere sensus.* Omnino scribendum *census.* Ita semper loquitur; lib. IV, 875 : « inqne ipsos Mundi descendere census » ; et lib. III, 72 : « hominis per sidera censum ». Sæpe in hoc scriptore *sensus* pro *census* commntatum. Quod semel monuisse, satis fuerit.

13. *Hoc sub pace vacat tantum.* Gemblacensis et Bonincontr. interpungunt : « Hoc sub pace vacat. Tantum juvat ire per ipsum ». Quod non sequemur. — *Hoc sub pace va-*

Aera, et immenso spatiantem vivere cælo,
Signaque et adversos stellarum noscere cursus.
Quod solum novisse parum est : impensius ipsa
Scire juvat magni penitus præcordia mundi :
Quaque regat generetque suis animalia signis
Cernere, et in numerum, Phœbo modulante, referre.
Bina mihi positis lucent altaria flammis :
Ad duo templa precor, duplici circumdatus æstu,

cat tantum. Ita loquitur Germanicus, qui hæc Maniliana interpretatur, Phæn. v. 10 : « procul arma silerent? Nunc vacat audaces ad cælum tollere vultus, Sideraque et varios cæli cognoscere motus ». Et post : « Hæc ego dum lætis cogor prædiscere Musis, Pax tua, tuque adsis nato, numenque secundes ». Nam Germanicus intelligit de templo Pacis quod Augustus consecraverat.

15. *Signaque.* Signa quidem habemus et eorum effectus in opere Manilii exposita ; de stellis an fidem liberaverit, non est quod dubitemus, quum alibi non semel nos ad illud opus remittat. — *Et adversos stellarum.* Stellarum quinque, item Solis, et Lunæ ab occasu in ortum cursus est. Eum sero didicerunt Græci. Seneca Naturalium libro septimo scribit, Democriti tempore Græcis nondum comprehensum fuisse Planetarum cursum, et ab Eudoxo primum in Græciam delatum. Quod verum est. Nam tres isti profectionis in Ægyptum socii Plato, Eudoxus, Euripides, ab Ægyptiis didicerunt, et primi omnium Græcorum populares suos id docuerunt.

18. *Quæque regat.* Inepte. Non enim quæ animalia regit Zodiacus, vult scire : regit enim omnia ; sed qua regit. Scribe igitur, *Quaque regat.* Quid est absurdius vulgari lectione? — B. *terrena suis.*

19. *Et in numerum, Phœbo modulante, referre.* Sic inf. 22 : « certa tum lege canentem ». Alii quidem apud Romanos prosaico sermone tentarunt, Varro, Nigidius, qui utramque Sphæram, barbaricam scilicet et Græcanicam conscripsit. Apud Græcos Phænomena versibus ediderunt Eratosthenes, Aratus, Hegesianax, Hermippus, teste Ptolemæo rege Ægypti, in epigr. quod in præmonitione ad Avieni Aratea dedimus, huj. op. tom. V, p. 534. Ed. — Sed et Ovidius post M. Tullium Aratea Phænomena vertit, et post eum Germanicus. Apotelesmata unus Veterum, quod sciam, versibus scripsit Dorotheus Sidonius, quem legerunt Arabes, Omar, Messaalla, auctor Alcabicii : ita ut ante octingentos annos eum auctorem exstitisse non dubitemus. Ed.

20. *Bina mihi positis.* Perperam Lilius Gyraldus censet his verbis Manilium dicere, se bis vatem esse. Atqui duplicia sacra sibi obeunda testatur, styli, et materiæ, poetices, et astronomiæ. Utrumque enim inventum Deorum. Propterea dixit : *Carminis et rerum.* Altero scriptionem, altero materiam designat. Itaque duo templa adeunda dicit.

Carminis et rerum : certa tum lege canentem
Mundus et immenso vatem circumstrepit orbe,
Vixque soluta suis immittit verba figuris.
Quem primum infernis licuit cognoscere terris
Munera cælestum ? quis enim, condentibus illis,
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur ?
Quis foret humano conatus pectore tantum,
Invitis ut Dîs cuperet Deus ipse videri,
Sublimes aperire vias ; imumque sub orbem
Et per inane suis parentia finibus astra,
Mominaque, et cursus signorum, et pandere vires ?

22. *Certa tum lege canentem.* Ita distinximus. Nam totus versus continuatus est in editionibus. Ut valde falli eum necesse sit, qui legebat, *certa cum lege*. Res et puero patet.

23. *Immenso vatem circumstrepit orbe.* Hoc dicit, tamquam Mundus nova verba novæ materiæ explicandæ illi suggerat. *Soluta*, i. e. articulata verba dicit, quæ vix sibi suggeri conqueritur ; quia intacta Latinis Camœnis materia. Itaque verba ægre sibi suppetere ; et nova formanda, propter patrii sermonis egestatem : quod et Lucretius in novæ materiæ incepto conqueritur. Figuras vocat notiones verborum, imitatione Græcorum, qui χαρακτηρισμοὺς dicunt.

25. *Quem primum infernis.* Gemblacensis et B. et Pingr. *Quem primum interius... cælum.* Sed necessaria est vox *infernis*. Quis ab his locis infernis ad illa superna penetrasset? et *interius* infra recurrit. — Negat tamen B. *infernas terras* dici posse. — *Quem primum licuit*, usitatius *cui primo*. Sed natura linguæ Latinæ vult accusativum, consuetudo Græca dativum. Plaut. Pseud. act. I, sc. 1, vs. 14 : « licet me id scire quid sit ». Ed.

26. *Quis enim condentibus illis.* B. *nolentibus* plane ex conjectura, quamvis ingeniosa. Sic II, 127 : « Quis neget esse nefas invitum prendere Mundum ? »

29. *Invitis ut Dîs.* Inepta interpunctio totam sententiam turbavit. Non enim interpungendum post *videri*, ut fecit B. et F. Quis tantum opus adgredi ausus esset, nempe sublimes aperire vias, ut cuperet Deus videri ?

30. *Imumque sub orbem.* Sed ipse imum orbem opponit inani, id est, aeri ; altero inferius hemisphærium, altero superius intelligit.

31. *Finibus.* F. habet *legibus*, non male, sed quod nulli codices adstruunt. Ed.

32. *Nominaque et cursus.* Scribe *Mominaque et cursus.* Creberrime hoc verbo utitur. Sed nusquam reperies, nisi depravatum. Sic in Ætna olim correximus : « Spiritus inflat enim, momen languentibus aer ». In aliis quoque auctoribus pariter depravatum reperies. B. *pondera*, *vires*.

Tu princeps, auctorque sacri, Cyllenie, tanti:
Per te jam cælum interius, jam sidera nota;
Major uti facies mundi foret, et veneranda
Non species tantum, sed et ipsa potentia rerum:
Sentirentque Deum gentes, quam maximus esset:
*Quis sua disposuit per tempora, cognita ut essent
*Omnibus et mundi facies, cælumque supernum.
Et Natura dedit vires, seque ipsa reclusit;
Regales animos primum dignata movere,

33. *Tu princeps.* Tu, inquit, Mercuri, auctor mihi es tanti sacri ad duo altaria obeundi, carminis et rerum. Tu enim primus astronomiam de cælo in terras deduxisti. Neque enim homines soli id adepturi erant, Diis occultantibus. Sed propterea placuit Diis, ut a te Deo hæc indicarentur, *Major uti species Mundi foret.* Ægyptios astronomiam didicisse, docente Mercurio, omnes libri loquuntur. Propterea illi divinos honores Ægyptii habuerunt, et primum mensem illi cognominem fecerunt. Firmicus, lib. III, cap. 1: « Mundi itaque genituram hanc esse voluerunt, sequuti Æsculapium, et Anubim, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta commisit ».

34, 35. *Per te jam cælum interius jam sidera nota: Sublimes aperire vias,* Sic hæc hiulca, et quo referrentur, non habentia, Scaliger refinxit, dicens: Nos contendimus, duos illos versiculos, *Tu princeps, auctorque sacri*, etc. traducendos ante illum, *Major uti facies.* Cui mortalium licuisset cælum in terra cognoscere, aut quis, sine ope Deorum, ausus fuisset tam arduum facinus inceptare, sublimes vias cæli aperire, et cursus signorum? Nemini sane mortali hoc licuisset primo aperire. Quis ergo aperuit? Deus, non homo. Mercurius enim auctor tantæ rei. Quare? ut major species, majorque auctoritas rei accederet, si Mercurius, quam si homo auctor rei diceretur. — Bentleius autem hos versus alio ordine edidit, quem non sequitur Pingr. Ed.

38. *Quis sua disposuit per tempora*, omnino sic legendum, non *qui*: sed Fayus hoc defendit. Quibus sua negotia Deus disposuit per tempora. Non enim Deus sua, sed hominum negotia intelligitur disposuisse per tempora. Isti autem duo versus aberant a Gemblacensi, et eos omittit Pingr.

40. *Et Natura dedit vires.* Ita Gemblacensis. F. *Naturæque.* Deus disposuit omnia per tempora mortalibus, ut, etc. Natura autem eorum animos ad contemplationem sui movit.

41. *Regales animos.* Plinius, XXX, 1: « Viri ingentes, supraque mortalium naturam tantorum numinum lege deprehensa ». Mox: « Macte ingenio este cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo homines, Deosque vicistis ».

Proxima tangentes rerum fastigia cælo:
Qui domuere feras gentes Oriente sub ipso,
Quas secat Euphrates, in quas et Nilus inundat,
Qua mundus redit, et nigras super evolat urbes.
Tum qui templa sacris coluerunt omne per ævum,
Delectique sacerdotes in publica vota
Officio vinxere Deum, quibus ipsa potentis
Numinis accendit castam præsentia mentem,
Inque Deum Deus ipse tulit, patuitque ministris.
Hi tantum movere decus, primique per artem
Sideribus videre vagis pendentia fata.
Singula nam proprio signarunt tempora casu,
Longa per assiduas complexi sæcula curas:
Nascendi quæ cuique dies, quæ vita fuisset;

42. *Proxima tangentes.* Adtingentes mente et concipientes res superas atque cælestes.

44. *Quas secat Euphrates.* Alii *quas ferat;* sed legendum *Quas secat.* Ita olim correximus. Ita habet Gembl. Sic Virgil. *Pinguia culta secat*, de Tiberi. Sed quis dixit *secare gentes?* Unde B. hunc versum pro spurio proscribit. Gronov. substituebat *rigat*, sed B. *riguas gentes* deridet. Ed. — Babyloniorum autem et Ægyptiorum inventum esse Astrologiam adtestatur Aristoteles.

45. *Qua mundus redit*, i. e. sub ipso orientis limine, qua mundus redit supra horizontem. Sic III, 586, de cardine orientali: « Si bene constiterit primo sub cardine Luna, Qua redit in terras mundus ». Primus quidem Eudoxus ab Ægyptiis Astronomiam in populares suos Græcos deduxit. Berosus autem a popularibus suis Chaldæis Genethlialogiam in Græcos. Vitruvius: « Eorum autem inventiones, quas scriptis reliquerunt, qua solertia, quibusque acuminibus, et quam magni fuerint, qui ab ipsa Chaldæorum natione profluxerunt, ostendunt; primusque Berosus in insula, et civitate Coa consedit, ibique aperuit disciplinam ». Plinius scribit, ob divinas prædictiones, ipsi statuam inaurata lingua ab Atheniensibus publice dicatam.

48. *Officio vinxere Deum.* F. et veteres quædam habent *junxere.* Correximus olim *vinxere.* Cui emendationi adstipulatur cod. Gemblac.

50. *Inque Deum Deus ipse tulit.* Deus ipse Deum in ipsos immisit. Sic apud Maronem *Plena Deo.* — *Inque tulit* pro *Intulitque.* Ed.

53. *Proprio casu.* Scaliger conjecit *propria caussa*, quia infra v. 106: « Quæ postquam in proprias deduxit singula caussas ». Male Fayus interpretatur *casu* pro *fato.* Ed.

55. *Nascenti* habet B. non male.

In quas Fortunæ leges quæque hora valeret;
Quantaque quam parvi facerent discrimina motus.
Postquam omnis cæli species, redeuntibus astris,
Percepta in proprias sedes, et reddita certis
Fatorum ordinibus sua cuique potentia formæ;
Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam; speculataque longe
Deprendit tacitis dominantia legibus astra,
Et totum alterna mundum ratione moveri,
Fatorumque vices certis discurrere signis.
Nam rudis ante illos nullo discrimine vita
In speciem conversa, operum ratione carebat,
Et stupefacta novo pendebat lumine mundi:
Tum velut amissis mœrens, tum læta renatis
Sideribus; variosque dies, incertaque noctis
Tempora, nec similes umbras, jam Sole regresso,
Jam propiore, suis poterat discernere caussis.
Necdum etiam doctas solertia fecerat artes,
Terraque sub rudibus cessabat vasta colonis.

— *Nascendi quæ cuique dies. Nascendi diem*, pro die natali vix dici B. putat. Ed.

58. *Redeuntibus astris;* vid. v. 45.

59. *Percepta.* Sic omnes. B. solus habet *Descripta*, sed veteres codices *præcepta*. Ed.

62. *Exemplo monstrante viam.* Hoc enim adnotatum posteris tradiderunt per exempla et genituras, quas deduxerant ex observationibus multiplici exemplo confirmatis, quas ideo Ptolemæus vocat γενέσεις παραδειγματικάς.

64. *Et totum alterna.* Si non est error, nove alternam vocat, quæ redit in orbem. Sed memini tria hæc, *æterna, alterna, ætheria* in hoc auctore, vitio librariorum, inter se commutari. Itaque menti auctoris magis conveniens est, ut *æterna* legatur. Sic Scal. sed B. *alterna* servat: et II, 402: « Ut sociata forent alterna sidera sorte ».

65. *Fatorumque vices certis discurrere signis.* Sic Scal. pro *discernere*, quod quidem videtur ex vs. 72 huc irrepisse.

69. *Tum velut amissis mœrens.* Hoc intelligit de defectibus siderum, Lunæ præsertim et Solis, qui ignaris gentibus terrorem injiciebant.

71. *Jam sole regresso*, quod verum est. Huet. volebat *nec;* sed *jam* geminatum requiritur.

72. B. habet *impar cognoscere: nec* enim non ab *similes*, separandum est, et auctor voluit *non po-*

Tuncque in desertis habitabat montibus aurum,
Immotusque novos pontus subduxerat orbes;
Nec vitam pelago, nec ventis credere vota
Audebant; sed quisque satis se nosse putabat.
Sed quum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo,
Seducta in varias certarunt pectora curas,
Et quodcumque sagax tentando repperit usus,
In commune bonum commentum læta dedere.
Tunc et lingua suas accepit barbara leges,
Et fera diversis exercita frugibus arva,
Et vagus in cæcum penetravit navita pontum,
Fecit et ignotis itiner commercia terris.

terat; impar quidem hanc difficultatem tollit; sed nulli adsentiunt codices. Ideo versu præcedenti Huet. legebat *nec Sole*, quod fieri non posse vidimus not. sup. Ed.

76. *Immotusque novos.* Non frustra dixit novos orbes, propter Britanniam paullo ante sua tempora a C. Julio Cæsare detectam, quam novum orbem vocabant.

78. *Sed quisque satis se nosse.* B. *se quisque satis novisse.* Nihilo melius. Duplicem sensum hic versus recipit: seu contenti erant semetipsos nosse; seu putabant se satis scire. Illum tamen sensum omnes elegerunt.

81. *Advigilare sibi jussit fortuna premendo.* Premendo eos Fortuna acuit, quasi dicat, Necessitas curas acuit; ut « durisque urgens in rebus egestas ». Theocritus: Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. Nam id plane est, quod antea dixit: « Et labor ingenium miseris dedit ».

83. *Et quodcumque.* Sic Gemblacensis. Antea *quæcumque.*

84. *In commune bonum.* B. legendum putat *in commune novum... dederunt.* Et *novum commentum* dicit, quod usus modo repererat. Sed reclamant universi codices. Ed.

85. *Tunc et lingua suas accepit barbara leges.* Proprie loquitur. Nam contraria methodo, lingua, quæ leges ignorat, aut violat, βαρβαρισμὸς dicitur.

86. *Et fera diversis.* Quemadmodum dixit barbaram linguam accepisse leges, ita et fera arva domita fuisse.

88. *Fecit et ignotis itiner.* Sic vet. excepto Ven. qui *iter in. Itiner*, vox antiquata pro *iter.* — B. legit *iter in*, et explicat: Fecit (navita) et terris ignotis iter, commerciorum caussa. Ovid. Metam. IV, 69: « Et voci fecistis iter », et Metam. XV, 106: « Fecit iter sceleri ». Art. Am. II, 332: « In tabulas multis hæc via fecit iter ». Ed.

Tum belli pacisque artes commenta vetustas.
Semper enim ex aliis alia proseminat usus.
Ne vulgata canam : linguas didicere volucrum,
Consultare fibras, et rumpere vocibus angues,
Sollicitare umbras, imumque Acheronta movere,
In noctemque dies, in lucem vertere noctes :
Omnia conando docilis solertia vicit :
Nec prius imposuit rebus finemque modumque,
Quam cælum adscendit ratio, cepitque profundam
Naturam rerum caussis, viditque quod usquam est :
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore,
Hiberna æstiva nix grandine mollior esset,
Arderent terræ, solidusque tremisceret orbis;
Cur imbres ruerent, ventos quæ caussa moveret,
Pervidit, solvitque animis miracula rerum :
Eripuitque Jovi fulmen, viresque tonandi,
Et sonitum ventis concessit, nubibus ignem.
Quæ postquam in proprias deduxit singula caussas,
Vicinam ex alto mundi cognoscere molem
Intendit, totumque animo comprendere cælum :
Adtribuitque suas formas, sua nomina signis,

90. *Semper enim ex aliis alia.* Sic Gemblac. et Boninc. habebat *alia.* Scal. *alias,* nempe artes; sed *alia* servandum : non solum artes, sed res quascumque. Producit finalem *alia,* ob cæsuram et sequens *proseminat.*

91. *Ne vulgata.* Sic Gemb. Male Sc. et vulg. *Nec.—Linguas didicere volucrum.* F. *volucrum prædiscere linguas.*

96. *Modumque.* Sic Scal. alii vet. B. Pingr. *manumque.*

97. *Cepitque profundam Naturam rerum caussis.* B. refingit *cepitque profundis Naturam rerum claustris.*

103. *Solvitque animis miracula rerum.* Lucretius, I, 147 : « Et finem statuit cupedinis, atque timoris ».

104. *Eripuitque Jovi fulmen, viresque tonandi.* Sic omnes, sed Scal. *nomen viresque tonantis.* Exsolvit animos superstitione, et caussas, quæ Deorum mythologiis adscribebantur, ab ultima natura repetivit : quod ab Epicuro suo factum Lucretius gloriatur. Recentiores *tonandi*, et sic B. Pingr.

109. *Adtribuitque suas formas.* Proprio sensu : nam formæ dicuntur astris, quæ certo ordine constant. Contra ἀμόρφωτοι ἀστέρες, quæ nullam constellationem efficiunt.

Quasque vices agerent certa sub sorte notavit:
Omniaque ad numen mundi faciemque moveri,
Sideribus vario mutantibus ordine fata.
Hoc mihi surgit opus non ullis ante sacratum
Carminibus: faveat magno Fortuna labori,
Annosa et molli contingat vita senecta,
Ut possim rerum tantas emergere moles,
Magnaque cum parvis simili percurrere cura.
Ac quoniam cælo descendit carmen ab alto,
Et venit in terras fatorum conditus ordo,
Ipsa mihi primum Naturæ forma canenda est,
Ponendusque sua totus sub imagine mundus:
Quem sive ex nullis repetentem semina rebus
Natali quoque egere placet, semperque fuisse,
Et fore, principio pariter fatoque carentem:
Seu permixta Chaos rerum primordia quondam
Discrevit partu, mundumque enixa nitentem

110. *Certa sub sorte notavit.* Sic Gemblac. qood retinemus. Ita semper loqoitur; non *lege*.

116. *Tantas emergere moles.* Ἀρχαϊκῶς moles pro fluctibus. Attius: « tantas moles fluctuum ».

120. *Ipsa mihi primum Naturæ.* Adgreditur ad describeodam Sphæram Mundi, quæ præit Apotelesmaticæ, ut antea diximus.

122. *Quem sive ex nullis.* Senteotia Aristotelis, qoem ouoc designat. Is, ut probet Mundum iocreatum, inter alia a similitudine orbis circularis, ita coocludit in secunda figura: Quod circolariter movetur, nullum cootrarium habet. Quod oascitur, et deoascitur, cootrarium habet. Quod igitur circulariter movetur, neque nascitor, neque denascitur. Vide primum de cælo.

124. *Fatoque carentem. Fatum* more suo mortem ipsam vocat Manilius; et subiode coojungit hæc ut cuotraria, natalem et fatum, ut Aristoteles ait, oatom et exitum. Reliquos Philosophos, qui negant mundo principium esse, vide apud Censorinum. — *Seu permixta Chaos.* Sive Mundus priocipio caret; ut vult Aristoteles: sive principium habet, ut Ægyptii. Æsculapius Ægyptius vetustissimus scriptor, in sua Myriogenesi dixit, in posterioribus partibus, Libræ compositionem Mundi factam, eumque fuisse natalem Mundi. Firmicns de Libra: « Cætera eoim ad XXX nomeros collocantur. In istis enim posterioribus partibus terra dicitur esse composita, ut barbarica ratio confirmat ». Barbarica ratio est Ægypliaca, ut alibi osteudimus. Libram intelligit Ægyptiaci parapegmatis Dionysii, aut

Fugit in infernas caligo pulsa tenebras :
* Sive individuis, in idem reditura soluta,
* Principiis natura manet, post sæcula mille :
* Et pæne ex nihilo sumptum est, nihilumque futurum,
* Cæcaque materies cælum perfecit et orbem :
Sive ignis fabricavit opus, flammæque micantes,
Quæ mundi fecere oculos, habitantque per omne
Corpus, et in cælo vibrantia fulmina fingunt :
Seu liquor hoc peperit, sine quo riget arida rerum
Materies, ipsumque vorat, quo solvitur, ignem :
Aut neque terra patrem novit, nec flamma, nec aer,
Aut humor, faciuntque Deum per quatuor artus,
Et mundi struxere globum, prohibentque requiri
Ultra se quidquam : quum per se cuncta creentur,

Hipparchi, XXVII Septembris Juliani. Ergo finis ejus XXVI Octobris Juliani, ubi sane mundus creatus. Vide librum quintum de Emend. Temp. cap. de condito rerum.

128. *Sive individuis.* Ἀτόμοις. Eamdem cæcam materiem quum vocat, usus est verbo Epicurei dogmatis. Hos quatuor versus omittit Pingr. quamquam in omnibus scriptis et editis legantur.

130. *Et pæne ex nihilo sumptum*, id est, cœpit. Pæne nihilum vocat τὴν ἄτομον, qua Epicurus nihil exiguius in rerum natura esse dicebat : quod valde exagitat Cicero de Finibus.

132. *Sive ignis fabricavit.* Dogma Heracliti. Addit Pingr. quosdam nostræ ætatis Physicos hanc opinionem refovisse.

133. *Habitantque per omne Corpus.* Ita fine huj. lib. 851 : « Sunt autem cunctis permixti partibus ignes, Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes ».

135. *Seu liquor hoc peperit.* Thaletis Milesii sententia.

136. *Ipsumque vorat.* Ex Gemblacensi legimus antea *vocat*. Firmicus scribit, libro tertio de igne et aqua, alterum per alterum destrui, et ex eo interitu primi status integrationem sequi. Liquor igitur vorat ignem, et ignis liquorem : alter alteri pestis est. Censorinus refert, Aristotelem scripsisse maximi anni hiemem esse inundationem, æstatem vero inflammationem, et alterum ab altero alternis destrui. — Bentl. vult *ipsumque creat*, sed ex mera conjectura ; eleganter tamen, ob præcedens *peperit*. Sed mirum est ignem aqua creari. Ed.

137. *Aut neque terra patrem.* Patrem, fabricatorem : contra Platonis Timæum, in quo Deus opifex mundi adstruitur.

138. *Faciuntque Deum per quatuor artus.* Deum, τὸ πᾶν, cujus artus, hoc est, membra, quatuor elementa,

Frigida nec calidis desint, aut humida siccis,
Spiritus aut solidis; sitque hæc discordia concors,
Quæ nexus habiles et opus generabile fingit,
Atque omnis partus elementa capacia reddit :
Semper erit genus in pugna; dubiumque manebit,
Quod latet, et tantum supra est hominemque Deumque.
Sed facies, quacumque tamen sub origine, rerum
Convenit, et certo digestum est ordine corpus.
Ignis in æthereas volucer se sustulit auras,
Summaque complexus stellantis culmina cæli,
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.
Proximus in tenues descendit spiritus auras,
Aeraque extendit medium per inania mundi.
Ignem flatus alit vicinis subditus astris.
Tertia sors undas stravit, fluctusque natantes
Æquora perfudit toto nascentia ponto,

secundum veteres Theologos, qui illa universi partes dicunt, ideoque non creata.

143. *Quæ nexus habiles, et opus generabile fingit.* Neque de hac lectione dubitaverit, nisi qui superiora non intelliget. Nexus vocat elementorum conjunctiones; estque idem, quod non dudum dixerat : « Frigida nec calidis desint, aut humida siccis ».

144. *Atque omnis partus elementa capacia reddit.* Male olim *rapacia reddunt.* Nam de eadem concordia discordi, quæ nexus habiles reddit, sermo est, et ideo quæ reddit elementa omnis partus rapacia, aut capacia.

146. *Quod latet, et tantum supra est hominemque Deumque.* Nunquam, inquit, ejus rei origo patebit, utpote, quæ lateat, atque adeo supra ipsum Deum sit, nedum hominis captum. Impia illa sententia illorum Græcorum et Latinorum, Ne Deo quidem possibile esse, quod Plinius dixit *rem Deo improbam*, lib. II, de Hipparcho. Rectissima emendatio. Nam τὸ *superest* ineptissimum erat.

147. *Sed facies, quacumque*, etc. Quæcumque, inquit, est origo mundi, sive principium habet, sive non (nam id in dubio est), non dubitatur de forma ejus.

149. *Auras.* B. habet *oras.*

152. *Descendit.* B. mutat in *secessit.*

154. *Ignem flatus alit.* B. vult *Ignem ut flatus alat.*

156. *Æquora perfudit.* Trajectio Maniliana, *Fluctus natantes Æquora perfudit*, id est, fluctus natantes fudit per æquora. Sic supra : « Inque Deum Deus ipse tulit ». Deus Deum intulit. Sed B. emendat *Æquoraque effudit*, quia in nostra, quæ Huetii

Ut liquor exhalet tenues atque evomat auras,
Aeraque ex ipso ducentem semina pascat.
  Ultima subsedit glomerato pondere tellus,
Convenitque vagis limus permixtus arenis
Paullatim ad summum tenui fugiente liquore.
Quoque magis puras humor secessit in undas,
Et siccata magis strinxerunt æquora terras,
Adjacuitque cavis fluidum convallibus æquor;
Emersere fretis montes, orbisque per undas
Exsiliit, vasto clausus tamen undique ponto.
* Imaque de cunctis mediam tenet undique sedem.
Idcircoque manet stabilis, quia totus ab illo
Tantumdem refugit mundus; fecitque cadendo
Undique ne caderet: medium totius et imum est.
Ictaque contractis consistunt corpora plagis,
Et concurrendo prohibent in longius ire.
  Quod nisi librato penderet pondere tellus,
Non ageret cursum, mundi subeuntibus astris,
Phœbus ad occasum, et numquam remearet ad ortum:
Lunave submersos regeret per inania currus:

est, lectiooe videtur deesse coojuoctio, et Beotleio præiverat Barth. Pingr. — Idem distioguit post *natantes*.

167. *Mediam tenet undique sedem.* Hunc versum spurium dicit B. *ima* enim orbi oon coovenit.

169. *Fecitque eadendo Undique ne eaderet.* Idem infra, v. 181: « Qua cadat, et sobeat cælum, rursusque resurgat ». Parmeoidem vide. ED.

171. *Ictaque contractis.* Partes terræ io medium feruntur: poodus enim habent, dooec ad medium pervenerint. Nam quod pondus habet, et secuudum pondus movetur, id eo usque movetur, quoad perveniat ad medium, siquidem nihil impediverit. Quom igitur omnes partes io medium vergant, et mioores a majoribus trudaotur, ac densentur, propterea quod majores semper urgeant vi sua, quia scilicet pollent miooribus: eo facto tandem globi forma prodit: veluti quum e cera pila fit, semper id, qood iuæqualiter exstat, ac protuberat, io medium truditur fingendo.

173. *Quod nisi librato.* Cootra Xenophanem. Pendere enim terram negabat, quam potius deorsum in iufinitum jacere cootendebat.

176. *Lunave submersos regeret per inania currus. Submersos* dicit, quod

Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
Hesperos emenso dederat qui lumen Olympo.
Nunc quia non imo tellus dejecta profundo,
Sed medio suspensa manet, sunt pervia cuncta;
Qua cadat, et subeat cælum, rursusque resurgat.
  Nam neque fortuitos ortus surgentibus astris
Nec totiens possum nascentem credere mundum,
Solisve assiduos partus, et fata diurna:
Quum facies eadem signis per sæcula constet;
Idem Phœbus eat cæli de partibus iisdem;
Lunaque per totidem luces mutetur, et orbes;
Et natura vias servet, quas fecerat ipsa,
Nec tirocinio peccet; circumque feratur
Æterna cum luce dies, qui tempora monstrat
Nunc his, nunc illis eadem regionibus orbis:
Semper et ulterior vadentibus ortus ad ortum
Occasumque obitus cælum cum Sole perennet.

ex inferioribus partibus supra horizontem producuntur. Unde adstruit argumentum de rotunditate terræ. Quomodo enim submersos currus in lucem promeret, si terra non esset rotunda?

180. *Sed medio suspensa manet, sunt pervia cuncta.* Conclusio. Quia tellus in medio sita est, secundum ea, quæ demonstrata sunt: ergo omnia pervia sunt. Super subterque terram omnia patent: versiculus sequens alio pertinet.

184. *Solisve adsiduos partus.* Pueriles et ridicula Heracliti sententia. Dicebat Solem ac cætera astra ignem esse: quum in oriente sint, accendi, propter ejus partis calorem: in occasu exstingui, propter frigiditatem, quæ in occiduis partibus est. — *Et fata diurna.* Assiduos partus, et fata diurna Solis intelligit quotidianam Solis formationem et interitum, quod vaticinabatur Heraclitus. Jamdudum monuimus τὴν φθορὰν fatum verti a Manilio.

185. *Quum facies eadem signis per sæcula constet.* Post hunc versum continuandus est ille, qui quintus ante hunc legebatur. Itaque versus, ita ut dedimus, continuandi: plana sententia. Non, inquit, possum credere Solem aut Mundum quotidie renasci, quum videam easdem vices cæli et astrorum: cælum eadem parte semper surgere, et occidere, Lunam et Solem eosdem circuitus servare.

191. *Nunc his, nunc illis.* Quum, inquit, eadem tempora sint semper iisdem regionibus orbis, et alterius vadentibus ortus ad ortum, et contra obitus ad obitum continuetur cum ipso Cælo et Sole.

Nec vero tibi natura admiranda videri
Pendentis terræ debet, quum pendeat ipse
Mundus, et in nullo ponat vestigia fundo:
Quod patet ex ipso motu, cursuque volantis;
Quum suspensus eat Phœbus, cursumque reflectat
Huc illuc, agiles et servet in æthere metas;
Quum Luna et stellæ volitent per inania mundi,
Terra quoque aerias leges imitata pependit.
Est igitur tellus mediam sortita cavernam
Aeris, e toto pariter sublata profundo,
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Undique surgentem pariter, pariterque cadentem.
Hæc est Naturæ facies: sic mundus et ipse
In convexa volans teretes facit esse figuras
Stellarum; Solisque orbem, Lunæque rotundum
Adspicimus, tumido quærentis corpore lumen,
Quod globus obliquos totus non accipit ignes.
Hæc æterna manet Divisque simillima forma,
Cui neque principium est usquam, nec finis; in ipso

194. *Nec vero tibi natura admiranda.* Duo proposuit, situm terræ et ejus formam. De situ jam absolvit; sequitur forma, quam rotundam concludit.

204. *Nec patulas distenta plagas.* Non in immensam planitiem extenditur. Hæc erat Anaximandri opinio.

209. *Tumido*, i. e. convexo.

210. *Quod globus obliquos.* Quia quo propior Soli, eo obliquius illustratur.

211. *Hæc æterna manet Divisque simillima forma.* Aristoteles mundo universo formam rotundam adtribuit a necessitate, ne scilicet vacuum extra relinquat: quod tamen ante eum dixerat Empedocles. Astronomi ex sideribus rotundam formam colligunt. Platonici vero ita colligunt: Quod tenuissimum, simplicissimum et maxime similarium partium sit æther: similarium autem similes superficies. Ejusmodi vero sunt soli circuli inter planas figuras, globi inter solidas, etc.

212. *In ipso*, i. e. in se ipso, ut lib. V, 655: « populum suspendit ab ipso », a se ipso; et « totus volat undique in ipsum », in se ipsum: ἑλληνισμός· εἰς αὐτὸν, ἐν αὐτῷ, pro εἰς αὐτὸν, ἐν αὐτῷ. — Sed recentiores codices et B. dant *finis in ipsa*, scil. forma. Ed.

Sed similis toto remanet, perque omnia par est.
* Sic stellis glomerata manet mundoque figura.
Idcirco terris non omnibus omnia signa
Conspicimus: nusquam invenies fulgere Canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras.
Sed quærent Helicen, quibus ille supervenit ignis,
Quod laterum tractus obstant, medioque tumore
Eripiunt terræ cælum, visusque coercent.
Te testem dat, Luna, sui glomeraminis orbis,
Quæ quum mersa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnes pariter confundis sidere gentes,

213. *Toto remanet.* B. *sed similis toto orbe sibi;* quod tollit repetitionem τοῦ *manet*. Ed.

214. *Sic stellis glomerata manet.* Sic corrigit Scal. olim: *manent mundumque figurant.* Quis tam alienus a sensu literarum, ut vulgatam lectionem tueri velit, neque ad congruentiam sermonis, neque ad mentem auctoris? — Bentl. et cum illo Pingr. hunc versum proscribunt: hic enim de telluris, non de stellarum et mundi rotunditate agitur, quam supra adserit v. 207; sed codices omnes habent. Ed.

216. *Nusquam invenies fulgere Canopum.* Canopus est fulgida stella in malo austrino navis Argus. Ita omnes Veteres, præter Hyginum, qui ultimum maris Canopum vocatum scribit. Et idem scribit Capella ab Hygino mutuatus. Alio nomine ab adulatoribus aulæ Ægyptiacæ hæc stella dicta fuit Ptolemæus. Canopus igitur non videtur nisi Rhodo in Austrum pergentibus. Canopum Gadibus et Cnidi videri, quia in eadem inclinatione sunt, testis Strabo. Et quidem Cnidii diu ostendebant turrem, seu speculam, ex qua Eudoxus eorum popularis Canopum speculari solebat. Ab eo eam turrim magna veneratione observabant, et Eudoxi speculam vocabant.

218. *Sed quærent Helicen.* Falsum. Hodie Alexandriæ Canopus exstat supra horizontem plane conspicuus, item tota Ursa major, sive Helice, cum principio Virginis. Itaque Sole in quinto gradu Piscium subtus horizontem Alexandrinum demerso, tota Helice, et Canopus e regione, in ortivo finitore vespere conspicui sunt. Hoc tantum debebat dicere Manilius, Canopum in Ægypto adparere, qui in Græcia numquam videtur: et argumentum tritissimum est. Sæculo Manilii Sole circiter in XXIII parte Aquarii occidente, ambo Helice et Canopus summa nocte toti supra finitorem exstabant.

221. *Te testem dat, Luna, sui.* Et hoc unum ex vulgatissimis argumentis τῶν ἐγγύθεν deliquia Lunaria ab iis prius videri, qui propius a Sole oriente absunt. Unde terræ rotunda forma colligitur, cujus curvationes officiunt, ne eclipsim videant eodem tempore, qui remotiores sunt occidentem versus.

Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes.
Post, medio subjecta polo quæcumque coluntur;
Ultima ad Hesperios infectis volveris alis:
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.
Quod si plana foret tellus, simul icta per omnes
Deficeret pariter toti miserabilis orbi.
Sed quia per teretem deducta est terra tumorem,
His modo, post illis adparet Delia terris,
Exoriens simul atque cadens; quia fertur in orbem
Ventris, et acclivis pariter declivia jungit,
Atque alios superat gyros, aliosque relinquit.
* Ex quo colligitur terrarum forma rotunda.

224. B. dat *terræ* pro *gentes*, quod a superiore versu hæsisse putat. Ed.

225 et 226. Hos versus spurios et ineptos dicit Bentleius. *Subjectæ* enim oportebat, ut supra *Eoæ terræ*. Deinde, ne Latine quidem *Ultima* pro *denique*, *postremo* dicitur. Sed præcipue monstrosum *volveris alis*, de Luna. Quæ si alas habet, non volvitur, sed volat. Ed.

227. *Seraque in extremis*. Lunæ delinquenti crepitu æreorum vasorum succurri solitum si pluribus probare velim, et lecturum judiciis diffidam, et meo otio abutar. Pleni sunt libri veterum historicorum et poetarum. Plinius: « Deliquio Solis et Lunæ veneficia arguente mortalitate; et ob id crepitu dissono auxiliante ». Turcæ et Muhammedani omnes idem faciunt hodie. Sed miratus sum Bonincontrium hoc factum vidisse in municipio suo Miniatensi. — *Quatiuntur gentibus æra*. Quia *gentes* supra recurrit, B. reponit « quatiuntur finibus æra ». Ed.

228. *Simul icta per omnes*. Icta, vel quia amisit lucem, unde et Arabibus et Judæis eclipsis dicitur: vel quia dicebatur vapulare veneficis mulieribus. Martialis: « Quum secta magico Luna vapulat Rhombo ». Nam et Martiali secta est, quod hic icta. Sane percussam Lunam dicit Lucanus, quum deficit: « Terrarum subita percussa expalluit umbra ».

229. *Deficeret*. Exemplum. Defectus Lunæ, qui accidit pugna ad Gaugamela, visus hora secunda noctis Babylone, Sole occidente in Calabria. Itaque Tuleti non potuit videri. Ita per omnes gentes non potest deficere Luna, ut loquitur Manilius, id est, per omnes gentes defectus idem non videtur. Vide v. 221.

230. *Sed quia per teretem*. Non est quidem absoluti orbis, si campos, montes, ac valles spectes: sed ejus amplexu si capita linearum comprehendas in ambitu, tunc plane σφαιροειδὲς σχῆμα efficitur. Terra enim non est σφαῖρα, sed σφαιροειδής.

Hanc circum variæ gentes hominum atque ferarum,
Aeriæque colunt volucres: pars ejus ad Arctos
Eminet; austrinis pars est habitabilis oris,
Sub pedibusque jacet nostris, supraque videtur
Ipsa sibi fallente solo declivia longa,
Et pariter surgente via, pariterque cadente.
Hinc ubi ab occasu nostros Sol adspicit ortus,
Illic orta dies sopitas excitat urbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris.
Nos in nocte sumus, somno sic membra locamus.
Pontus utrasque suis distinguit et adligat undis.
Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa condita forma
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis
Vis animæ divina regit; sacroque meatu
Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat,
Mutuaque in cunctas dispensat fœdera partes,
Altera ut alterius vires faciatque, feratque,

239. *Sub pedibusque jacet.* Ἀντίχθονες, ἀντίποδες.

242. *Hinc ubi ad occasus.* Sane legendum *ab occasu.* Quis dubitat Solem ἐκ διαμέτρου intelligi? Nam Sol in occasu constitutus respicit ortus nostros : et ab occasu nostro oritur aliis. Quod si ortus adjective accipiatur, quid absurdius poterit dici, quam Solem ortum adspicere ad ortus nostros? Hanc Scal. lectionem omnes et ipse B. sequuti sunt. Ed.

244. *Et cum luce refert operum vadimonia terris.* Sic eodem modo Plinius dixit *vadimonia tempestatum.*

245. *Somnosque in membra locamus.* Negamus Latine dictum, somnos in membra locare : sed, membra somno et in somnos locare. Gemblacensis *somnos in membra locamus.* Nos legimus : *somno sic membra locamus.* Non admittemus, ut dictum sit, *somnos in* pro *in somnos.*

246. *Pontus utrasque suis.* Creberrimum Arato et huic scriptori, Oceanum et undam pro horizonte et termino mundi usurpare. — *Distinguit et adligat.* Distinguit nos horizon noster ab illis, qui ultra horizontem nostrum incolunt : adligat idem utrasque partes, scilicet Austrinam et Boream. Scalig. dat *utrosque*, male. Ed.

253. *Altera ut alterius.* Potest legi : *Alterum ut alterius.* Eleganter autem τὸ *faciatque feratque* expressit ea vicissim agere et pati, caussas et effectus esse.

Summaque per varias maneat cognata figuras.
Nunc tibi signorum lucentes undique flammas
Ordinibus certis referam : primumque canentur
Quæ media obliquo præcingunt ordine mundum,
Solemque alternis vicibus per tempora portant,
Atque alia adverso luctantia sidera mundo.
Omnia quæ possis cælo numerare sereno ;
E quibus et ratio fatorum ducitur omnis :
Ut sit idem mundi primum, quod continet arcem.
Aurato princeps Aries in vellere fulgens
Respicit, admirans aversum surgere Taurum,
Submisso vultu Geminos et fronte vocantem.
Quos sequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem.
Æquato tum Libra die cum tempore noctis
Adtrahit ardenti fulgentem Scorpion astro.
In cujus caudam contento dirigit arcu

260. *Quæ possis cælo numerare sereno*. Ita reponendum, et dedit B.

262. *Ut sit idem mundi primum*. Zodiacum mundi arcem vocat, quod ex eo ortus et interitus præcipuæ caussæ defluunt, et quod, ut ipse ait, ex eo ratio fatorum ducitur omnis. Ab eo igitur merito orditur, ut primum sit loco, et ordine, quod mundi continet arcem. Sic auctor Alcabitii a Nitak, hoc est, a circulo Zodiaco, ab eadem caussa orsus est.—B. *primum, mundi quod*, aliter interpungens. Ed.

264. *Respicit, admirans aversum*. Neque enim Taurus est adversus Arieti, quum clunes ejus sint oppositæ Arieti. Alioqui contradiceret sibi, qui dicat Taurum submisso vultu vocantem Geminos. Respicit igitur Geminos. Proinde aversus est Arieti. Stupidum esse oportet, qui aliter censeat, et præterea ignarum astrorum ordinis. Semper *adversum* pro *averso* positum in his libris perperam, ubi de Tauro agitur.

265. *Submisso vultu*. Ex adspectu constellationis desumptum est. Est enim ingeniculatus, et tamquam bos humi procumbens : unde et interpres Ptolemæi κυρτὸν vocat, Lucanus curvatum : « nisi poplite lasso Ultima curvati procederet ungula Tauri ». Quare ideo πεπτηὼς Arato dicitur : et alibi a Manilio *flexus*, item *nixus*.

268. *Adtrahit ardenti*. Libra Scorpium dicitur adtrahere ideo, quod Scorpii Dodecatemorion in Libra finitur, atque absolvitur. Nam ejus Chelæ partem Libræ occupant. Unde Chelarum nomine etiam Libra intelligitur tam apud hunc Nostrum, quam alios scriptores.

269. *Contento dirigit arcu*. Dirigere Manilius ponit absolute, ut

Mixtus equo volucrem missurus jamque sagittam.
Tum venit angusto Capricornus sidere flexus.
Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam,
Piscibus adsuetas avide subeuntibus undas,
Quos Aries tangit claudentes ultima signa.
Hæc igitur texunt æquali sidera tractu
Ignibus in varias cælum laqueantia formas.
Altius his nihil est: hæc sunt fastigia mundi,
Publica naturæ domus his contenta tenetur
Finibus, amplectens pontum terrasque jacentes.
Omnia concordi tractu veniuntque caduntque,
Qua semel incubuit cælum, versumque resurgit.

Tertullianus semper: estque quod Homerus dicit πιτύσκεσθαι. Sic in Apotelesmatis: « Cancer in adversum Capricorni dirigit astrum ».—B. *contentum arcum*, non male, sed omnino ex conjectura. Ed.

270. *Missurus jamque sagittam.* Decurtata locutio, *jamque* pro *jamjamque*. B. *jam mittens jamque.*

271. *Tum venit angusto.* Et hic quoque angustum Capricornum dicit, quod contractior ἐν σχεδογραφίᾳ pingeretur. Infra: « Ast angusta fovet Capricorni sidera Vesta ». Item, II, 252: « Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in astris »; vel quia a centro oculi ad Capricornum linea ducta humillima est omnium, quæ ab oculo ad Signiferum ducuntur. Qui legunt *Augusto*, valde eos fugit ratio. Nam quid est Capricornus Augusto sidere flexus? De Augusto sub Capricorno nato alibi dicetur. Idem accidit loco Juvenalis, Satira X, ut *Augusta* pro *angusta* legeretur: « Angusta Caprearum in rupe sedentis ». Nam ita habent boni codices. Et tamen eo jure possunt Capreæ dici Augustæ, quo Capricornus Augustus. Neutrum tamen ad mentem auctoris sui.—Displicet Bentleio *flexus*, quia sequitur *inflexam*; itaque legit: « Capricornus sidere frigens ». Capricornus quidem sæpe gelidus dicitur. Ed.

272. *Post hunc inflexam defundit.* Diffundere est infundibulo in vas invergere. Defundere est vas deplere. Sic diffusores olearii dicebantur, qui in vasa olearia oleum infundebant: erantque auctorati in municipiis, ut in his regionibus diffusores vinarii, et cervisiarii. In veteri inscriptione: EQ. R. DIFFVS. OLEARIO. EX. BAETICA. Id est, Equiti Romano, Diffusori oleario.

273. *Piscibus adsuetas avide.* Nam alter ex gemellis piscibus cognomine νότιος deglutit aquam ex urna Aquarii defluentem. Similiter Noster, II, 225: « gaudentes æquore pisces ».

275. *Hæc igitur*, etc. Hic versus cum sex sequentibus in h. l. a B. restituuntur, cujus in sententiam libenter eo. Scal. eos post vs. 538 transtulit, ordine minus bono. Ed.

At qui fulgentes cælo consurgit ad Arctos,
Omnia quæ summo despectant sidera mundo,
Nec norunt obitus, unoque in vertice, tantum
In diversa sitæ, cælumque et sidera torquent,
Aera per gelidum tenuis deducitur Axis,
Libratumque regit diverso cardine mundum,
Sidereus circa medium quem volvitur orbis,
Æthereosque rotat cursus, immotus at ille
In binas Arctos magni per inania mundi,
Perque ipsum terræ directus conspicit orbem.
Nec vero e solido stat robore corporis ejus,
Nec grave pondus habet, quod onus ferat ætheris alti.
Sed quum Aer omnis semper volvatur in orbem,
Quoque semel cœpit, totus volet undique in ipsum:

282. *At qui*, scil. axis. B. *At qua.*

287. *Libratumque regit.* Axis non regit orbem, sed gerit, ait Scaliger, et reponit *gerit.* Germanicus de Axe: « libratasque tenet terras ».

289. *Æthereosque rotat cursus immotus.* Ex Arateis, quæ Manilius reddidit, adparet distinguendum: « Æthereosque rotat cursus: immotus at ille, etc. » Nam hoc vult: Ipse rotat, at non rotatur.

290. *In binas.* B. *Austrinas.*

291. *Directus conspicit.* Qui mediocriter Latine scit, videt verbum, quod Grammatica absolutum vocat, bic substituendum ἀντὶ τοῦ *conspicit*, *constitit.* Reddit enim Aratea, ut solet: ἀλλὰ μάλ' αὔτως Ἄξων αἰὲν ἄρηρεν. Ideo Avienus eadem vertens eodem verbo, quo Manilius usus: « ut semel hærens Constitit ». Ecquod genus loquendi est? Axis conspicit, directus per medium orbem. Quid quod necessarium est verbum *constitit.* Immotum enim vult designare.

292. *Nec vero e solido stat robore corporis ejus.* Legendum *robur.* Error natus, quia *robor* veteres librarii scribebant. Nec vero, inquit, robur ejus corporis constat e solido. Non adfingenda est ei robusta materia, quia mundum sustineat: neque pars est terræ, quod terram gerat, ut videtur velle fabula Græcorum de columna Atlantis: sed tenuissimam Universi partem λόγῳ tantum θεωρητὴν ponendam esse. Nam in medio corporis, quod circulari motu agitatur, manet aliquid, circa quod movetur. Mundus autem circa Axem movetur. Igitur Axis est pars Mundi, non utique ex solida materia: neque grave pondus habebit ideo, quod ferat onus ætheris alti. Est enim ἀσώματος γραμμή. Propterea tenuem, hoc est, ἀσώματον vocat Manilius. — *Corporis ejus.* Gemblacensis *corporis ei.* Etiam Lucretius primam τοῦ *ei* producit. Sed B. ingeniose ex *ei* facit *axis.* Ed.

Quodcumque in medio est, circa quod cuncta moventur,
Usque adeo tenue, ut verti non possit in ipsum,
Nec jam inclinari, nec se convertere in orbem,
Hoc dixere Axem, quia motum non habet ullum:
Ipse videt circa volitantia cuncta moveri.
  Summa tenent ejus miseris notissima nautis
Signa, per immensum cupidos ducentia pontum:
Majoremque Helice major decircinat arcum.
Septem illam stellæ certantes lumine signant:
Qua duce per fluctus Graiæ dant vela carinæ.
Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe,
Quam spatio, tam luce, minor, sed judice vincit
Majorem Tyrio. Pœnis hæc certior auctor
Non adparentem pelago quærentibus orbem.

297. *Ut verti non possit in ipsum.* More suo dixit *in ipsum* pro in se ipsum. Usque adeo, inquit, est tenuis Axis, ut ipse circa se ipsum moveri non possit, quomodo Mundus circa ipsum movetur. Quod si aliquis dicit circa suum centrum moveri, impossibilia dicit. Nam quum centrum sit ὅρος ἀσώματος, non poterit manere interea, dum illa, quorum est ὅρος, moventur. Non enim per se subsistit centrum. Igitur si non manet centrum, neque per se movebitur. Videndum tamen, an præstaret legi, *id ipsum.* Quod sane verius est. Adeo tenue, ut id ipsum quidem non vertatur, circa eum autem omnia vertantur. Sed omnes habent *in ipsum.* Ed.

298. *Nec jam inclinari.* Inutilis et juxta B. spurius. *Inclinari* barbare. —*Nec se convertere in orbem.* Etenim et in universum siquid moveri oportet secundum locum, necesse manere aliquod corpus, a quo, aut circa quod moveri debet.

300. *Ipse videt circa.* Aratus, Phæn. περὶ δ' οὐρανὸς αὐτὸν ἀγινεῖ.

303. *Decircinat arcum.* Aratus iisdem verbis, sed de minore: Μειοτέρη γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι: hoc est: «Arcum namque minor decircinat Ursa minorem».

306. *Angusto Cynosura brevis.* Vid. Aratus, Phæn. v. 42.

307. *Sed judice vincit Majorem Tyrio.* Aratus, Phæn. ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων. Propterea φοινίκη dicta fuit. Auctores Hyginus, et Scholiastes Germanici. Alii dicunt Thaletem Phœnicem fuisse, et primum Phœnicibus popularibus suis Cynosuram iudicasse, ut etiam Callimachus testatur in Choliambis. Atque ut hoc non ignotum doctis, ita illud paucissimis, Ursam Ἀγάνναν vocatam. Hesychius: ἀγάννα, ἡ ἐν οὐρανῷ ἄρκτος.

309. *Quærentibus orbem.* B. reponit *oram*, commode quidem; nam Cynosuram servant, quum litus non vident. Ed.

Nec paribus positæ sunt frontibus: utraque caudam
Vergit in alterius rostro, sequiturque sequentem.
Has inter fusus, circumque amplexus utramque
Dividit, et cingit stellis ardentibus Anguis,
Ne coeant, abeantque suis a sedibus umquam.
Hunc inter, mediumque orbem, quo sidera septem
Per bis sena volant contra nitentia signa,
Mixta ex diversis consurgunt viribus astra,
Hinc vicina Polis, cælique hinc proxima flammis.
Quæ, quia dissimilis, qua pugnat, temperat Aer,
Frugiferum sub se reddunt mortalibus orbem.

310. *Utraque caudam.* Rotunde vertit Aratea, Phæn. v. 28: Αἳ δή τοι κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἰξύας αἰὲν ἔχουσιν Ἀλλήλων· αἰεὶ δὲ κατωμάδιαι φορέονται Ἔμπαλιν εἰς ὤμους τετραμμέναι.

311. *Vergit in alterius rostro.* Melius *rostrum*, quod dedit B.

314. *Ne coeant.* Verba ex veteri Sphæra, quæ modo protulimus: εἴργει μὴ πελάζεσθαι δράκων.

318. *Hinc vicina Poli.* Legendum *Polis.* Nam aliæ stellæ utrique polo, aliæ Zodiaco vicinæ. Sic vett. Pingr. lectionem Sc. reprehendit, et dat *vicina Polo.* B. *vicina gelu.* Zodiacum autem vocat Cæli flammas, quod per eum Sol feratur.

319. *Quæ quia dissimilis.* Ab aere stellas temperari vult: quasi ab aere vires accipiant, et non potius aerem inficiant ipsæ. Simile quid Ptolemæus de Luna, cui humectandi vim ideo tribuit, quod terræ vaporibus vicinior sit. Nimirum perspicue hoc vult, Lunæ humiditatem et frigiditatem a terra esse. Idem sonat ejus sententia, quæ concludit Saturnum minus humectare, quod a terræ vaporibus remotissimus sit. Ergo supra Lunam omnia, etiam Luna ipsa, erunt corruptioni obnoxia, siquidem vera prædicat. Cardanus sententiam interpretatione lenire conatur: Lunam non infici vaporibus, sed ab ea vapores trahi. Quod longe alienissimum ab hypothesi Ptolemæi: qui diserte scribit Lunam perinde humectare, quod terræ vaporibus vicina sit, ut calefacere, quia et radiis Solis adficitur. Si adficitur a terra, quomodo terram adficiet, ut vult Cardanus? Qui Ptolemæum hic defendunt, frustra sunt. Quemadmodum igitur Ptolemæus vim humiditatis Lunaris, terræ propinquitati, et siccitatis Saturniæ ejusdem longinquitati adtribuit, ita etiam Manilius noster ab eadem Philosophia vires stellarum censet non ex ipsis, sed ex vicinitate aut intervallo.

320. *Frugiferum sub se reddunt.* Ex Arato de Zodiaco ad verbum pene, Phæn. v. 551. Propterea Zodiacus Lucano dicitur: « varii mutator circulus anni ». Peripatetici ad mentem Arati et Manilii. Sed non dicunt hæc omnia accidere ab aere, aut intervallis, ut Manilius, sed ex diverso astrorum motu.

Proxima frigentes Arctos, Boreamque rigentem
Nixa venit species genibus, sibi conscia caussæ.
A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes,
Quod similis junctis instat de more juvencis,
Arcturumque rapit medio sub pectore secum.

321. *Frigentes* et *rigentem* merito offendunt in eodem versu : hinc placet Bentleii conjectura *fulgentes Arctos*. Sic enim Noster supra, v. 282 : « At qui fulgentes cælo consurgit ad Arctos », et infra, 564 : « Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton ». Ed.

322. *Nixa venit species*. Aratus, Phæn. 65, dicit hoc signum non habere nomen ; sed hoc est quod Veteres vocabant Engonasin. Sed Hyginus dicit vocatum Cetea, Κητέα, alii Herculem, et nunc quoque sic dicitur.

323. *A tergo*. Hoc carpit Scal. quia Corona inter Engonasin et Arctophylacem sita est.

324. *Quod similis junctis*. Cuinam est similis ? De hoc silentium : neque mirum. Corruptus enim locus. Legebamus *Cui similis*. *Cui* Bootæ scilicet : βοώτης est bubulcus. Arctophylax, inquit, dicitur et βοώτης sive bubulcus. Quare ? quod bubulco, aut bootæ similis instat junctis juvencis. Sed et Gemblacensis habet *Quod similis*. Potest etiam esse solens error in illo exemplari *Quod* pro *Quoi*: ut alibi non semel operiemus. Igitur « Quoi similis junctis instat de more juvencis », exprimit Aratea, Phæn. 91, Avien. in Arat. v. 257 : « Arctophylax, sive, ut Veteres cecinere, Bootes ». Ovidius, « Arctophylax formam terga sequentis habet ». — *Quoi similis*. Nimirum τῷ βοώτῃ, id est, τῷ βοηλατοῦντι instanti juvencis. Cæsar Germanicus : « Inde Helicen sequitur senior, baculoque minatur, Sive ille Arctophylax Baccheio munere cæsus Icarus ereptam pensavit munere vitam ». Ita enim olim depravatissimos illos versus corrigebamus. Quod Aratus ἐλάοντι ἐοικὼς, et Manilius *instat de more juvencis*, ipse verbo Agricolarum dixit *baculo minatur*. Nam minari boves est Tib. increpare, I, 1, 10 : « Aut stimulo tardos increpuisse boves ». Inde minari ἀντὶ τοῦ βοηλατεῖν. Tamen *minare* inferior vetustas dixit, non minari : quo verbo Apuleius, Hieronymus in Bibliis Latinis, et alii æquales illorum temporum usurparunt. Idiotismus Italicus, Hispanicus, Gallicus retinet hactenus. Adjicit Germanicus Arctophylacem a nonnullis Icarum vocari. Propterea Septemtriones Icarios boves vocat Propertius : « Flectant Icarii sidera tarda boves ». Malim vero legere ex Gemblacensi : « Quod stimulo junctis instat de more juvencis. Nam Booten, id est, bubulcum ea propter dictum scribit, quod stimulo instet bubus. *Quod stimulo* dedit Pingr. Sed mihi fere magis adridet lectio Reg. *Quod simul is junctis*, unde *similis* fluxisse videtur. Ed. — *Stimulis* dedit B. et Scal. qui falso Gemblac. *stimulo* habere dixit ; hic enim liber et cæteri omnes habent *similis*. Ed.

325. *Arcturumque rapit medio sub pectore secum*. Medio sub pectore, Arato ὑπὸ ζώνῃ ex Eudoxo. Gemi-

At parte ex alia claro volat orbe Corona
Luce micans varia : nam stella vincitur una
Circulus, in media radians quæ proxima fronte,
Candidaque ardenti distinguit lumina flamma :
Gnossia desertæ et fulgent monimenta puellæ.
At Lyra diductis per cælum cornibus inter
Sidera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod adtigerat cantu, manesque per ipsos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Huic cælestis honos, similisque potentia caussæ:
Tunc silvas et saxa trahens, nunc sidera ducit,
Et rapit immensum mundi revolubilis orbem.
Serpentem Graiis Ophiuchus nomine dictus

nus in Asterismis. Hipparch. Booten collocat in Zona, ut Eudoxus et Aratus.

326. *Claro volat orbe Corona. Volat*, i. e. rapitur, rotatur. Scal. dicit male poetam scripsisse *Parte alia*; nam *Corona* sita est inter Arctophylacem et Engonasin. Sed hæc verba non stricte intelligenda.

327. *Nam stella vincitur una.* Nimirum omnium septem reliquarum maxima, unica secundæ magnitudinis.

328. *Circulus in media radians.* Omnes mutaverunt in *radiat*, quod ipse senserat Scal. qui *est* supplere jubet.

330. *Gnossia desertæ et fulgent. Est* addidit Scal. ex Gemb. B. *desertæ quondam*. F. *desertæ hæc*, quod sequitur Pingr. sine qua fultura corruebat contextus totius sententiæ.

331. *At Lyra diductis.* Dicuntur diducta brachia, quomodo illa cornua brachia dicuntur Hygino, pectines Scholiastæ Germanici, quum tamen alias pecten sit plectrum. Qui scit quæ figura fuerit veteris Lyræ, nunquam poterit dubitare recte a nobis *diductis* correctum fuisse. Sic in eadem notione infra de Cycno : « Nunc quoque diductas volitat stellatus in alas » ; ubi par error. Nam notio verbi *deducere* in illo versiculo, *tenuis deducitur Axis*, non potest hic locum habere. Ibi enim deducitur, est διάγεται, a polo ad polum trajicitur.

336. *Nunc sidera ducit,* i. e. nunc cæli harmoniam et stellarum choros ducit.

338. *Serpentem Graiis.* Non feliciter hunc locum refinxit Sc. qui legit : « Serpentem magnis Ophiuchus nomine signis Dividit, et toto mergentem corpore corpus Explicat, et nodos sinuataque terga per orbes Expedit, effusis per laxa volumina palmis. Respicit ille tamen molli cervice reflexus. Semper erit paribus bellum, quia viribus æquant ». Et confidenter exclamat : Quibus versibus quis meliores super hac re aut facere, aut exigere velit ?

Dividit, atque etiam toto ingens corpore corpus
Explicat, et nodos, sinuataque terga per orbes.
Respicit ille tamen molli cervice reflexus,
Et redit, elusis per laxa volumina palmis.
* Semper erit paribus bellum, quia viribus æquant.
  Proxima sors Cycni, quem cælo Jupiter ipse
Imposuit, formæ pretium, qua cœpit amantem,
Quum Deus in niveum descendit versus olorem,
Tergaque fidenti subjecit plumea Ledæ.
Nunc quoque diductas volitat stellatus in alas.
  Hinc imitata nitent cursumque, habitumque sagittæ
Sidera: tum magni Jovis ales fertur in altum
Assueto volitans gestet ceu fulmina mundo

Valde alienum a Musis esse oportet, qui hanc vetustatem non capit. At quæ absurditas in vulgata lectione erat? Ex ipsa ergo schedographia pulchre Serpentarium nobis proposuit.—Sed B. melius veterem ordinem servat, cum paucis emendationibus, quæ mihi placent, et ego in textum recepi. Ed.

339. *Dividit.* Quia utraque manu anguem tenet, ut ex uno duos efficere videatur. — *Et toto mergentem corpore* dedit Scal. quia lectionem quam damus, a secunda manu credidit, quum a prima in Gembl. sit. Sed non male pro *toto* conjicit *torto*.

340. *Et nodos.* Totus locus adumbratus ex illo Æneidos, II: «Ille simul manibus tendit divellere nodos».

341. *Respicit ille tamen.* Eleganter. Flexa enim cervice ad caput Ophiuchi sinum anguis obvertit, ut quidem vult Manilius. Nam aliter habet σχεδιογραφία. Conf. Aratus, Phæn. 86. Alte enim erigitur supra sinistram manum.

342. *Et redit.* Scal. quum legeret *Et dedit effusis* mutavit in *Expedit*, et hunc versum ante præced. *Respicit* trajecit: sed melius emendasse videtur B. *et redit elusis*. Eleganter sane.

347. *Fidenti.* B. *sidenti.*

348. *Nunc quoque diductas.* Olim *deductas*. Par vitium superiori; volanti enim et alas diducenti similis. Aratus de Aquila, Phæn. 278. Quis mediocriter Latine ducto persuaserit, deducere alas esse explicare alas?

350. *Tum magni Jovis.* Vid. Mœro Poetria Byzantina de Aquila, cujus versus citat Scal. alibi ut ait vix reperiendos.

351. *Adsueto volitans...mundi* Sc. *Adsueto*, pro magis adsueto, aut propius adsueto explicat, sed male. Huet. adverbialiter sumit *Adsueto*, sed B. bene *Adsueto mundo*. Sic Virgil. Ecl. V, 58: «insuetum miratur limen Olympi». Ovid. Her. XVIII, 22: «Meque per adsuetas sedula ferret aquas».

Digna Jove et cælo, quod sacris instruit armis.
Tum quoque de ponto surgit Delphinus ad astra,
Oceani, cælique decus, per utrumque sacratus.
Quem rapido conatus Equus comprendere cursu
Festinat, pectus fulgenti sidere clarus,
Et finitur in Andromeda: *quam Perseos armus*
Excipit, et sociat sibi: cui succedit iniquo
Divisum spatio, quoi tertia lampada dispar

357. *Et finitur in Andromeda.* Stella communis contingit Andromedam, discernens ejus caput ab Equi intercisione, quia dimidiatus est, ut diximus, non integer. Vid. Avien. Arat. v. 485, et Arat. Phæn. 214. Hyginus de Equo: « In umbilico novissimam unam, quæ Andromedæ caput vocatur ». Vitruvius: « Lucidissima stella finit ventrem Equi, et caput Andromedæ ». — *Quam Perseos armus Excipit.* In veteribus libris *Perseus armis Eripit.* Sed valde falluntur, qui putant hic de Andromeda a Perseo liberata intelligi. Imperiti adspicientes ad illam fabulam locum corruperunt. At periti Latinitatis sciunt, Perseus, Orpheus, Theseus apud poetas illius sæculi ne apud posteriores quidem eruditiores trisyllabum esse posse. In quibusdam vidimus, sed corrupte, ut in Culice. Præterea, ut diximus, non hic de fabula, sed de astrothesia Andromedæ et Persei sermo est. Nam armus Persei excipit pedes Andromedæ, et conjungit sibi. Aratus, Phæn. 248, ubi vide Theon. — *Eripit* alii. Sed nugatorium est Andromedam eripi armis a Perseo, quæ semper vincta in astris fingitur. Ut taceam aliam esse mentem poetæ aliud, quam liberationem Andromedæ, proponentis.

358. *Et sociat sibi.* Quia Andromedæ pedes ejus armi excipiunt. Tam sociatam Perseo, id est, conjunctam vult, quam iniquo spatio disjunctum Deltoton. Hujus versus explicationem et emendationem Sc. reprehendunt B. et P. Et hæc ita dant: *Et finitur in Andromeda. Succedit iniquo;* cætera pro interpolatis habentes.

359. *Quoi tertia lampada.* Gemblacensis *Quod* pro *Quoi*. Cui, inquit, tertia lampada est dispar duabus reliquis. Non enim intelligit unum latus esse inæquale duobus reliquis, ut sit triangulum isosceles: sed de tribus stellis, qui sunt limites trigoni, unam esse lucidiorem cæteris. Scholiastes Germanici: « Habet autem stellas tres, in singulis angulis singulas: e quibus una est clarior ». Sunt pæne ipsa verba Manilii. Sed difficile est admittere *lampada* pro *lampas*. Unde B. reponit *linea*, sed servat *quod*, contra Scaligeri correctionem, et male: non enim ideo signum illud triangulum vocatur, quia latera habeat inæqualia. Pingr. habet *cui tertia linea*. Hoc nempe firmant Aratea, Phæn. 234, quod elegantissime Germanicus: « Tres illi laterum ductus: æquata duorum Sunt spatia: unius brevior, sed clarior ignis ».

Conspicitur paribus, Deltoton nomine sidus,
Ex simili dictum : Cepheusque et Cassiepea
In pœnas signata suas : juxtaque relictam
Andromedam vastos metuentem Piscis hiatus
Expositam ponto deflet, scopulisque revinctam,
Ne veterem Perseus cælo quoque servet amorem,

Aliter Cicero : «Hoic spatio ductum simili latus exstat ntrumque. At non tertia pars lateris ». Quod dixit *simili* pro æquali, excnsat prisca consuetudo. Sed illud excussri uon potest, quod tertiam partem laterum dixit pro tertio latere. Qui saoe non est Ciceronis, sed librarii error. Legendum enim : *At non tertia par lateris*. Intelligit enim lineam; vid. Avienus, Arat. 527, huj. op. t. V, p. 560.

361. *Ex simili dictum*. Cicero : «Simili quis forma liters claret ». — *Cepheusque et Cassiepea*. Magna labes, msgnusqne hiatus post honc versum erat, versibus 18 seqq. post v. 432 male translatis. Quæ enim hæc continuabant, importnoe inter astra Notia tam absurdo sensu, qnam alieno loco, collocata eraot. Non igitur mirum, si aliqoando in hoc auctore unus versicnlus in tertium locum transmotus est, quod noo raro accidit, quum tot versus, et quidem de re, de qus nemo dubitare potest, tam looge distracti erant. *Castiepea*, sic scribendum, nt Græci, et codex Gemblacensis, qui nunquam aliter habet. Pingr. habet *Cassiepia*. Vide autem notats hnj. op. tom. IV, p. 489. Ed.

362. *In pœnas signata suas*. Astronomi enim eam imagioantnr panais brachiis sese miserantem. Cf. Arat. 195. Et ex eo Avienus, Phæn. 457, «inque humeros vix Tenditur angustos : nstæ fera fata retundunt ». Ed. Vel potius ob ejus obscuritatem, nt tamqoam atrata lugere videstur. Nam, inquit Aratus, plenilunio obscuratur : quod mioimas stellas habeat similes capitulo clavis intrantis in foramen seræ. Avien. Phæn. 454 : «tenuis rubet ignis et ægræ Lux hebes est matri : vix qualem Caris qoondam noverat intrsotem per claustra tenacia clavem »; et vide Arat. v. 192.

363. *Piscis. Pristis* volt Gronov. Obs. I, 18. *Piscis* enim alii sideri nomen est. Ed.

364. *Expositam ponto deflet*. Vid. Aratus, v. 196, et Manilius, II, 28 : «Persea, et Andromedæ pœnas, matremqoe dolentem». Hunc versom proscribit Bent. et refingit : «juxtaque relicta Andromede vastos metust jam, etc. »

365. *Ni veterem* conjecit Scal. et Voss. clare habet. — Huetius malebat *ut*, quod tanto ingenio indignnm sit B. Gembl. et Lips. *in*. Si tamen pooes *ni*, priors mendosa videbnntur. Vide enim orationis seriem. Deflet mater filiam metuentem Piscis hiatus : ni Persens servet amorem. Atqui si nunc metuit, frustra infertor *ni*; qood est prohibentis metoere. Unde B. velit legere : *juxtaque relicta Andromede vastos metuat jam Pristis hiatus Ni veterem*, etc. versum autem 364 nt interpolatum rejicere. Scilicet ni

Auxilioque juvet, fugiendaque Gorgonis ora
Sustineat spoliumque sibi, testemque videnti.
Tum vicina ferens nixo vestigia Tauro
Heniochus, studio mundumque et nomen adeptus,
Quem primum curru volitantem Jupiter alto
Quadrijugis conspexit equis, cæloque sacravit.
Tum subeunt Hædi claudentes sidere pontum,
Nobilis et mundi nutrito rege Capella:
Cujus ab uberibus magnum ille adscendit Olympum,
Lacte fero crescens ad fulmina, vimque tonandi.
Hanc ergo æternis merito sacravit in astris
Jupiter, et cæli cælum mercede rependit.
Pleiades Hyadesque, feri pars utraque Tauri
In Boream scandunt. Hæc sunt aquilonia signa.
Aspice nunc infra Solis surgentia cursus,

Perseus adsit, prisco amore devinctus, illa metuat Cetum, ut olim in terris. Probabilis sane, sed audax emendatio. Ed.

367. *Spoliumque sibi testemque videnti.* Spolium sc. Gorgonis. *Sustineat* dixit pro ostentet, opponat. Sic: « nec plura alias incendia Mundus Sustinuit », id est, ostendit. Veteres dicebant *obstinere*. Vide Festum. Livius, I: « Male sustinenti arma superne gladium jugulo defigit ». — *Spoliumque sibi.* Scal. interpretatur *sibi*, id est, ceto: et Græcismum esse dixit, sed non necesse est. *Sibi* est Perseo gloriosum. —*Testemque videnti.* Scal. interpretatur præsentem. Sed recte Huetius vidit scribendum *pestemque*. Ed.

368. *Tum vicina ferens nixo;* quod sane respondet ejus positura; nam in genua incumbit. Est autem desumptum hoc ex Arato, Phæn. 167, German. in Arat. Phæn. vs. 168: « at manus Hædos Ostendit, nantis inimicum sidus ». Hædi sunt in manu sinistra Aurigæ. Ed.

372. *Claudentes sidere pontum.* Vegetius: « Ex die tertio Iduum Novembris, usque in diem sextum Iduum Martiarum, maria clauduntur ».

378. *Pleiades, Hyadesque feri pars utraque Tauri.* Nam Hyades Tauri frontem efficiunt, Pleiades circumcæsuram, qua finitur Taurus. Est enim, ut et Equus, truncum sidus. *Hyades* ἀπὸ τοῦ ὕειν, Ovid. Fast. V: « Navita quas Hyadas Græcus ab imbre vocat ».

379. *Hæc sunt Aquilonia signa.* Divisionem quidem fecit non ratione Æquatoris, sed Zodiaci.

380. *Aspice nunc infra Solis.* Nunc de Austrinis signis dicturus est, quorum nomine intelligit quæ citra Tropicum Capricorni sunt.

Quæ super exustas labuntur sidera terras,
Quæque intra gelidum Capricorni sidus et axe
Imo subnixum vertuntur sidera mundum.
[Altera pars Orbis sub quîs jacet invia nobis,
Ignotæque hominum gentes, nec transita regna,
Commune ex uno lumen ducentia Sole,
Diversasque umbras, lævaque cadentia signa,

382. *Quæque infra gelidum*. Gelidus Capricornus non magis est, quam Cancer calidus. Sed dixit ex usu vulgi: quod Sole id signum obtinente tunc nobis bruma conficitur. Sic II, 252: « Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in astris ».

383. *Vertuntur sidera mundum*. Sic Gemblac. solus; cæteri *lumina* melius.

384. *Altera pars orbis*. Scaliger. hunc et novem sequentes versus contra codicum auctoritatem transtulit alio loco post v. 446 infr. quia hos versus non de Austrinis signis intelligendos putat, sed de iis terræ tractibus, ad quos nemo unquam nostrum penetravit, et in quibus non pauciora signa oriri conjicit, quam in nostris. Hoc enim putat significare illa: « Nec minor est illis Mundus, nec lumine pejor ». Et hoc satis declarare putat de ignotis eum stellis agere: quæ nunquam scilicet in conspectum nostrum veniunt. Sed nihil necesse est. Voluit nempe Manilius mundum Austrinum non pejorem nostro esse nec magnitudine, nec lumine; non magnitudine, quia in rotundis inferiora et superiora æqualia sunt: non lumine, quia habet Orionem, Caniculam, Argo, Centaurum, aliaque signa nostris, i. e. Septemtrionalibus non cadentia. Itaque B. et Pingr. sequutus hos versus in suam sedem reduxi. Ed. — *Sub quis*. Scal. edidit *sub aquis*, et interpretatur sub Horizonte. Sed manifeste hoc mendosum. Possuntne dici gentes sub aquis vivere, quæ in seqq. versibus cælum et siderum ortus obitusque spectant. Codices Gembl. Lips. Voss. et Ven. habent *quis*, quos sequemur. Ed.

385. *Nec transita regna*. Plus est, inquit Sc. quam quod dicit v. 435, *Orbe peregrino*, id est, qui peregrinus est, sed tamen aditur. Neque tamen idem est, ad tractus aliquos non posse penetrare, et sidera quæ illis tractibus superveniunt in conspectum nostrum non posse venire. Scilicet nemo borealium, non dico ultra Notia signa, sed ultra Tropicum Cancri, ex Nostri sententia penetraverat. Ed.

387. *Diversasque umbras*. Dextri enim illis ortus, sinistra umbra: nobis sinistri ortus, dextra umbra. At qui sunt inter utrumque Tropicum, illis est utrimque umbra, ut quos imaginatur Lucanus, III: « Extremum vobis Arabes venistis in orbem, Umbras mirati nemorum non ire sinistras ». Quare mirantur apud nos umbras non ire sinistras, quum et dextræ sint illis aliquando, ut nobis? Sed immerito hunc Lucani locum vexat Scal.

Et dextros ortus cælo spectantia verso.
Nec minor est illis mundus, nec lumine pejor,
Nec numerosa minus nascuntur sidera in Orbe.
Cætera non cedunt : uno vincuntur in astro
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi
Cæsar nunc terris, post Cælo maximus auctor.]
  Cernere vicinum Geminis licet Oriona
In magnam cæli tendentem brachia partem,
Nec minus extento surgentem ad sidera passu :
Singula fulgentes humeros cui lumina signant,
Et tribus obliquis demissus ducitur ensis.
At caput Orion excelso immensus Olympo

390. *Nec numerosa minus*. Nec panciora habent sidera, quam nos in hemisphærio boreali. Errat Scal. dicens nullas stellas primæ magnitudinis ultra Tropicum Capricorni, quem redarguit merito Huet. Ed. — *In orbe*. B. et Pingr. dant *in orbem*.

392. *Sidus nostro quod contigit*. Adludit ad præsentes honores divinos, quos Romani vivo Augusto habuerunt. Horatius : « Præsenti tibi matnros largimur honores ». Et nota est ara tam Lugdunensis, quam Narbonensis : « Jurandasque tnnm per nomen ponimns aras »; et qnidem quot mensibus res divina fiebat : « quotannis Bis senos cui nostra dies altaria fumant ».

394. *Cernere vicinum*. Est principium Australinm signorum. Sphæram enim, quod et Ptolemæus, et ante eum Hipparchus fecerat, in tria diyidit : in Zodiacum, in partem Aquilonarem, et in Austrinam. Progreditnr secundum longitudinem ac latitudinem. Longitudo est ab Oriente ad Occidentem. Latitudo ab Ecliptica ad Aquilonem, et ab eadem ad Austrnm. Snb Zodiaco suut XII Signa, et septem errones. Sub Septemtrione Aquilonia signa, quæ jam explicata sunt. Sub Austro, quæ jam explicabnntur, uno nomine Notia dicta, nt illa altera Borea ; quæ jam exegit. Tractaturns de signis Australibus recte ab Orione incipit. In signis enim Aquiloniis ab Ursa initium fecit, a qua, ad Orionem recta linea est. Est ergn Orion e regione Ursæ. Msnilius : « Arctns et Orion adversis frontibus ibant ». Et Aratus statim incipit ab Orinne. Manilius autem Arati procemium Notiorum signorum pæne ad verbum vertit.

395. *In magnam Cæli*. Nam utrumque hemisphærium obsidens secundum longitudinem obtinet partes XVII : secundum latitudinem partes XXX. Propterea Nost. V : « Orion magni pars maxima Cæli ».

399. *Excelso immensus Olympo*. Immensns, qnod sit magni pars maxima Cæli : nisi (quod non dubito) *immersus* legendnm sit : quod capnt ejns longe subductnm sit. *Immersus* quoqne B.

Per tria subductos signatur lumina vultus :
Non quod clara minus, sed quod magis alta recedant.
Hoc duce per totum decurrunt sidera mundum.
  Subsequitur rapido contenta Canicula cursu,
Qua nullum terris violentius advenit astrum,
* Nec gravius cedit, nec horrens frigore surgit.
* Nec vacuum Solis fulgentem deserit orbem.
* Sic in utrumque movet mundum, et contraria reddit.
Hanc qui surgentem, primo quum redditur ortu,

400. *Per tria subductos.* Sic Scal. B. *subducto* retinet, minus bene. Habet enim claras in capite stellas tres, et quidem unam reliquis duabus clariorem, ut vult Hyginus ex veteribus asterismis, ex quibus hæc quoque hausit Manilius. Sed Ptolemæus obscura tantum collocat in capite. Valde enim Ptolemæi asterismi ab antiquis differunt. *Subductos* bene quia fingitur cælum respiciens, tergo nobis obverso. Nam cæli descriptiones referunt formas cælestes ad nos conversas. Neque aliter Hipparchus censet.

402. *Hoc duce.* Ab hoc enim principium Australium signorum; vide not. 367 sup.—Pro *totum* B. *notum.*

405. *Nec gravius cedit, nec horrens frigore surgit.* Gemblacensis : « nec horrida frigore sævit ». *Sævit* Huet. probat et explicat : Nullum astrum gravius discedit propter frigora. — *Nec horrens.* Vulgo, *non horrens.* Sed aspiratio est pro consonante.

406. *Nec vacuum Solis,* h. e. sine Sole Canicula numquam oritur eo tempore. Aratus : Κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα. Mens Manilii ad verbum : Subsequitur Canicula, qua nullum astrum gravius est, sive occidat, sive oriatur. Sic diverse adficit mundum, frigore occidens, et calore oriens. Neque unquam sine Sole oritur, aut occidit. Hæc plenius, ut mihi videtur, Huet. explicat : Solem vi vacuum Cani non deserit. Nam sive oriatur Sol, sive occidat, Canis ejus auget efficientiam, vel minuit.

407. *Sic in utrumque movet mundum.* Sententia postulante, recte hic versiculus huc trajectus est. Igitur Canicula in contraria movet mundum, quod exorientem maximi calores, Occidentem pruinæ gelidæ ac frugibus metuendæ excipiunt. Auctor Columella libro undecimo. Quæ omnia diserte explicat Plinius libro decimo septimo : « Rudis fuit priscorum vita, etc. » ubi plene enarrat Manilium. Universi autem hunc versum post sequentes habent. Hos et præcedentem plane proscribit B. et cum illo Pingr.

408. *Hanc qui surgentem.* Ait observari ortum Caniculæ a Cilicibus, et incolis Tauri : ut ex eo quantus frugum proventus futurus sit, augurentur : item et quæ valetudo, et alia id genus. Quod et omnino tangit Germanicus de ipsa Canicula loquens, ut videatur consulto Ma-

Montis ab excelso speculantur vertice Tauri,
Eventus frugum varios, et tempora dicunt,
Quæque valetudo veniat, concordia quanta.
Bella facit, pacemque refert, varieque revertens
Sic movet, ut vidit, mundum, vultuque gubernat.
Magna fides hoc posse, color cursusque micantis
In radios : vix Sole minor, nisi quod procul hærens

nilium nostrum interpretari : « nullo gaudet majusve minusve Agricola, et sidus primo speculatur ab ortu. Sic in utrumque oritur, sic occidit in freta sidus ». Et hoc est, quod scribit Plinius : « non minorem ei astro venerationem esse, quam descriptis in Deos stellis». Igitur Germanicus scribit nullo minus aut magis sidere gaudere agricolam, quod in utrumque vehemens sit, occasu et ortu. Quemadmodum Manilius dixit : « Sic in utrumque movet mundum » : sic eodem epiphonemate usus est Germanicus, quod supra : «Sic in utrumque oritur, sic occidit in freta sidus ».

409. *Montis ab excelso.* In gratiam Arati dictum, qui Cilix fuit. Itaque quum Cilices astrorum observatores inducit, favet Arato Cilici. Sic Avien. Phæn. v. 64 : « Quæ rursum ingenio numerisque Solensibus idem Jupiter efferri melius dedit, incola Tauri Musa ut Cecropios raperetur, et Aonas agros ». Incolam Tauri Musam Arateam nominat. Sic idem Avienus, Phæn. 455, Cariam clavem dixit favens memoriæ Endoxi Cnidii. Nam Cnidus Cariæ accensebatur; vide supra. Nam hæc de Cassiepea quamvis ab Arato acceperit, non Eudoxo, tamen meminerat Aratum ab Eudoxo accepisse ex libro, cui titulum auctor fecerat ἔνοπτρον. Nam φαινόμενα Arati nihil aliud sunt, quam aut φαινόμενα, aut ἔνοπτρον Eudoxi : quod et docuit nos Hipparchus. Itaque quum Aratea verteret Avienus, tamen omnia pæne adtribuit Eudoxo, ut quum ait : « Sic astrum dici Cnidius dedit », quæ diligenter notanda sunt. — *Vertice Tauri.* Quod favens Arato Manilius Cilicibus adtribuit, hoc Cicero de Ceis prodit primo de Divinatione : « Ut enim Ceos accepimus ortum Caniculæ diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclites, an pestilens annus futurus sit, etc. » Quæ omnia ad mentem Manilii.

410. *Eventus.* B. *Proventus*, et pro *dicunt*, *discunt.* Ed.

412. *Varieque revertens Sic movet.* In utramque partem ortu et occasu suo vehemens sidus esse, jam dictum a nobis. Arati interpretes Theo et M. Tullius aliter Aratum interpretantur, ac Manilius, qui pæne ad verbum Aratea reddidit : et in verbis Arati non Κεῖνον, illum, sed Κεινὸν, vacuum, manifesto videtur legisse : quia nondum Græca apicibus et accentibus notata erant, ut sunt hodie.

414. *Cursusque micantis In radios : vix Sole minor.* Vix, inquit Soli ipsi claritate cedat, nisi quod remotiores quasdam stellas habet : hoc est enim τὸ, *nisi quod procul hærens.*

Frigida cæruleo coutorquet lumina vultu.
Cætera vincuntur specie, nec clarius astrum
Tingitur Oceano, cælumve revisit ab undis.
Tum Procyon, veloxque Lepus, tum nobilis Argo,
In cælum subducta mari quod prima cucurrit,
Emeritum magnis mundum tenet acta procellis;
Servando Dea facta Deos : cui proximus Anguis
Squammea dispositis imitatur lumina flammis.
Et Phœbo sacer Ales, et una gratus Iaccho
Crater, et duplici Centaurus imagine fulget,
Pars hominis tergo pectus commissus equino.
Ipsius hinc mundi templum est, victrixque solutis

Remotiorem enim sedem habere ait, ut supra eodem modo de Orione : « Non quod clara minus, sed quod magis alta recedant ». Obscuritatem adsignat intervallo, ex vulgari opinione, quæ neque molis, neque luminis rationem habebat. Sed poetis quædam concedenda, neque omnia ad unguem exigenda. De Caniculæ ortu quæ erudite disputat Geminus, digna sunt, quæ a lectore consulantur. Ibi enim diserte concluditur, non Caniculam esse æstuum caussam, sed signum et argumentum, quo utuntur homines, nempe tunc calores vehementes cieri, quum illud sidus cum Sole oritur, non autem propterea quod cum Sole oritur. — *Micantis radios.* Aiunt cerni meridie in speculo, aqua in pelvi radiis Solis opposita. Multos Rusticos novimus, qui meridie sine speculo viderunt. Est autem stellarum fulgentissima, in ore Canis, seu maxilla posita, quæ proprie σείριος dicitur.

416. *Frigida cæruleo.* Mutuatur ab Arato, qui κυάνεον, cæruleum locum stellis vacantem vocat. Cicero quidem interpretatur de nocte et vespere, melius autem Avienus. Inde obscura sidera *frigida lumina* vocat, quod exiguis flammis prædita sunt : ut alibi per frigidum lumen Solis Solem occidentem intelligit. Sed Manilium fugit ratio, qui in vultu stellas obscuras constituit, quas Aratus in ventre. Neque enim Canis sideribus carens os potest habere, aut vultum obscurum, in cujus rostro, sive maxilla, illa fulgentissima est.

421. *Emeritum magnis mundum tenet acta periclis.* Ita Gemblacensis. Scal. edid. *procellis.* Mundum autem more suo, id est, Cælum : neque aliter potest intelligi. Sic Vitruvius libro IX, cap. VII : « de mundi circa terram pervolitantia ». B. habet *Emerita et magnis tandem defuncta periclis.*

423. *Lumina squammea* mendosum videtur. B. bene conjecit *tergora*, quod et sententia poscit. Ed.

427. *Ipsius hinc mundi. Mundi* more suo, id est, Cæli. Quis dubi-

Ara nitet sacris, vastos quum terra Gigantas
Arma importantes, et rupta matre creatos,
Discordes vultu, permixtaque corpora, partus
In cælum furibunda tulit: tum Dî quoque magnos
Quæsivere Deos: dubitavit Jupiter ipse,
Quod poterat non posse timens; quum surgere terram
Cerneret, et verti naturam crederet omnem,
Montibus atque aliis aggestos crescere montes,
Et tam vicinos fugientia sidera colles.
Hostiferum necdum sibi quemquam numina norant,
Si qua forent majora suis: tunc Jupiter Aræ

tat illam aram dici Aram Cæli? Avienus: « spectabilis exit Ara poli ».

428. *Ara*. Quidam dicunt Turibulum, ut Germanicus et Ausonius. Interpres Germanici Pharon. Altar apud Prudentium legitur, et glossæ adtestantur. Templum vocat, quod vota apud Aram solverunt Dii.—*Vastos quum Terra Gigantas*. Videatur Theo ad Arat. Phæn. et Scholiastes Germanici. In his duos ritus observamus: alter est, qui apud Romanos invaluit, Aram tangere. Alter, vas, quod ad firmanda fœdera in conviviis adhiberi solebat, is est Batillus Latinis. Helenius Acro: « Vatillum, deminutivum a vase, est vas parvum, in quo pro felici hospitum adventu, incensis odoribus Jovi hospitali sacra fiebant ».

429. *Arma importantes*. Hos versus loco alieno trajectos, huc bene reduxit Pingr. Apud Scaliger. post v. 429 veniunt. Ed.

431. *Tum Dî quoque magnos*. Elegantissime: Dii invocarunt Deos. Diis alii Dii opus fuerunt. Vota enim solverunt ad ipsum Turibulum. — B. sententia continuata mavult *quum Dî;* sed vulgata lectio est *tumidi*. Ed.

432. *Quæsivere Deos*. Invocarunt. In fine hujus libri *et in ponto quæsitus rector Olympi*, invocatus. *Quæso Deos* apud Comicos. Lucretius: « Non Divum pacem votis adit, et prece quæsit Ventorum pavidus paces, animasque secundas ».

436. Pro hoc B. habet: « Et jam vicinas fugientia sidera moles »; offendit quippe colles post montes, a majore ad minus deveniens. Virg. Æn. I, 65: « Hoc metuens molemque et montes insuper altos ». Ed.

437. *Hostiferum necdum*. Vox *Hostiferum* non caret mendo. Gemblacensis habet: *Nec dum hostiferum*; unde B. non male conjecit *Necdum hostile sibi quidquam, nec numina norat*, scil. Jupiter nondum suarum virium periculum fecerat, nihil adhuc hostile sibi habens; nescivit denique annon alia forent numina suis potentiora. Apud Virgil. Æn. VII, 310: « Quod si mea numina non sunt Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est ». Ed.

Sidera constituit, quæ nunc quoque maxima fulgent.
Quam propter Cetus convolvens squammea terga
Orbibus insurgit tortis, et fluctuat alvo,
Intentans morsum, similis jamjamque tenenti,
Qualis ad expositæ fatum Cepheidos undis
Expulit adveniens ultra sua litora pontum.
Tum Notius piscis venti de nomine dictus
Exsurgit de parte Noti, cui juncta feruntur
Flexa per ingentes stellarum flumina gyros.
Alterius capitis conjungit Aquarius undas
Amnis, et in medium coeunt, et sidera miscent.

439. B. *maxima fulget;* Ara scilicet, non *sidera*, quæ in Ara sunt quintæ et quartæ magnitudinis. Ed.

440. *Quam propter*. Reprehendit Manilium Scal. quod Aram et Cetum, magno spatio disjuncta sidera, in unum conjungere videtur.

443. Pro *undis* B. olim et *expositæ* absolute capit, quod ægre admittam. Ed.

445. *Venti de nomine dictus*. Piscium, quod est ultimum Signum in Zodiaco, alter dicitur Notius, ad differentiam sui gemini, qui βόρειος adpellatur. Boreo tamen caput hirundinum adfingunt Chaldæi, unde Chelidonius dictus. Sed ego puto ab eo, quod quum Sol est in extremo Pisce, hirundo incipit videri in Græcia, quæ veri præludit. Sed hic quoque ad distinctionem gemelli Notii cognominatur Solitarius. Hyginus : « Fusio aquæ pervenit ad eum Piscem, qui Solitarius figuratur », hoc est, ὁ μονάζων μορφούμενος, et, quod dixit Aratus, οἶος ἀπὸ προτέρων. Dictus etiam fuit magnus; vid. Theo ad Arat. v. 387. Scholiastes Germanici : « Piscis Magnus, cujus nepotes dicuntur Pisces ».

446. *Cui juncta*. Notius enim Piscis, quem alio nomine Piscem Capricorni dicunt, flumen Aquarii deglutire dicitur, h. e. ab eo effusam aquam. Alia est a fusione aquæ stellarum fusio apud Vitruvium libro IX, cap. VII : « Arieti et Piscibus Cetus est subjectus : a cujus crista ordinate utrisque piscibus disposita est tenuis fusio stellarum, quæ Græce vocatur ἁρπεδόνη, quæ Hesychio est stellarum obscurorum agmen ». Hanc autem Plinius Piscium commissuram vocat. — B. legit *qua fusa*. Ed.

448. *Ulterius capiti conjungit Aquarius undas*. Sic dant omnes ed. excepto Gemblacens. quem sequutus Scal. dat *alterius capiti* et *capitis* emendat. — B. servat *Ulterius capiti*, et explicat magis versus Austrum. Ed.

449. *Amnis*, etc. Fusionem aquæ vocat Amnem, cujus alterum caput junctum est notio Pisci, alterum Aquario. At longe hinc est alter Amnis, Eridanus, vel potius fluvius Orionis. Eridanum autem et Rhodanum confundebant vetustissimi illi, ut Italiam et Galliam. Hanc cata-

His, inter Solisque vias, Arctosque latentes,
Axem quæ mundi stridentem pondere torquent,
Orbe peregrino cælum depingitur astris,
Quæ Notia antiqui dixerunt sidera vates.
Ultima, quæ mundo semper volvuntur in imo,
Queis innexa manent cæli fulgentia signa
Nusquam in conspectum redeuntia cardine verso,
Sublimis speciem mundi, similesque figuras
Astrorum referunt, et versas frontibus Arctos.
* Uno distingui medias, claudique Dracone
* Credimus exemplo : quia vis fulgentia visus

chresin invenies apud Apollonium Rhodium. Quin etiam Rhodanum apud inferos collocat Homerus.

453. *Quæ Notia antiqui dixerunt sidera vates.* Atqui nihil tale præferunt : immo de polo antarctico loquitur. Paullo antea dixerat, non pauciora numerant sidera intra tropicum ac polum suum, quam nos intra tropicum nostrum et polum boreum : quod quidem ex analogia argumentatur, comparatione scilic. inferiorum cum istis superioribus.

454. *Ultima*, etc. Hæc mirum in modum antea perturbata erant; nam cum anterioribus conjungebantur. En. — *Ultima*, id est, sidera, quæ ultra circulum antarcticum absconduntur. — *Queis innexa manent cæli fulgentia signa*, id est, stellæ polares antarcticæ, quæ innexæ manent, et immobiles sunt, ut hæc nostra polaris.—*Signa* quidem cum Scal. et Gembl. sed alii habent *templa*, et melius : nam sidera fulgentia non possunt innecti iis, qui nobis non fulgent. Hinc corrigendum *innixa*, scilicet templa cæli, cælum, innituntur polo antarctico. Lucret. V, 492 : «altaque cæli Densebant procul a terris fulgentia templa».

457. *Sublimis speciem mundi.* Olim legebatur *sublimem*, male. Optime Gembl. *sublimis*, quamquam corrupte *specie* pro *speciem* habeat. Illa infera referunt speciem sublimis hujus nostri hemisphærii. Eadem est ratio. Sed experientia in illas partes navigantium aliter docet.

458. *Astrorum referunt, et versas frontibus Arctos.* Quamvis, inquit, Arctos, quæ in altero polo sunt, non videmus, tamen eas nostratibus similes esse ratio et analogia vincit. Quod tamen falsum est. Nam Septemtriones nulli sunt in altero polo, nulla major Ursa, nulla minor, nullus Draco : neque ullas alias stellas lucidas habet is polus, præter quatuor in quadrum æquilatus dispositas; quæ vicem plaustri nostri esse possint. Earum una est tertiæ magnitudinis : reliquæ tres secundæ. Id nos docuit ex iis, quæ in literas retulit Americus Vesputius, vir immortali gloria dignus. Multos vidimus, et videmus fere quotidie, qui oculati testes fuere. Id vocant Crucem.

* Hunc orbem cæli vertentis sidera cursu
* Cardine tam simili fultum, quam vertice fingit.
Has igitur magno divisas æthere sedes
Signa tenent, mundi totum deducta per orbem.
Tu modo corporeis similes ne quære figuras,
Omnia ut æquali fulgentia membra colore
Deficiat nihil, aut vacuum quid lumine cesset.
Non poterit mundus subferre incendia tanta,
Omnia si plenis ardebunt sidera membris.
Quidquid subduxit flammis natura, pepercit
Succubitura oneri, formas distinguere tantum
Contenta, et stellis ostendere sidera certis.
Linea designat species, atque ignibus ignes

461. *Hunc orbem.* Quia, inquit, vis visus, id est, ὀπτικὴ ex analogia eadem fingit. Id est, quia ex visis, non visa censemus. Exemplo colligimus id cælum, quod vertit sidera, quæ in conspectum nostrum non veniunt, tam simili cardine fultum esse, quam vertice. Polum Antarcticum non videmus; sed in absoluto globo ratio in altera parte analoga colligit, quod in una. Sed melius videtur legere *quamvis fugientia visus. Hinc orbem pingunt.* Et hæc de factitiis globis accipienda.

464. B. *diducta.*

465. *Tu modo corporeis.* Formas astrorum corpora vocat Hyginus: Geminus ζώδια, etiam Lyram, Argo, Sagittam. Aristoteles σώματα; ut Hyginus. Noli, inquit, corpora absoluta in sideribus quærere, quamvis corpora dicuntur. Non enim omnia designata sunt; sed, ut facilius comprehenderentur, quædam stellæ adpositæ sunt.

466. Male Scal. *omniaque æquali fulgentia.* At nos cum B. bene *ut* dedimus; et interpretatio facillima.

468. *Non poterit mundus.* Idem argumentum, lib. V: « Ipse suas Æther flammas sufferre nequiret, Totus et accenso mundus flagraret Olympo ». Vid. Aristoteles Meteoris, cui convenit cum Manilio, non credendum spatia omnia igne plena esse: in altero non item, corpora esse ignea.

470. *Et stellis ostendere sidera certis.* Comprehensio siderum, quum scilicet a globo stellarum, aut alia quapiam astrothesia notatur forma; videatur Aratus, Phæn. ubi Manilium interpretatur. Ex his autem Manilianis intelligere licet, quid differat sidus a stellis. Nam sidus stellis constat, stellæ sunt singularia corpora.

473. *Linea designat species* B. Linea tantum ab igne, ad ignem, i. e. a stella, ad stellam, designat ipsas species, sive formationes. Scaligeri judicio melius *Ignea species*, id est, ignis tantum, non etiam intervalla.

Respondent, media extremis, atque ultima summis
Redduntur: satis est, si se non omnia celant:
  Præcipue, medio quum Luna implebitur orbe,
Certa nitent mundo: cum Luna conditur omne
Stellarum vulgus: fugiunt sine nomine signa.
Plura licet vacuo tum cernere sidera cælo;
Nec fallunt numero, nec parvis mixta feruntur.
Et, quo clara magis possis cognoscere signa,
Non varios obitus norunt, variosque recursus,
Certa sed in proprias oriuntur sidera luces,
Natalesque suos, occasumque ordine servant.
  Nec quidquam in tanta magis est mirabile mole,
Quam ratio, et certis quod legibus omnia parent.
Nusquam turba nocet, nihil ullis partibus errat

quæ vacua sunt. *Ignea species*, fulgor. Supra: *Cætera vincuntur specie*, id est, fulgore. Nihil tamen mutare multo præstat.

476. *Præcipue, medio.* Semilunio non absconduntur, at plenilunio obscurantur. Hoc est, quod dicit, v. seq. « cum Luna conditur omne Stellarum vulgus ».

477. *Certa nitent mundo.* Certa vocat sidera in stellis comprehensa, quæ sunt primæ aut secundæ magnitudinis. Nam postea illis opponit eas, quas vulgus vocat, ut et in fine lib. V, id est, quæ sunt sine nomine, vel potius minori specie.

478. *Fugiunt sine nomine signa.* Sine nomine dixit, ut Hipparchus ἀκατονομάστους ἀστέρας, quos Ptolemæus ἀμορφώτους, ἀνωνύμους Aratus. Ptolemæus, Hipparchus, et ante eos Chrysippus numerum stellarum et rationem putarunt. Sed Hipparchus et Ptolemæus numero MXXII, Chrysippus MLVIII esse dixit. Plinius, II, 42: « Patrocinatur vastitas cæli immensa, discreta altitudine, in duo atque LXX signa ». Legendum: *vastitas cæli, immensa altitudine, discreta in duo de L signa*, i. e. in duodequinquaginta. Tot enim sunt μορφώσεις ab Hipparcho, Eudoxo, et aliis designatæ. B. legit *sine nomine turba;* et sic P.

479. *Plura licet vacuo tum cernere* Sic Gembl. quamquam eum Scal. dixerit habere *credere;* unde scribebat *cedere*, scilicet plenilunio cedit omne vulgus, et vacuum cælum destituit. *Licet* autem ἀρχαϊκῶς *liquet*. Sed B. *cernere* et *plura* mutat in *pura*.

480. *Nec fallunt numero.* Certus enim earum numerus a Chrysippo et Hipparcho collectus, ut jam diximus.

483. *Certa sed in proprias.* Statas vices servant, ut quotannis possis eas eodem ordine observare. Ad verbum ex Arato, Phæn.

Laxius et levius, mutatove ordine fertur.
Quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?
Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
Qua pateat mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum; nec Forte coisse magistra,
Ut voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inque illa resolvit:
E quîs et maria, et terras, et sidera cæli,
Ætheraque immensos fabricantem finibus orbes,
Solventemque alios constare; et cuncta reverti
In sua principia, et rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum sine numine moles
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere mundum?
Si Fors ista dedit nobis, Fors ipsa gubernet.

488. *Laxius et levius.* B. *laxius aut brevius*, non male.

490. *Ac mihi.* Elegans Parecbasis. Mundum Providentia, non Forte gubernari. Quin et Aristoteles ipse disputat, nihil fortuitum esse in iis, quæ perpetua et æterna sunt. Cælum autem æternum ponit ipse. Ergo nihil fortuitum in Cælo. Porro, Fors sive Casus neque nbique, neque in omnibus. At astrornm ad circulos proportio, et æquabilitas ubique, et in omnibus. Igitur astrorum ad circulos æquabilitas neque Forte, neque Casu. Rursus: Quæ ubique et in omnibus, ea secundum naturam sunt. Qnæ secundum naturam, ea neque forte, neque temere. Si astrorum ad circulos proportio nbique, et in omnibus, non igitur temere, aut forte. Quæ disputatio nihil aliud loquitur, quam id, quod proponit Manilins. Hæc etiam eodem modo persequitur Firmicus, et eadem argumenta, quibus nititur Manilius, ipse quoque ad probabilitatem adsumit.

492. *Nec Forte coisse magistra.* Ut Epicurus voluit, et vid. Lucret. II, 1150. Quod Tertulliano vertitur *passivitas*.

493. *Qui primus.* Primus sane hoc scivit Democritus, quem sequutus Epicurus.

495. *E quîs.* Ex quibus atomis. — *Si sors ista dedit.* Imperiti librarii semper *Sors* pro *Fors* scribebant, ut apud Horat. *Seu Sors, seu Ratio.* Nam *Fors* scribendum erat: hoc est, sive motu cæco, sive provido. Alterum est Epicuri, alterum Chrysippi. At recte Gemblacensis hic semper habet *Fors*, ubi vulgati *Sors*. Sed locus ita concipiendus: « Si Fors ista dedit nobis, Fors ipsa gubernet: At cur dispositis vicibus, etc. » Argumenta jam ex Aristotele proposuimus. Si temerario omnia, at quomodo illa ordine? Atqui ordine. Ergo non temerario. Nam con-

At cur dispositis vicibus consurgere signa,
Et velut imperio præscriptos reddere cursus
Cernimus, ac nullis properantibus ulla relinqui?
Cur eadem æstivas exornant sidera noctes
Semper, et hibernas eadem? certamque figuram
Quisque dies reddit mundo, certamque relinquit?
  Jam tum, quum Graiæ verterunt Pergama gentes,
Arctos et Orion adversis frontibus ibant;
Hæc contenta suos in vertice flectere gyros,
Ille ex diverso vertentem surgere contra
Obvius, et toto semper decurrere mundo.
Temporaque obscuræ noctis deprendere signis
Jam poterant, cælumque suas distinxerat horas.
  Quot post excidium Trojæ sunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties Fortuna per orbem
Servitium, imperiumque tulit, varieque revertit?
Trojanos cineres in quantum oblita refovit
Imperium? Fatis Asiæ jam Græcia pressa est.

traria omnino sunt temeritas et analogia. Ergo et contraria Fors et Providentia.

502. *At cur dispositis vicibus.* Signa dispositis vicibus redeuntia uno verbo Aratus παλίνορα.

509. *Arctos et Orion adversis.* Orion enim e directo Ursæ majoris. Hom. Iliad. XVIII, 487: Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν· Ἥτ' αὐτοῦ στρέφεται, καί τ' ὠρίωνα δοκεύει.

512. *Et toto semper decurrere mundo.* Nam ut supra notamus, Orion utriusque hemisphærii magnas partes occupat. B. tentat *Notio*, et rationem recte procedere adfirmat. Ut Arctos olim et hodie in Boreali mundo, ita Orion in Notio. Neutrum sidus e loco suo abscessit. Hoc certe minus elegans Scal. sensu. ED.

513. *Temporaque obscuræ noctis deprendere signis.* Troicis temporibus, inquit, jam tum norant homines vigilias noctis signis cælestibus deprendere: quod primus bello Trojano instituit Palamedes. Sane jam tum nomina noctis signis notare solitos Veteres, testis Euripides Iphigenia in Aulide, quem locum citavimus in proœmio supra, et ad quem adludit Manilius. Sed et quomodo signis horæ noctis notandæ sint, aut deprendendæ, docet Aratus, Phænom. — *Deprendere signis.* Hoc Ausonius vocat deprendere, σταθμήσασθαι, saltem si vera hæc lectio est.

519. *Imperium*, scilicet *Romanum*. Sic Virg. Æn. VI, v. 481, de Paullo Æmilio.

Sæcula dinumerare piget, quotiesque recurrens
Lustrarit mundum vario sol igneus orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata.
Nec se cognoscunt terræ vertentibus annis:
Exsutæ variant faciem per sæcula gentes.
At manet incolumis mundus, suaque omnia servat,
Quæ nec longa dies auget, minuitque senectus.
Nec motus puncto currit, cursusque fatigat.
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.

523. *Nec se cognoscunt terræ.* Mirum, quod jam de quondam florentissimis urbibus prodit Servius Sulpitius, Megara, Corintho, quas suo tempore prostratas, et verius *cadavera urbium*, quam urbes fuis e. Habes elegans epigramma de Athenis, huj. op. t. IV, p. 534. Ed. — Sane adeo a veteri splendore mutarant, ut opus habuerint instauratore Adriano: quod notamus in lib. V de Emend. Temp. Sed quid miremur hæc eo tempore, quum Ovidius Pythagoram ita declamantem inducat, Met. XV: « OEdipodioniæ quid sunt, nisi nomina, Thebæ? Quid Pandioniæ restant, nisi nomen, Athenæ? » Sulla Athenas eo redegerat, ut comparatione illarum veterum cadaver urbis, non urbs, viderentur: at aliarum comparatione etiam florentium, Divorum domus dici possent. Sed Ovidium non possum absolvere, qui ex persona Pythagoræ, quo tempore florentissimæ erant, eas penitus corruisse dicat. Idem de Thebis dicas, quæ tempore quidem Ovidii nullæ erant jam ab Alexandro solo æquatæ, sed quarum tamen nunquam major splendor fuerit, quam sæculo Pythagoræ. Ludit hoc argumento in scholiastico libro de Pallio Tertullianus: ubi de locis, quæ se amplius non cognoscunt, ut loquitur Manilius: « Rursus orbis alius idem: mutat et nunc localiter habitus, quum situs læditur: quum inter insulas nulla jam Delos, arenæ Samos, ut Sibylla non mendax ».

524. *Exsutæ variant.* Fay. habet *exsutas*, ita ut ad se referatur, et interpungit, non male, opinor; nam omnes codices *exsutas* habent. Ed. — Versum hunc proscribit Bentleius.

527. *Nec motus puncto currit.* Gemblacensis, *Nec motus ponto curvat*, quod est ineptum. B. hunc versum ablegandum a textu censet. — Hujusmodi interpolationes, inquit, quæ pro Manilianis se ostentant, hanc censuram a Scaligero extorserunt, quod non posset Manilius manum tollere de tabula, et nunquam sciret desinere: falso dictum, si emuncta nare scimus a genuinis spuria discernere. Ed.

528. *Idem semper erit.* Non videtur Manilii. Tolerabilis tamen. Est vero argumentum a necessitate: idem Mundus semper visus est, idem Sol, eadem Luna. Quod quidem non esset, si temere regeretur, ut vult Epicurus.

Non alium videre patres, aliumve nepotes
Adspicient. Deus est, qui non mutatur in ævo.
Numquam transversas Solem decurrere ad Arctos,
Nec mutare vias, et in ortum vertere cursus,
Auroramque novis nascentem ostendere terris:
Nec Lunam certos excedere luminis orbes,
Sed servare modum, quo crescat, quove recedat;
Nec cadere in terram pendentia sidera cælo,
Sed dimensa suis consumere tempora signis;
Non casus opus est, magni sed numinis ordo.
* Hæc igitur texunt æquali sidera tractu
* Ignibus in varias Cælum laqueantia formas.
* Altius his nihil est: hæc sunt fastigia mundi.
* Publica naturæ domus his contenta tenetur
* Finibus, amplectens pontum terrasque jacentes.
* Omuia concordi tractu veniuntque, caduntque,
* Qua semel incubuit cælum, versumque resurgit.
Ipse autem quantum convexo mundus Olympo

536. *Nec cadere in terram.* Post hunc versiculum perge ad illos novem, quorum primus: « Sed dimeosa suis coosnmere tempora signis ». Persequitur eoim ἀποδείξεις suas, oon posse fieri, ot casui καὶ εἰκαιότητι adsignetur illa æquabilis temporum dispeusatio.

538. *Non opus est magni casus.* Magnum Casum dixit, ut supra Fortem Magistram, ex Epicureorum scilicet persona, qoi decernunt Fortunam ac Casum omoia regere: in quorum ore crebrum est, τύραννος τύχη, et Comicum illod: πάντων τύραννος ἡ Τύχη 'στὶ τῶν θεῶν. Igitur postquam ostendit certam ac immotabilem astrorum ac Muodi æquabilitatem, tandem id, quod volebat, concludit, nullum casum Mundo adsignandum, sed Providentiam esse et cælestem Ratiooem, quæ ipsum guberoet. — *Non casus opus est.* Vulgata lectio aote Scal. *non opus est magni casus*, quæ ex mente Epicureorum, ut osteodimus, quorum Deus erat motos cæcus. Hæc vero est Maoilii, cui Deus Provideotia. Et quidem magis placet: præsertim quum accedat codicis scripti aoctoritas.

539. *Hæc igitur texunt.* Ovid. in Phæoomenis: « Tot uumero talique Deus simulacra figura Imposuit cælo, perque altas sparsa tenebras Clara pruinosæ jussit dare lumina terræ ».

546. *Ipse autem quantum.* Posteaquam qoale esset τὸ πᾶν osteodit, nunc quanto extendator spatio docet, ac formæ dimeosionem subjungit.

Obtineat spatium, quantis bis sena ferantur
Finibus astra, docet ratio; cui nulla resistunt
Claustra, nec immensæ moles, ceduntque recessus;
Omnia succumbunt, ipsum est penetrabile Cælum.
Nam quantum a terris, atque æquore signa recedunt,
Tantum bina patent: quantumque inciditur orbis
Per medium, pars efficitur tum tertia gyri,
Exiguo dirimens solidam discrimine summam.
Summum igitur cælum bis bina resurgit ab imo,
Altera bissenis ut sit pars tertia signis.
Sed quia per medium est tellus suspensa profundum,
Binis a summo signis discedit, et imo.
Hoc igitur, quodcumque supra te suspicis ipse,
Qua per inane meant oculi, quaque ire recusant,

551. *Nam quantum a terris.* Ad verbum ex Arato, Phænom. — *Nam quantum a terris.* Hexagona est figura, qualis apum cellulis. Mundus est pila, Terra centrum: ac nos quidem, qui in ea sumus, centri vicem obtinemus. Necesse igitur rectas lineas ab oculo nostro in cælum jactas, æquales esse omnes. Quanta erit linea in cælum ab oculis ducta, tantas debemus sex lineas per totum circuli ambitum imaginari: quæ si æquidistantes adsumantur, illo spatio duo complectentur Zodiaci dodecatemoria. Sic conficient ἑξάγωνον σχῆμα. Nam latus hexagoni est æquale semidiametro. Quæ quidem vera sunt, sed neque docent quæ sit vera terræ a signis cælestibus distantia, aut quantum ipsa signa spatium teneant. Neque erat cur tantopere Manilius humanam rationem laudaret.

552. *Quantumque inciditur orbis.* Quanta est dimetiens orbis, ter tanta ad eam est peripheria. — *Quantumque... tum.* Laborat constructio. Vetusti codices et B. habent *quacumque*, melius. Quacumque circulus per centrum inciditur, diametros fit, tertia pars peripheriæ, sed *exiguo*, ut vates ait, *discrimine*. Ed.

554. *Exiguo dirimens.* Hoc est, una septima plus. Hæc ratio est 7 : 22. Plinius Histor. Natural. «Quantas dimetiens habet septimas, tantas circulus habet duo et vicesimas». Sed exactius 1 : 3,1415926, ut demonstrant ultimæ supputationes. Ed.

555. *Summum igitur cælum bis bina.* Orbis circumquaque a centro submovetur binis signis. Ergo linea a peripheria, ad peripheriam per centrum ducta, quia ad illam dupla est, dupla quoque signa habebit, hoc est, bis bina, ut dicit. Igitur a summo cælo ad imum signa sunt quatuor.

556. *Astra, e bissenis* B. Scal. dedit *altera*, et explicat, Altera tertia,

Binis æquandum est signis : sex tanta rotundæ
Efficiunt orbem Zonæ; qua signa feruntur
Bis sex, æquali spatio texentia Cælum.
Nec mirere vagos partus eadem esse per astra,
Et mixtum ingenti generis discrimine fatum,
Singula quum tantum teneant, tantoque ferantur
Tempore sex tota surgentia sidera luce.
Restat, ut æthereos fines tibi reddere coner,

id est, duæ tertiæ. Apud Livium, altero et vicesimo anno, id est, vicesimo secundo. Virgil. Ecl. VIII, 49 : « Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus », id est, tertius decimus. Apud jurisconsultum : « Alter semissis inter duos fratres dividitur », id est, duo semisses. Tota diametrus est una tertia peripheriæ. Accedat altera tertia, id est, duæ tertiæ, nimirum octo, fieri bis sena signa. Sed bene vidit B. primam vocem cum præcedenti versu conjungendam, et legendum *astra*, i. e. signa. Tum putat Scal. hos versus alio ordine constituendos : « Summum igitur cælum bis bina resurgit ab imo. Sed quia per medium est tellus suspensa profundum : Binis a summo signis discedit et imo, Altera bissenis ut sit pars tertia signis ». Et sic explicat : A summo cælo ad imum sunt quatuor signa, hoc est, quanta est dimetiens orbis. Sed quia, inquit, tantum est hinc ad summum cælum, quantum hinc ad imum, propterea hinc ad summum bina signa, et ad imum totidem erunt. Tamen quia vulgaris lectio potest defendi, noluimus eam mutare : neque mutandam censemus.

561. *Sex tanta rotundæ*. Et ita habet Gemblacensis. Ad verbum Aratea interpretatur, Phænom. et complectitur elegans et eruditus Arati paraphrastes Avienus, Phæn. 1037 sqq. qui locus luculenta Manilii interpretatio est. Nam quod Manilius dixit : « sex tanta rotundæ Efficiunt orbem Zonæ », Avienus dixit oram Signiferi tot sex partium esse, quot partium est obtutus hinc ad summum cælum.

562. *Efficiunt orbem Zonæ*. Zonæ, τοῦ Ζωδιακοῦ.

564. *Nec mirere*. Familiaris clausula Manilio Epilogi vicem obtinens, ut I, 857, 902, et II, 201 : « Nec mirere moras, quum Sol æstiva per astra, etc. » Item, vs. 423 : « Nec mirere in ea pugnantia sidera parte ». Item, 950, et II, 577 : « Nec sit mirandum, si fœdus non datur astris ».

567. B. *Tempore, vix toto... mense*. Quia singula ex duodecim signis unum mensem consumunt, clarius quidem quoad sensum. Ed.

568. *Restat, ut æthereos fines*. Exemplo Arati post Phænomena ad circulorum Sphæræ descriptionem adgreditur ; quamquam Aratus ante dimensionem mundi circulos describit. Contra Manilius hanc, ante circulorum descriptionem posuit. Hoc vero arbitrarium : neque hujus regula ab auctore exigenda. Melius

Filaque dispositis vicibus comitantia Cælum,
Per quæ dirigitur signorum flammeus ordo.
Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton,
Sexque fugit solidas a cæli vertice partes.
Alter ad extremi decurrens sidera Cancri,
In quo consummat Phœbus lucemque, moramque,
Tardaque per longos circumfert lumina flexus,
Æstivum medio nomen sibi sumit ab æstu,
Temporis et titulo potitur : metamque volantis
Solis, et extremos designat fervidus actus,
Et quinque in partes Aquilonis distat ab orbe.

meo judicio Manilius. — *Æthereos fines. Fines* circulos. Infra, I, 594: « signantes tempora fines ». Et id quoque exemplo Arati, qui σήματα vocat. Et in Parmenidis versibus σήματα potius circuli videntur, quam astra ipsa. Sic Hyginus circulos bis vocat significationes.

569. *Filaque dispositis vicibus.* Dispositas vices, ut supra : « At cur dispositis vicibus consurgere signa ».

570. *Per quæ dirigitur.* Tres tantum circuli sunt, per quos dirigitur signorum ordo, duo Tropici et Æquinoctialis. Nam duo reliqui, Arcticus et Antarcticus, non nisi in Sphæra dati climatis locum habent. At illi tres in usum Sphæræ ad quamvis inclinationem instituti sunt. Ideo Aratus eorum tantum rationem habet, Pbæn. — *Per quæ dirigitur.* Ab hoc versiculo perge ad ipsorum circulorum descriptionem. Scalig. hunc locum ita restituit, et sequuti sunt omnes, eo tamen non nominato. Hæc autem primo post descriptionem signorum sine ulla præfatione occurrebant.

571. Videatur Excursus quem ad calcem hujus libri rejecimus. Ed.

574. *Consummat.* Ante Scal. *consumit;* sed animadvertit promiscuum usum apud hunc auctorem esse verb. consumendi et consummandi.

576. *Æstivum.* Si non est mendum, dixit æstivum nomen, ut Horatius flumen Metaurum, Stertinium acumen. Fortasse *Æstivi medio.* Sic paullo infra vs. 587 : « Proximus hunc ultra brumalis nomine tangens ».

577. *Temporis et titulo potitur.* Tropicus enim a tempore illo dicitur, in quo τροπὴ, id est, reversio Solis fit. Metaph[illegible] a curulibus agonibus. Nam flexura metæ etiam τροπὴ dicta. Quin et Manilius persistit in metaphora, quum metam Solis dicit, et actum. Omnia enim verba Circensia. Atque adeo e medio Circo est *Fervidus.* Hor. Carm. I, 1 : « Metaque fervidis Evitata rotis ».

579. *Et quinque in partes.* Quadrans xv partium, de quibus sex sunt a Polo ad Arcticum : ab eo ad Tropicum quinque, a Tropico ad Æquinoctialem quatuor. Quæ sexies multiplicatæ fient a Polo ad

Tertius in media mundi regione locatus
Ingenti spira totum præcingit Olympum,
Parte ab utraque videns axem, quo limine Phœbus
Componit paribus numeris noctemque diemque,
Veris et Autumni currens per tempora mixta,
Quum medium æquali distinguit limite cælum:
Quatuor et gradibus sua fila reducit ab æstu.
Proximus hunc ultra brumalis nomine tangens
Ultima designat fugientis limina Solis,
Invidaque obliqua radiorum munera flamma
Dat per iter minimum nobis: sed finibus illis,
Quos superincubuit, longa stant tempora luce;

Arcticum XXXVI; hinc ad Tropicum XXX, a Tropico ad Æquinóctialem XXIV.

581. *Ingenti spira.* Nam circuli illi nihil aliud, quam spiræ, quarum maxima, quæ mediam sphæram cingit, ut minima, quæ verticibus propior.

582. *Quo limine.* B. et P. *culmine.* Huet. *limite*, ut infra v. 578. Ut adpareat lubricam esse commutationem horum duorum inter se.

586. *Quatuor et gradibus.* De XV partibus, in quas sectus est circulus, Arcticus aufert VI, Tropicus V; ergo reliquæ sunt quatuor, quæ sexies ductæ fient XXIV. Tanta erat tunc ab æquinoctiali Solis maxima declinatio, quæ quidem hodie deprehenditur minor grad. 23. 30′. Gradus autem vocat, quas antea partes, et Græci μοίρας. Vulgus vero gradus vocat ab Arabibus, qui sic quas Ptolemæus μοίρας, semper vertunt.

587. *Proximus hunc ultra brumalis nomine tangens.* Scal. olim *cingens* pro circulo, et in prima edit. *circes.* Veteres enim *circens* pro *circes*, *totiens*, *quotiens*, et *thensaurus* pro *thesaurus* scribebant. Et satis notum Circitem pro circulo a Sidonio usurpatum. De quo consulendus Festus. Sic Gemblacensis habebat *tangens*, non *cingens*. Quod retinemus. Sic infra de Galaxia: « Inde per obliquum descendens tangit olorem ». Græci in eo significatu dicunt ἐφάπτεσθαι. Sic etiam loquutus est Hyginus: « Ara propter Antarcticum circulum tangens inter Hostiæ caput, et Scorpionis caudam extremam collocatur ». Ita bis apud Manilium, et hic apud Hyginum *tangere* absolute positum. B. emendat *gaudens*, male, ut opinor.

588. *Fugientis limina Solis.* Limina, fines, metas; ut supra: « quo limine Phœbus », hoc est, quo fini: et idem error erat, qui hic lumine pro limine. Jurisconsulti quoque in etymo Postliminii, limen finem esse dicunt.

589. *Invidaque*, hoc est, parca, maligna. Quia enim oblique mini-

Vixque dies transit candentem extenta per æstum;
Bisque jacet binis submotus partibus orbis.
Unus ab his superest extremo proximus axi
Circulus, austrinas qui stringit et obsidet Arctos.
Hic quoque brumalem per partes quinque relinquit:
Et quantum a nostro sublimis cardine gyrus
Distat, ab adverso tantumdem proximus illi.
Sic tibi per binas vertex a vertice partes
Divisus, duplici summa circumdat Olympum,
Et per quinque notat signantes tempora fines.
His eadem est via, quæ mundo; pariterque rotantur
Inclines, sociosque ortus occasibus æquant:
Quandoquidem secti, qua totus volvitur orbis,
Fila trahunt alti cursum comitantia cæli;
Intervalla pari servantes limite semper,
Divisosque semel fines, sortemque dicatam.
Sunt duo, quos recipit ductos a vertice vertex,

strat lumen, propterea lucem videtur nobis invidere.

593. *Bisque jacet binis.* Quatuor gradibus, vel XXIV; totidem nempe quot æstivus illi e regione positus.

599. *Sic tibi*, etc. B. corrigere vult: *Sic per tricenas*, etc. et putat Olympum *notari* per quinque fines, sive circulos parallelos. Eudoxus, astronomorum dux, circulum in sexaginta partes dividebat. Ed.

600. *Divisus duplici summa.* A polo ad æquinoctialem XV partes; ab eo ad polum Antarcticum totidem. Hæc est, quam vocat duplicem summam; ut binas partes duo hemisphæria, quæ ab æquinoctiali secantur.

603. *Inclines.* Ita enim parallelos circulos definiebat, sive describebat Posidonius. Propterea ἀπλανεῖς dicuntur Arato, Phæn. — *Quandoquidem texto.* Sic supra, 563: « Bis sex æquali spatio texentia cælum ».

604. *Secti, qua.* Sic B. Scal. *texto, quo*, contra codd. nullo sensu. Ed.

605. *Cursum comitantia cæli.* Vulgatæ *circum.* Circum etiam dixit Cicero de Galaxia: « Vidisti magnum candentem serpere circum », i. e. circulum. Sed non dixit circum cæli. Gemblacensis *cursum*, non *circum*, quod retinendum. — *Cursum comitantia cæli.* Eamdem enim cum cælo conversionem habent. Sic supra, 569: « Filaque dispositis vicibus comitantia cælum ». — *Intervalla pari.* Ita quasi aliud agens circulorum parallelorum rationem exponit.

608. *Sunt duo.* Magni circuli CLXXX per polos mundi ducti æquinoctialem in partes æquales, Zodiacum autem inæqualiter secant.

Inter se adversi, qui cunctos ante relatos,
Seque secant, gemino coeuntes cardine mundi;
Transversoque polo rectum ducuntur in axem,
Tempora signantes anni, cælumque per astra
Quatuor in partes divisum mensibus æquis.
Alter ab excelso decurrens limes Olympo
Serpentis caudam siccas et dividit Arctos,
Et juga Chelarum medio volitantia gyro:

Forum duorum qui se ad rectos angulos secantes puncta tropica et æquinoctialia tangunt, præcipuus usus est in Sphæra, ad quatuor anni tempora designanda. Quia vero puncta illa quatuor mobilis sunt, mobiles quoque sunt illi circuli. Coluros Græci vocarunt, id est, mutilos, non utique quod re ipsa mutili sint; eorum enim posteriora tantum conduntur: sed quia ea parte, qua nobis inutiles sunt, quasi muti.. censentur. Alioqui posteriora illorum utilia sunt iis, qui ultra Capricornum habitant, ut quæ nobis utilia sunt, ea illis mutila. Quare si Veteres eam partem tectam propterea damnarunt, quod ejus nullus est citra Capricornum usus: cur non eodem jure et circulum Antarcticum damnarunt? cur non et Meridianum quoque κόλουρον vocarunt? Nam etiam τὰ ἐπίποδα ejus κέκρυπται. Quia igitur non solum CLXXX, sed longe plures circuli per polos mundi duci possunt, illi duo tantum Coluri dicuntur, qui quatuor puncta cardinalia tangunt: quæ gradum unum promoventur in anteriora intra annos plus minus septuaginta. A conditu rerum ex veris epilogismis nostris (tempore quo scribebat Scal. id est, anno mundi 1547) facta est illorum punctorum promotio localis quidem graduum 77, temporalis vero dierum unius et quadraginta.

614. *Alter ab excelso.* Colurus æquinoctialis.

615. *Serpentis caudam, siccas et dividit Arctos.* Nullus Colurus potest simul serpentis caudam secare et ambas Arctos. Reliqua satis bene habent.

616. Ibi duos versus in descriptione circulorum omisit Scaliger. *Circulus a summo nascentem vertice Mundum Permeat, Arctophylaca petens per terga Draconis*, cujus omissionis sic rationem reddit: Quis Circulus? Jam enim dixerat: «Alter ab excelso decurrens limes Olympo». Sed quid est nascens mundus? Quid est *Arctophylaca petens?* Adeo imperitus modulorum Manilius, ut penultimam in Arctophylaca produxerit? Quis hujus erroris tantum scriptorem insimulare audeat? Deinde negamus circulum per Hydram et medium Centaurum incedentem potuisse Arctophylacem et Draconem permeare. Uno verbo et quidem vere dicimus, qui hos duos versus huc infersit, neque poetam fuisse, neque Græce scivisse, neque asterismorum situs novisse, neque mentem Manilii adsequutum fuisse.

Extremamque secans Hydram, mediumque sub austris
Centaurum, adversum concurrit rursus in axem,
Et redit in Cetum, squammosaque tergora Ceti,
Lanigerique notat fines, clarumque Trigonum,
Andromedæque sinus imos, fastigia matris,
Principiumque suum repetito cardine claudit.

Alter in hunc medium summumque incumbit in axem;
Perque pedes primos cervicem transit et Ursæ,
Quam septem stellæ primam, jam Sole remoto,
Producunt, nigræ præbentem lumina nocti.
Et Geminis Cancrum dirimit, stringitque flagrantem
Ore Canem, clavumque Ratis, quæ vicerat æquor.
Inde axem occultum per gyri signa prioris
Transversa; atque illo rursus de limite tangit
Te, Capricorne, tuisque Aquilam designat ab astris.
Perque Lyram inversam currens, spirasque Draconis,

617. *Medium sub Austris.* Centaurus Australis distinguitur a Sagittario solo nomine Centauri: quamquam uterque Centaurus est. Sed iste est Chiron, alter Crotus. Columella: « tergoque Croti festinat equino »; vide Hyginum.

618. *Adversum concurrit rursus in axem.* Adversus axis Antarclicus. Quod autem Colurum hunc cum Finitore eumdem esse dicit Bonincontrius, partim excusamus propter perturbationem versuum loco suo luxatorum, partim damnamus, quod astrologo indignum putare de horizonte ullo hæc posse dici. B. corrigit *adverso ab axe.* Ed.

621. *Fastigia matris.* B. ex Lips. *vestigia*, non male; quia non per caput Cassiepeæ transit, sed per pedes.

625. *Quam septem stellæ primam.* Ad verbum interpretatur Aratea. Prima enim occurrit in horizonte. Scholiastes Germanici: « Altera namque Helice est, quæ adparet prima noctis ».

627. *Et Geminis Cancrum dirimit.* Nunc discedit ab Eudoxo suo, et merito, quum vult solstitia fieri inter finem Geminorum et initium Cancri, nimirum in momento rationali. At Eudoxus, ut alibi dicemus, in mediis Cancro et Capricorno τὰς τροπὰς fieri dicit in descriptione horum circulorum. At Manilius et a se quoque discedit, qui hic brumam in principio Capricorni fieri dicit: alibi autem dicit Solem brumam conficere, quando *Fulget in octava Capricorni parte biformis.*

629. *Inde axem occultum.* Inde in polum Antarcticum conveniens secat ad rectos angulos sphærales alterum gyrum, Colurum æquinoctialem.

Posteriora pedum Cynosuræ proterit astra,
Transversamque secat vicino cardine caudam.
Hic iterum coit ipse sibi, memor unde profectus.
Atque hæc æternam fixerunt tempora sedem,
Immotis per signa modis statione perenni.
Hos volucres fecere duos: namque alter ab ipsa
Consurgens Helice, medium præcidit Olympum,
Discernitque diem, sextamque examinat horam,
Et paribus spatiis occasus cernit et ortus.
Hic mutat per signa vices; nam seu quis Eoos,
Seu petit Hesperios, supra se circinat orbem
Verticibus superadstantem, mediumque secantem
Cælum, et diviso signantem culmine mundum,

633. *Proterit.* Horat. IV, 7, 9: *ver proterit æstas;* et sic Virgilius, Æn. V, 325: « calcemque terit jam calce Diores ». Sed Gemblacensis habet *perterit,* et B. vult *præterit.* Quæ autem hic dicta sunt de finitionibus Colurorum, falsa sunt maximam partem: quæ confutare, tanti esse non duximus. Sic Scal. sed audiendus Pingræus, qui monet lectorem ut se referat ad statum cæli tempore Eudoxi, et Cnidi, ubi scribebat. Tunc quidem hæc si non vera absolute, tamen ad verum proxima adparebunt. Ed.

636. *Atque hæc æternam.* Gemblacensis codex huic capiti præferebat titulum, DE ANABIBAZONTE ET HORIZONTE; sed Scal. de Meridiano et Horizonte acturus est: Ego nunquam memini legere, Meridianum circulum Anabibazontem vocatum esse: quamvis recte potest dici anabibazon, in quo altissimum est punctum Solis in habitatione nostra: ut Lunæ nodus ἀναβιβάζων dicitur. — *Fixerunt tempora sedem.* Tempora vocat Circulos parallelos et Coluros, quia per eos anni signantur tempora. Sed falsum est, quod dicit, reliquos circulos, de quibus loquutus est, immobiles esse, quum Arctici neque uni sint, neque immobiles, ut ex Veterum sententia demonstravit Scal. in Excursu ad lib. I, v. 564. — B. reponit *æterna ... sede* ex cod. Ven. Ed.

638. *Hos volucres.* Nove dixit: id est, mobiles et mutabiles. — *Namque alter ab ipsa.* Meridianus, verius ab ipso polo proficiscitur, et inde per Zenith ductus, æquatorem et arcus astrorum diurnos ad angulos rectos persecat. Ed.

642. *Hic mutat per signa vices.* Scal. *mutans... seu si quis*, hoc est, seu quis hominum versus ortum, seu quis versus occasum progreditur, circinat supra caput suum circulum meridianum.

645. *Diviso signantem culmine mundum.* Nempe cælum in duas partes, quum secat æqualiter cursum Solis, dividit.

Cumque loco terræ cælumque ac tempora mutat.
Quando aliis aliud medium est, volat hora per orbem :
Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis,
Illis sexta manet, quos tum premit aureus orbis.

646. *Cumque loco.* Hic, inquit, cum situ mutatur, quandoquidem aliud aliis medium diei est, neque idem et unum.

647. *Volat hora per orbem.* Eunti per longitudinem semper fit alius Meridianus, inquit Geminus, et post illum ejus compilator Proclus. Ita infiniti erunt Meridiani. Sed quia quod per minimum iter fit, id sensu percipi non potest, convenit inter Mathematicos, ut gradus unius esset illa via, quæ Meridianorum rationi intelligendum comprehendere possit. Sed illud inter eos nondum convenit quanto stadiasmo terrestri illud spatium respondere possit. Eratosthenes DCC stadiis finit. Ptolemæus D. Geminus, et totidem verbis Proclus CCC. Sed si Horizon, ut ipsi volunt, mutatur in CCCC, totidem stadiis mutatio esse debebat in Meridiano. Horizontis enim et Meridiani reciproca est ratio. Ambos enim hos maximos circulos conjunxit merito, quia alter sine altero esse non potest. Omnis Horizon Meridianum suum ad rectos angulos secat. Poli omnis horizontis sunt puncta Orientis et Occidentis. Poli mundi sunt poli omnium meridianorum. Ita omnis horizon per puncta ortus et occasus transit, ut omnis meridianus per polos mundi. Qui per polos mundi et verticem nostrum transit, is est meridianus noster. Qui illum ad rectos angulos secat, et tangit punctum finitionis oculi, is est horizon, etc. Ita reciproci sunt. — Inverso ordine hi versus feruntur in scriptis universis. Recte immutavit Scaliger, quem sequutus est B. non enim *hora mutat tempora*, quæ ipsa temporum pars est : sed homo qui ortum vel occasum petit. B. pro *ac* habet *et*. Ed.

648. *Atque ubi se primis.* Sex horæ sunt quadrans diei integri, ut nonaginta gradus sunt quadrans circuli. Qui igitur uno quadrante circuli orientaliores sunt, quam nos, illis Solem sex horis citius, quam nobis oriri dicit Manilius. Contra qui nobis quadrante uno occidentaliores sunt, serius illis occidet Sol, quam nobis, nempe post sex horas confectas. A Molucis igitur insulis, ad insulam Christianorum Habassenorum Zucotoram, quadrans circuli est : ut ab eadem Zocotora, ad Canarias insulas, alter quadrans. Molucensibus igitur Sol sex horis maturius orietur, quam Zucotorinis. Eodem modo, quando Zucotorinis orietur Sol, quia permensus est quadrantem diei 24 hor. Molucensibus meridiem conficiet. Et quum Zucotoræ verticem stringet Sol, tum Canariis orietur, Molucensibus occidet. — *Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis.* Esto Zucotorinis oriri Solem.

649. *Illis sexta manet.* Molucensibus. Nam tum illis erit Meridies, quia tunc illos premet aureus orbis, quia Meridianum eorum premet aurea Solis rota.

Rursus ad Hesperios sexta est, ubi cedit in umbras:
Nos primam ac summam sextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen sentimus ab igne.
Alterius fines si vis cognoscere gyri,
Circumfer faciles oculos, vultumque per orbem.
Quidquid erit cælique imum, terræque supremum,
Qua coit ipse sibi nullo discrimine mundus,
Redditque, aut recipit fulgentia sidera ponto,
Præcingit tenui transversum limite mundum.
Hæc quoque per totum volitabit linea cælum,
* Nunc tantum ad medium vergens, mediumque repente
* Orbem, nunc septem ad stellas, nunc mota sub astra.

651. *Nos primam et summam.* Nos, qui in Canariis sumus, eamdem horam primam diei numeramus, quam illi sextam. Primam et summam dixit, quia summa hora noctis, id est, duodecima confecta incipit prima diei.

652. *Et gelidum extremo.* Lumen gelidum Solis orientis dicit poetice, quia tunc minus eum sentimus, quam quum in punctum meridiei adscendit.

653. *Alterius fines ... cognoscere gyri.* Scaliger scribebat *finis ... gyros*, et intelligebat finem pro circulo, ut supra, 601. Sed Gembl. habet *gyri.*

654. *Circumfer faciles oculos.* Nam Horizon nihil aliud, quam confinia visus.

655. *Quidquid erit cælique imum, terræque supremum.* Nam imum cælum et altissima terræ coire videntur in finitione illius circuli.

657. *Redditque aut recipit. Reddit* orientia, *recipit ponto* occidentia. Ac nescio, an pro *fulgentia* legendum *fugientia.*

658. *Præcingit tenui.* Præcingit mundum, qui æqualiter secat universam mundi sphæram, duoque hemisphæria, alterum supra, alterum infra terram efficit.

659. *Hæc quoque per totum volitabit linea.* Lineam circulum vocat: volitare ait, quia omnes horizontes mobiles.

660. *Medium mediumque* dixit prisca elegantia, ut candidior candidiorque.

661. *Nunc septem ad stellas.* Septemtriones. — *Nunc mota sub astra.* Reliqua astra vocat mota, hoc est, mobilia: quia oriuntur et occidunt, ad differentiam Septemtrionum qui semper conspicui sunt. Ea sunt quæ ab Arctico loco ad Æquinoctialem pergentibus, in conspectu sunt. Ergo secundum ea, quæ proponit, mutatio Horizontis a Septemtrione fiet ad Meridiem, quod verum est. Et quæ de sensili Meridiano dicta sunt, eadem de sensili Horizonte dicantur, necesse est; quia posuimus alterum sine altero esse non posse: item mutationem meridiani non percipi, nisi post iter CD stadiorum. Ergo totidem stadiorum

Sed quocumque vagæ tulerint vestigia plantæ
Has modo terrarum, nunc has gradientis in oras,
Semper erit novus, et terris mutabitur arcus.
Quippe aliud cælum ostendens, aliudque relinquens
Dimidium teget, et referet, varioque notabit
Fine et cum visu pariter sua fila movente.
Hic terrestris erit, quia terram amplectitur, orbis,
Et mundum plano præcingit limite gyrus,
Atque a fine trahens titulum, memoratur Horizon.
His adice obliquos adversaque fila trahentes
Inter se gyros, quorum fulgentia signa

Horizontis mutatio ponenda est; quamvis apud Geminum, et ejus compilatorem Proclum, trecentorum, non quadringentorum stadiorum ponatur.

662. *Sed quocumque*. B. quia præcedentes duos versus proscribit, corrigit *Nam quacumque*. Ed.

666. *Dimidium tegit*. Scalig. *teget*. Libri omnes *tegit* et *refert*. Ductus orationis, et futurum *notabit* suadent legere, ut dedimus. B. legit *tegit* et *profert*. Sed minus a vulgato recedit *teget* et *profert*. Sententia est dimidium tegit, dimidium ostendit. Vid. not. 658. — Tangit definitionem Horizontis. Horizon est circulus dafiniens adparentem et conditam mundi partem.

667. *Fine, et cum visu*. Scaliger hic sine caussa receptam lectionem mutavit, et dedit: « Fini cum... moventem ». Sed melior nostra lectio, quam libri vetusti habent: scilicet, notabit cælum fine vario et movente sua fila pariter cum mente hominis. Multo difficilius cum Scal. intelligas hominem *moventem*, aut quid sint sua hominis *fila*. Ed.

668. *Hic terrestris erit*. Quasi reliqui omnes sint cælestes. Sed cur terrestris potius, quam cælestis, si tam extremum cæli, quam terræ præcingit? — Scaliger et Huet. non recte rationem reddere conantur. Certe Horizon Astronomis est circulus sphæræ cælestis, non terrestris; tantumque a terra abest, quantum supra nos meridianus. Ed. — Hos autem versus adulterinos censet B. Certe *terram* et *mundum*, *orbis* et *gyrus*, odiose redundant. Ed.

669. *Et mundum plano*. *Plano*, depresso. Atque omnino Horizon est circulus jacens, ut illi Meridianus est circulus stans.

670. *Atque a fine trahens titulum, memoratur Horizon*. Ὁρίζων enim est finitor.

671. *His adice obliquos*. Altero *i* extrito dicebant *adicio*. Sic *reicio*: Virgil. Eclog. III, vs. 96: « reice capellas ». Inde *reicinium* dictum vult Varro. In Apotelesm. « adice et civilia bella ». — *Obliquos*. Nam uterque obliquus, Zodiacus et Lacteus. Non poterat hæc egregia emendatio sine optimo codice præstari. — *Adversa*. Apud Scal. *di-*

Alter habet, per quæ Phœbus moderatur habenas,
Subsequiturque suo Solem vaga Delia curru,
Et quinque adverso luctantia sidera mundo
Exercent varias naturæ lege choreas.
Hunc tenet a summo Cancer, Capricornus ab imo:
Bis recipit, lucem qui circulus æquat et umbras,
Lanigeri et Libræ signo sua fila secantem.
Sic per tres gyros inflexus ducitur orbis,
Rectaque devexo fallit vestigia clivo;
Nec visus aciemque fugit, tantumque notari
Mente potest, sicut cernuntur mente priores:
Sed nitet ingenti stellatus Balteus orbe,
Insignemque facit cælato lumine mundum,
Et ter vicenas partes patet atque trecentas

versa, sed libri vetusti habent *adversa inter se*. Sic infra v. 689: « alter in adversum positus ». Ed.

673. *Alter habet.* Zodiacus, quem primo loco describit. Zodiacus ac Galaxias hoc habent commune, quod non intellectu fingendi, ut reliqui omnes sphæræ circuli, sed sensiles sunt. Uterque enim visu notatur. Propterea ambos uno capite complectitur. Habent et commune, quod, ut diximus, uterque obliquus est.

676. *Exercent varias naturæ lege choreas.* Varro de omnibus stellis id dixit: « Quum pictus aer fervidis late ignibus Cæli choreas astricas ostenderet »; et ipse Manilius lib. II, 118: « Signorumque choros, ac mundi flammea tecta ». Et vetus sphæra: primus choreas circuli ducit Aries, quamquam duas tantum stellas veteres magistri *saltatrices* vocarunt, nempe duas illas de tribus, quæ in cauda Cynosuræ circa polarem, quæ immobilis videtur esse, circumducuntur, in morem saltantium. Hyginus: « Sed in prioribus caudæ stellis una est infima, quæ Polus adpellatur, ut Eratosthenes dicit, per quem locum ipse mundus existimatur versari. Reliquæ autem duæ χορευταὶ dicuntur, quod circum polum verseutur ». Scholia Germanici: « Supra alias decem, quæ præcedunt, et dicuntur ludentes, et maxime altera, quæ vocatur polus ». Fortasse *ludiones*: id enim saltatrices. Sed nihil mutamus.

682. *Tantumque notari Mente potest.* Non est, inquit, intellectu fingendus, ut alii, sed sensibus capi potest: neque utique latitudinis expers, ut illi: « Sed nitet ingenti stellatus Balteus orbe ».

684. *Balteus orbe.* Zodiacum Arabes *Almantica*, seu *Nitac*, vocant. Utrumque Balteum, sive Zonam significat. Auctor Alcabicii: « Man-

In longum: bis sex latescit fascia partes,
Quæ cohibet vario labentia sidera cursu.
  Alter in adversum positus succedit ad Arctos,
Et paullum a Boreæ gyro sua fila reducit,

tica est circulus, qui latus est in medio, et in ligatura strictus, et habet significare circulum Zodiaci ». Quibus verbis designatur, ita describi solitum, ut pingitur a Manilio. Nam latæ fasciæ modo pingebatur, qua si quis præcingat se, a tergo quidem latam et explicatam habebit; ad umbilicum autem, ubi est nodus præcinctionis, strictam. Quis dubitat latam fasciam ibi stringi, ubi nodus fit? Judæi artis magistri vocant Zodiacum opus Phrygionarium, id est, limbum textilem.

687. *Bis sex latescit.* Tribus circulis parallelis Balteum Signiferi constare Veteres scribunt: quorum duo extremi latitudinem circuli definiunt: medius in duas æquales partes, quæ sunt senum graduum, baltei latitudinem dividit. Mechanici tænias vocant. Veteres illi latitudinem hujus circuli secundum planetarum inclinationes definiverunt. Quod si sequimur, non jam senum graduum, sed octonum partes illas duas describemus. Nam maxima Veneris inclinatio est fere partium VIII. Ita non bis sex, sed bis octo latescet fascia partes. Illustris Picus Mirandula, quum legeret Zodiaci fasciam in XII gradus patere, putavit necessarium esse, unum quodque signum XII graduum latitudinem habere: ita ut latitudinem Zodiaci pro signorum latitudine, non pro planetarum inclinationibus accipiat. Mendose. Nam quædam signa non in tantum patent, quædam etiam in longius: puta, Tauri pes extra Zodiacum procedit: et ex duobus Piscibus is, qui Australis est, multum extra Zodiacum declinat. Locus Mirandulani est libro septimo contra Astrologos. Ad rem. Zodiacus dupliciter accipitur, aut Solis, aut aliarum vagantium ratione. Solis quidem ratione dicitur Eclipticus, solaris circulus. Propter alios vagantes dicitur latus circulus, ut hic fascia. Et quanta erit vagantium maxima in utramque partem inclinatio, tantam ejus latitudinem esse videtur ponendum.

688. *Quæ cohibet vario labentia sidera cursu.* Ejus fines in latitudinem non egredi sidera, falsum jam demonstravimus. Nam signa quædam etiam extra sex gradus promota sunt, ut supra ostendimus: Venus autem etiam usque ad VIII evagatur. Sed πλατύτερον hæc accipienda sunt.

689. *Alter in adversum.* Via lactea, quæ quidem nullum in sphæra usum habet. Non enim circulus est, sed albens, et hinc illuc ductus trames, qui toto cælo circumfunditur. Arabes vocant suo idiomate viam lactis. Vulgo autem apud nos dicitur *chemin de Saint-Jacques.* Ed. — *Alter in adversum pontus.* Gembl. habet *positas*, plerique alii *positos*: unus recentior et ex eo B. *positus*. Hoc rectum videtur: Galaxias enim in adversum positus Zodiaco. Vid. supra vs. 671. Ed.

Transitque inversæ per sidera Cassiepeæ.
Inde per obliquum descendens, tangit Olorem;
Æstivosque secat fines, Aquilamque supinam,
Temporaque æquantem gyrum, zonamque ferentem
Solis equos, intra caudam, qua Scorpius ardet,
Extremamque Sagittari lævam, atque Sagittam.
Inde suos sinuat flexus per crura pedesque
Centauri alterius, rursusque adscendere cælum
Incipit; Argivamque ratem per aplustria summa,
Et medium mundi gyrum, Geminosque per ima
Signa secans, subit Heniochum, teque inde profectus,
Cassiepea, petens super ipsum Persea transit,
Orbemque ex illa cœptum concludit in illa:
Tresque secat medios gyros, et signa ferentem
Partibus e binis, quotiens præciditur ipse.
Nec quærendus erit: visus incurrit in ipsos
Sponte sua, seque ipse docet, cogitque notari.
Namque in cæruleo candens nitet orbita mundo,
Ceu missura diem subito, cælumque recludens.
Ac veluti virides discernit semita campos,

691. *Transitque inversæ.* Inversam Cassiepeam vocat ob ejns astrothesiam. Vid. Arat. Phænom. vs. 699. Marcus Tullins: « neque ex cælo depulsa decore Fertur. Nam verso contingens vertice primum Terras, post humeris, eversa sede refertur ». Hyginus: « Hæc occidens, Scorpione exoriente, capite cum sedili resupina ferri perspicitur ». Hunc gestum cadentium in pronum cernuationem et cernulationem Veteres dixisse, in Festum notavimus ex Varrone et Glossariis. Apul. Miles. IX, *cæruleus corruens;* ubi leg. *cernulus, corruens.* — Pro *Cassiepeæ* Bentl. scribit *Cassiepiæ.* Ed.

693. *Aquilamque supinam.* Hoc contra Asterismos, qui dorsum ejus nobis obversum pingunt, et Theonem, qui astrorum figuras vultibus in cælum, tergis in nos conversis describendas testatur.

698. *Centauri alterius.* Australis, qui et Chiron.

700. *Per ima,* et ita Gemblacensis. Intelligit autem pedes Geminorum.

705. *Quotiens præciditur ipse,* hoc est, æqualiter dividit et dividitur. Nam duo sunt magni circuli idem centrum cum sphæra habentes: intersecant igitur sese.

710. *Ac veluti virides.* Subintelli-

Quam terit assiduo renovans iter orbita tractu,
Inter divisas æquabilis est via partes :
Ut freta canescunt sulcum ducente carina,
Accipiuntque viam fluctus spumantibus undis,
Quam tortus verso movit de gurgite vortex,
Candidus in nigro lucet sic limes Olympo,
Cæruleum findens ingenti lumine mundum :
Utque suos arcus per nubila circinat Iris,
Sic superincumbit signato culmine limes
Candidus, et resupina facit mortalibus ora,
Dum nova per cæcam vibrantur lumina noctem,
Inquiruntque sacras humano pectore caussas:
Num se diductis conetur solvere moles
Segminibus, raraque labent compagine rimæ,
Admittantque novum laxato tegmine lumen.
Quid? quasi non timeant, magni quum vulnera cæli
Conspiciant, feriatque oculos injuria mundi.
An coeat mundus, duplicisque extrema cavernæ
Conveniant, cælique oras et sidera jungant,

gendum τὸ *quum*. Ut in Ætna, 290 : « Nam veluti resonante ». Vide quæ in illum locum adnotamus.

712. *Inter divisas æquabilis est via partes*. L. pro *divisas* dat *divisis*, unde Stœb. *In ter divisis*, vix hoc intelligendum. Antea *æqualibus*, quod mutavit Scaliger. — Hunc vs. ut spurium proscribit B. Ed.

715. *Quam tortus*. B. *qua*. Quid enim est *movere viam de gurgite?* Ed.

716. *Candidus in nigro*. Nigro, κυανέῳ.

717. *Cæruleum findens*. Cf. Arat. Phæn. B. habet *pingens*. Ed.

720. *Et resupina facit*. Suspicere facit homines. Eleganter. Ex admiratione resupinant homines vultus ad intuendum Galaxian. Accepit ab Arato, ubi de Galaxia in Phænom.

724. *Segminibus*, hoc est, hemisphæriis. In eos hæc dicuntur, qui putabant viam lacteam duorum hemisphæriorum junctura designari. — *Segminibus*. Contra dixit infra : « duplicisque extrema cavernæ Conveniant, cælique oras, et sidera jungant ». Nam ibi cæli oras, ut hic segmina. Si enim segmina, ergo oras habent.

726. *Quid? quasi*. Gronovius legit *Quid sibi*, quod sequitur B. non male.

729. *Cælique oras et sidera jungant*, quamquam τὸ *sidera* suspectum est. Nescio, an Manilius scripserit, *et fœdera jungant*. Nam quia *federa* scriptum erat sine

Perque ipsos fiat nexus manifesta cicatrix,
Fissuram faciens mundi, stipatus et orbis
Aeriam in nebulam clara compagine versus,
In cuneos alti cogat fundamina cæli.
An melius manet illa fides, per sæcula prisca
Illac Solis equos diversis cursibus isse,
Atque aliam trivisse viam; longumque per ævum
Exustas sedes, incoctaque sidera flammis,
Cæruleam verso speciem mutasse colore,
Infusumque loco cinerem, mundumque sepultum.
Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis,
Phæthontem patrio curru per signa volantem,
Dum nova miratur propius spectacula mundi,
Et puer in cælo ludit, curruque superbus
Luxuriat, nitido cupit et majora parente,
Monstratas liquisse vias, orbemque rigentem
Imposuisse polo, nec signa insueta tulisse
Errantes nutu flammas, currumque solutum
*Deflexum solito cursu, curvisque quadrigis.

diphthongo, inde ansa librario depravandi locum.

731. *Fissuram faciens*. B. reponit *Fusuram faciens : mundi stipatus*, etc. aliter distinguens. Fissuræ vocabulum ipsi sententiæ contrarium est. In hac enim non moles prius juncta conatur se diducere : sed prius disjuncta conatur coire. Tunc *Fusuram* explicat conflaturam, plumbaturam. Plin. XXXIV, 22 : « Ipse lapis ex quo fit æs, Cadmia vocatur, fusuris necessarius. Ed.

732. *Clara compagine versus*. Fortasse scripserit Manilius *compagine rursus*. Pro *clara* B. emendat *crassa*.

735. *Illac Solis equos*. Aristoteles, οἱ δὲ τὸν ἥλιον τοῦτον τὸν κύκλον φέρεσθαί ποτε.

740. *Fama etiam antiquis*. Opinio Pythagoreorum ex Aristotele.

741. *Phæthontem*, trisyllaba vox per συναίρεσιν, et in fragm. XV Varronis Atacini, ubi vide notata, hujus operis t. IV, p. 585. Ed.

745. *Orbemque rigentem*. Nihil verius. Nam qua currus Solis ibant, erat flammea et ignea via : nunc diversis cursibus Solis, eam viam rigentem factam. Sic Noster, III, 385 : « Æternas superare nives, orbemque rigentem Prona Lycaoniæ spectantem membra puellæ ». — B. reponit *aliamque recentem*. Ed.

747. *Errantes nutu flammas*. Proprie dicit *nutu* inclinatione. — B. dat *meta*. Ed.

748. *Curvisque quadrigis*. Cur-

Quid querimur, flammas totum sævisse per orbem,
Terrarumque rogum cunctas arsisse per urbes?
Quum vaga dispersi fluitarunt lumina currus,
Et cælum exustum est: luit ipse incendia mundus,
Et nova vicinis flagrarunt sidera flammis,
Nunc quoque præteriti faciem referentia casus.
  Nec mihi celanda est famæ vulgata vetustas
Mollior: e niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore Reginæ Divum, cælumque colore
Infecisse suo: quapropter Lacteus orbis
Dicitur, et nomen caussa descendit ab ipsa.
An major densa stellarum turba corona
Contexit flammas, et crasso lumine candet,

vas quadrigas vocat equos ab orbita deflectentes: ut quum scilicet funales equi exspatiantur, neque directam orbitam teneut. Neque vero aliter Sidonius in Narbone: « Incurvantur equi: proterva eurrum Intrat turba rotas ».

749. *Quid querimur.* Scal. *Quod*, mendose, ut videtur. Manifestus est sententiæ ordo. Quid querimur terrarum orbem tune conflagrasse? Etiam eælum exuatum est. Ed.

751. Pro *lumina* B. reponit *fragmina*, et hoc a *fluitarunt* posci ait. Virg. Æn. X, 306: « Fragmina remorum quos et fluitantia transtra Impediunt ». Ovid. Met. II, 317: « radii fractarum parte rotarum ». Sed nulli adsentiunt eodiees. Ed.

754. *Referentia* B. Gembl. *reserantia casus*, unde Seal. *servantia*, minus bene.

755. *Famæ vulgata vetustas Mollior: e niveo.* Molliorem famam voeat comparatione illius Phaethonteæ, quæ violentior esse videtur. — B. conjecit *fama vulgata vetusta Fabula, de niveo lactis fluxisse*, ete.

757. *Cælumque colore Infecisse suo.* Rhetorum est suadere, Philosophi demonstrare. Ita eorum sunt illustria argumenta: hujus demonstratio. Sed aliquando vicem mutant. Sic Manilius post demonstrationes de Lacteo circulo illustria argumenta e medio vulgi petita, puta fabulam Phaethontis, et de lacte Junonis adfert; quod solet facere aliquando Aristoteles: quem non piget interdum fabulas vulgi in medium producere: non utique quod in illis verum sit, sed quia a vero ortæ ut plurimum. De lacte Junonis, præter Grammaticos et Mythologos, habes plene apud Philoponum, Meteor. I.

760. *An major densa stellarum.* Democriti est sententia. Multarum scilicet et parvarum stellarum spissam cohæsionem viam dictam Lacteam efficere. B. *Anne magis.*

761. *Contexit flammas.* Complicat. Sed non deterius est, quod in Gemblacensi legimus: *Connexit*

Et fulgore nitet collato clarior orbis?
An fortes animæ dignataque nomina cælo,
Corporibus resoluta suis, terræque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cælum
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur?
Atque hic Æacidas, hic et veneramur Atridas,
Tydidenque ferum, terræque marisque triumphis
Naturæ victorem Ithacum, Pyliumque senecta
Insignem triplici, Danaumque ad Pergama reges,
Assaracum atque Ilum, totamque sub Hectore Trojam,
Auroræque nigrum partum, stirpemque Tonantis
Rectorem Lyciæ; nec te, Mavortia virgo,
Prætercam, regesque alios, quos Græcia misit,
Atque Asiæ gentes, et Magno maxima Pella;
Quique animi vires, et strictas pondere mentes
Prudentes habuere viri, quibus omnis in ipsis
Census erat, justusque Solon, fortisque Lycurgus,
Æthereusque Platon, et qui fabricaverat illum,
Damnatusque suas melius damnavit Athenas:

flammas. Sic infra *collato fulgore*.— *Et crasso lumine*. Crassum lumen, ob spissam cohæsionem lucentium siderum.

763. *Dignataque nomina*. B. scribit *numina*. Quid enim sunt *nomina corporibus suis resoluta?* Numina quidem, cælo dignata; non nativa; non Dii genitales, sed indigetes, qui mortalitate exsuta cælo recepti sunt. Ed.

762. *Et fulgore nitet collato*. *Fulgore collato* τῷ συναυγασμῷ.

771. *Assaracum atque Ilum* Scal. — *Castra ducum*. Versum ut irreptitium expunxit B. et ex eo Pingr.

775. *Atque Asiæ gentes*. Vitium hujus versiculi non poterat deprehendi sine ope melioris libri. Gemblacensis igitur recte habebat: « Atque Asiæ gentes, et magno maxima Pella ». Alexander Pellæ natus erat, ut et pueri sciunt, et Juvenalis indicat in Sat. X, 168: « Unus Pellæo juveni non sufficit orbis ». — *Pellam* Alexandri matrem dicit Fayus, eam mulierem credens. Ed.

776. *Et strictas pondere mentes*. Sic loquutus in libro V, 106: « strictos nec crede Catones ». Strictos ex se, non ex communi, viventes. B. *et stricta pondera mentes*. Ed.

779. *Et qui fabricaverat illum*. Fabricam Socratis Platonem dicit, ut Albinovanus opus Cæsaris, Brutum a Cæsare informatum: « Et magnum magni Cæsaris illud opus ».

Persidis et victor, strarat qui classibus æquor:
Romanique viri, quorum jam maxima turba est:
Tarquinioque minus reges, et Horatia proles;
Tota acies partis: necnon et Scævola trunco
Nobilior, majorque viris et Clœlia virgo,
Et Romana ferens quæ texit mœnia Cocles;
Et commilitio volucris Corvinus adeptus
Et spolia, et nomen, qui gestat in alite Phœbum:

781. *Persidis et victor.* Xerxes non fuit Persidis victor, inquit Scaliger, sed a patre relictæ rex. Sed poetis familiare reges domitores vocare. — Hanc lectionem male retinere Scaligerum putat Burman. sec. Malo cum Pingræo et aliis intelligere de Themistocle: vix enim probabile Xerxem a Manilio in viam Lacteam, Elysium quoddam, receptum dici. Sed nec ipse Themistocles Persidis victor fuit, qui Persas quidem in Græcia vicit, ipsi vero Persidi pedem non intulit. Hinc alii legunt *Persidis et rector*, pro rege, ut apud Ovid. et alios. Vid. Miscell. Obs. vol. I, p. 103 seq. ubi Burm. conjicit *strarat qui cladibus æquor;* ut sternere æquor, terram, cadaveribus, et similia. Vid. Drakenb. ad Sil. XII, 153. Audaciori adhuc loquendi modo apud Florum, IV, 11, 5, de classe Antonii et Cleopatræ, « naves non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur ». B. conj. *strarat quæ*. Ed.

783. *Tarquinioque minus reges.* Perspicua est et optima sententia. Omnes reges Romanorum, præter unicum Superbum, virtus sua in cælo, aut Lacteo circulo collocavit. Nam Superbus nullis meritis eo pervenire potuit. — *Et Horatia proles Tota acies patriæ*, olim *pontis*. Falsum. Hoc enim non ad trigeminos Horatios, sed ad unicum eorum gentilem Coclitem pertinet, de quo infra. Gemblacensis habet *Tota acies partus*, et ita B. et Pingr. Scal. *Tota acies partis.* Curiatii trigemini fuerunt tota acies Albanorum, ut Horatii trigemini fuerunt tota acies partis suæ, id est, Romanæ: quia non prælio utriusque exercitus, sed dimicationi horum tota fortuna belli commissa. Eleganter hoc dictum. Sic in Apotelesm. I de eodem: «Nulla acies tantum vicit: pendebat ab uno Roma viro». — Ut opinor, conjicio *Tota acies patriæ*. Ed.

786. *Et Romana ferens.* Ad statuas Coclitis adlusum, quæ cum corona civica formabantur. Coronæ autem civicæ murorum specie erant. — *Et commilitio* bene refinxit Scalig. pro *Et cum militio*. Perspicuitas et elegantia sententiæ est vice interpretis. Habes *commilitium* vocem apud Plin. juniorem, Epist. lib. X.

788. *Qui gestat in alite Phœbum.* Tria hæc Phœbi tutela, Corvus, Cycnus, Delphinus. De Corvo et Delphino testes habes veteres nummos xv virum sacris faciundis. In illis expressa est Delphica tripus Phœbi cum Corvo in inferiori parte, Delphino in superiore. De Cycno

Et Jove qui meruit cælum, Romamque Camillus
Servando posuit, Brutusque a rege receptæ
Conditor, et Pyrrhi per bella Papirius ultor;
Fabricius, Curiusque pares, et tertia palma
Marcellus, Cossusque prior de rege necato:
Certantesque Deci votis, similesque triumphis:
Invictusque mora Fabius, victorque necati
Livius Hasdrubalis, socio per bella Nerone:
Scipiadæque duces, fatum Carthaginis unum:
Pompeiusque orbis domitor, per tresque triumphos
Ante Deum princeps, et censu Tullius oris
Emeritus cælum, et Claudi magna propago,
Æmiliæque domus proceres, clarique Metelli,

et Delphino Martialem sponsorem dabo, Epigr. IX, 43: « Campis dives Apollo sic marinis, Sic semper senibus fruare cycnis ». Campas veteres Latini omnia cetosa, et ingentes pisces vocabant. Vide Festum: κατ' ἐξοχὴν igitur Campas marinas vocat Delphinos Phœbo sacros, ut adparet ex nummis xv virum.

789. *Et Jove qui meruit.* Adseruit Jovem, hoc est, Capitolium a Gallis. Et recte conditorem Romæ Camillum vocat, qui alter Romulus vulgo dictus fuit. Ejus autem victoria fuit quasi quædam urbis resurrectio.

792. *Et tertia palma Marcellus.* Propter tertia opima, nempe quæ occiso duce hostium ab imperatore referebant. Tres tantum apud Romanos hunc honorem adepti. Romulus, victo et occiso Acrone; Cornelius Cossus, Tolumnio, Etruscorum rege, et Marcus Claud. Marcellus Britomaro, Gallorum rege, interfectis. Marcellus tertia palma, ut Virg. in Culice: « Hic et fama vetus numquam moritura per ævum Curtius ». Et adposite, Æn. V, 339: « tertia palma Diores ». Ed.

795. *Invictusque mora Fabius*, etc. Gembl. *Flavius.* Nimirum priscam ejus nominis scripturam sub vitiosa lectione refert. Favius enim veteribus illis scribebatur, non Fabius. Favia apud priscos erat fovea. Unde Favii dicti, quod auctor gentis est ita dictus a fovea, sive favia, ad quam ejus matrem compresserat Hercules.—*Necati:* Horat. *interempto*. B. reponit *nefandi*. Ed.

796. *Socio per bella Nerone.* Eadem paullo post locutio importune repetitur, 805: « socio per signa Tonante ». Et nimius est in hisce tautologiis Manilius.

797. *Duces.* B. habet *duc.* Ed.

799. *Ante Deum princeps.* Deum Cæsarem. Historicis Græcis Καῖσαρ ὁ θεὸς ut Diodoro. Pompeius igitur ante Cæsarem erat princeps reipublicæ, ut post eum Cæsar, qui *Divus* fuit. — B. *ante diem*. Ed.

800. *Et Claudi magna propago.*

Et Cato Fortunæ victor, matrisque sub armis
Miles Agrippa suæ : Venerisque ab origine proles
Julia descendit cælo, cælumque replevit,
Quod regit Augustus socio per signa Tonante,
Cernit et in cœtu Divum, magnumque Quirinum.
Altius ætherei qua candet circulus orbis,
Illa Deum sedes : hæc illis proxima Divum
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.
Ac prius, incipiam stellis quam reddere vires,
Signorumque canam fatalia carmine jura,

Ut in Gemblacensi; quamquam *Clausi* legendum forte fuerit. Clausus enim auctor Claudiæ gentis.

802. *Matrisque sub armis Miles Agrippa suæ.* Matrem, nisi fallor, vocat Octaviam, quæ socrus erat. Ejus enim filiam Marcellam uxorem duxerat Agrippa. Hæc omnia in gratiam Augusti. Hoc moneo, ne quis putet aliquid boni in illo monstro lectionis latere. Nam judicio opus est in veterum codicum lectione. Sed quare Agrippa miles sub *armis* matris suæ? An strenuus ille dux militavit sub matre sua? Itaque nugatoria hæc sunt, et locus est depravatus. Suspicor poetam scripsisse: « Martisque sub armis Miles Agrippa sui ». — Postmodum Scaliger conjecit *matrisque sub armis*, ita ut *armis* ab armus, i, derivaretur. De eo Barthius et Pingr. non dubitant. B. ut æquivocationem tollat, legit *ulnis*, et huic opinioni adsentit Wernsd. huj. op. tom. I, p. 407. Ed.

805. *Quod regit Augustus.* Et ita Gemblacensis. Sed quare dicit cælum regi ab Augusto, quod nondum tenebat? id est, in quod nondum relatus erat. Hoc mortuo Augusto melius conveniebat. Neque hoc illud facit hilum : « Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet ». Nam terras ab Augusto, cælum a Jove regi dicit Virgilius. — Sed Horat. Carm. III, 3, 13 : « Quos inter Augustus recumbens Purpureo bibit ore nectar ». Augusto tamen etiamnum vivo. Ed.

807. *Altius ætherei.* Post finem antecedentia versus distingue; hoc vult, altius, quam patet Galaxias, ibi esse sedem Deorum : secundum illam Galaxias est sedes heroum. — *Altius ætherii qua.* Subaudiendum τὸ *quam.* Altius quam qua patet Galaxias, nimirum cælum. Ejuscemodi particulas *quam, quum, ut*, a poetis reticeri non raro, alibi non semel docuimus.

809. *Qui virtute sua similes.* Similes Divis, heroes. — *Vestigia Divum.* Cælum. Catullus : « Ac quamquam me nocte premunt vestigia Divum ».

810. *Ac prius.* Potest etiam ferri *At prius.* Nam dixit ante, Hæc est heroum sedes, et tempus erat jam ad alia tractanda stylum convertere. Sed tamen revocat me cognata materia Cometarum. Absolutis enim iis, quæ de lacteo circulo dici pote-

Implenda est mundi facies, corpusque per omne
Quidquid ubique nitet, vigeat quandoque, notandum est.
* Sunt alia adverso pugnantia sidera mundo,
* Quæ cælum terramque inter volitantia pendent,
* Saturni, Jovis, et Martis, Solisque : sub illis
* Mercurius Venerem inter agit Lunamque locatus.

rant, antequam libro coronidem imponat, cognatam circulo lacteo materiam de Cometis subjungit. Recte Manilius, ut alia, Cometas statim Galaxiis subjungit. Cognatam enim Cometarum et Galaxiæ materiam dicit Aristoteles. Alioquin et ad Astrologiam hæc quoque materia pertinet, quatenus Astrologi in cælo primos effectus ponunt; secundos in regione, quæ eos et Lunam interest. In cælo quidem sunt stellæ, quæ dicuntur μετέωρα· et vocantur signa prima. Infra cælum sunt, quæ Astrologis signa secundaria dicuntur, nempe Cometæ, ignes, flammæ, quod secundas a stellis vires habeant. Sed, ut dixi, non tamquam Astrologus hæc addidit Manilius, sed tamquam Physicus, et implendæ mundi sphæræ. Nam totus hic liber Physicus est, non Astronomicos.

812. *Implenda est mundi facies.* Nam implendæ mundi faciei post stellarum, et circulorum doctrinam, deerat τῶν μετεώρων tractatio. Pro *corpusque* B. *censusque*, et sequentem versum proscribit. Ed.

813. *Quidquid ubi nitet.* Tractaturus de omni corpore, quod in cælo nitet, ut ipse loquitur, memor a se planetarum quinque mentionem nullam factam, eam obiter huc rejicit, ut ab eis, ad reliquos ignes, qui sub Luna fiunt, opportune transeat. — *Quidquid ubique nitet.* Post hunc versiculum rejiciendi sunt illi quatuor de quinque Planetis, quos non solum antecedentia, sed etiam sequentia huc pertinere probant: antecedentium quidem absurditas, si quidem ibi reliquantur: consequentium autem convenientia. Nam quia dixit : «Sunt alia adverso pugnantia sidera mundo», postea recte subjicit : «Sunt etiam raræ sortis natalis euntes».

814. *Sunt alia adverso.* Quia dixit se velle tractare de eo, quodcumque viget, et nitet in cælo : at nondum de Planetis tractavit, quum supra inerrantes omnes descripserit, propterea nunc ipsorum Planetarum nomina ponit, quia sunt inter ea, quæ corpus per omne ubique niteot et vigent. — *Sunt alia adverso.* Alia præter ea, quæ in capite fixorum memoravimus. Septem vagantes Græci vocant Planetas, Nigidius Errones, Aratus μετανάστας. Eos uno versiculo comprehendit vetus poeta: Μήνη, Ζεὺς, Ἄρης, Παφίη, Κρόνος, Ἥλιος, Ἑρμῆς. — *Sunt alia adverso.* Hi quatuor vs. a B. post v. 809 positi sunt. Sed importune hoc modo sequeretur, hactenus tantum tractatum esse de stellis : et proinde recte continuari sermonem de Planetis. Atqui de circulis recenter et Galaxia actum est, et quidem pro-

Sunt etiam raræ sortis natalis euntes
Aera per liquidum, tractosque perire Cometas
Protenus, et raptim subitas candescere flammas,
Rara per ingentes viderunt sæcula motus:
Sive quod, ingenitum terra spirante vaporem,
Humidior sicca superatur spiritus aura;
Nubila quum longo cessant depulsa sereno,
Et Solis radiis arescit torridus aer,
Apta alimenta sibi dimissus corripit ignis;

lixissime. Scslig. igitur hos translulit, quem seqnimur. — *Pugnantia.* Contraria nempe motni universo mundi.

818. *Sunt etiam raræ sortis.* Præter qninqne illos errones, sunt etiam alii ignes, quos quidam stellarum numero habent. — *Raræ sortis natalis.* Sed contra Sen. « Cometas æternos esse, et sortis ejnsdem, cujus et cætera ». — B. refingit *etenim raris orti natalibus ignes*, i. e. qui raro generantur. Vulgata lectio vix intelligenda. Ed. — *Euntes Protenus.* Hic *Protenus*, ut apud Virg. Ecl. I, v. 13: « Protenus æger ago ». Snnt aulem labentes, non qui proprie Cometæ dicuntur. In quibus potes etiam numerare quæ dicuntur σέλα, Seneca fulgores vertit. « Hi, inquit, fulgores dicuntur; quia brevis facies illorum et cadnca est, nec sine injuria decidens. Sæpe enim fulminum noxss ediderunt. Ab his tecta videmus icta, quæ astrapoplecta Græci vocsnt ». Virg. Æn. II, 695: « Illam summa super lsbentem cnlmina tecti Cernimus Idæa claram se condere silva, Signantemque vias: lum longo limite sulcus Dat lncem, et late circum loca sulfure fumanl ».

819. *Tractosque perire Cometas.* Cometas genns facit, ejusque species stellas labentes. Snnt enim, quos ipse tractos vocat. — Scalig. hos versus transferre tenlat sic: « Snnt eliam raræ sortis natalis euntes Protenus, el raptim subitas candescere flammas Aera per liquidnm ». In quo eum non sequimur. Ed. — Pro *tractos* B. habet *natos*, et explicat intra breve tempus nsscnntur et pereunt: ut infr. 831: « cadnnt fulgentque cometæ ». En.

821. *Rara per ingentes.* In genere omnes Comelas raro contingere, et Aristoteles caussam pntat esse Solis et astrorum motum, qni eos incandescentes separat, vel etiam formatos dissipat. Sed hos errores veteris astronomiæ confutal Pingr. Neqne enim snbito sccendi aut exstingui, ul meteora, cometss verum esl, sed molus snos bsbent, ut ipsi planetæ: ellipses vero multo majores describnnt. Ed. — *Per ingentes viderunt.* Qnod sæpenumero bellicos aut civiles motns antecedere Veteres putabant.

823. *Humidior sicca.* Hnmidiorem spiritum vocat exhalationem humoris, in terra vel super lerram fusi. Siccam anram ipsius terræ exsiccatæ fumosnm vaporem interpretatur Scalig. ex Arislotele. Ed.

Materiamque sui deprendit flamma capacem.
Et quia non solidum est corpus, sed rara vagantur
Principia aurarum, volucrique simillima fumo,
In breve vivit opus, cœptoque incendia fine
Subsistunt, pariterque cadunt fulgentque Cometæ.
Quod nisi vicinos agerent occasibus ortus,
Et tam parva forent accensis tempora flammis,
Alter nocte dies esset, cælumque rediret
Immersum, et somno totum deprenderet orbem.
Tum quia non una specie dispergitur omnis
Aridior terræque vapor comprenditur igni,
Diversas quoque per facies accensa feruntur

827. *Flamma capacem.* Scaliger dat *rapacem*. Sed omnes, ut damus, et rectius, et firmat vers. præced.

831. *Pariterque cadunt fulgentque Cometæ.* Scal. *fulgente Cometa:* quæ lectio nullum sensum idoneum parit. B. adfirmat Lips. Gemb. et recentiores aliquot habere: « cœptaque incendia finem Subsistunt, pariterque cadunt fulgentque Cometæ »; unde veram scripturam se eruere dicit: « citraque incendia limen Subsistunt, pariterque cadunt fulgentque Cometæ ». Ego mallem: *captoque incendia fine Subsistunt;* et servo *fulgentque*. Ed.

832. *Quod nisi vicinos.* Plinius, lib. II, cap. 25: « brevissimum, quo cernerentur, spatium septem dierum adnotatum est: longissimum octoginta ». Quidam doctus vir in suis ad Senec. notis, quia sciebat a Seneca Cometem visum sex continuos menses, putabat in Plinio legendum CLXXX. Sed frustra est. Nam hæc Plinii fuit opinio, et aliorum Veterum. In quo tamen eum falli tum exemplum a Seneca adductum, tum experientia ipsa convincit. Observavimus enim Cometem per dies plusquam CX. Insignem locum Nicephori Gregoræ adducit Scalig. ubi agitur de Cometa cum Sole surgente, et interdiu adparente; eodemque durante a Solstitio ad æquinoctium autumnale, nempe dies CIII, adversus Plinii sententiam, ut etiam monuit Frater Martinus ordinis Prædicatorum, scribens sub Johanne XXI Papa ante annos CCC: « Anno Domini MCCLXIIII Cometes tam nobilis adparuit, qualem nullus ante tunc vivens viderat. Ab oriente enim cum magno fulgore surgens, usque ad medium hemisphærii, versus occidentem, comam perlucidam pertrahebat. Et licet in diversis mundi partibus forte multa significaverit: hoc tamen unum pro certo compertum est, ut quum plus quam per tres menses duraverit, ipso primo adparente, Papa (Urbanus IV) cœpit infirmari: et Cometes disparuit ».

836. *Tum quia non una specie.*

Lumina, quæ subitis exsistunt nata tenebris.
Nam modo, ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat, tenuisque capillos
Diffusus radiis ardentibus explicat ignis.
Nunc prior hæc species dispersis crinibus exit,
Et globus ardentis sequitur sub imagine barbæ.
Interdum æquali laterum compagine ductus
Quadratamve trabem fingit, teretemve columnam.
Quin etiam tumidis exæquat dolia flammis,
Procero distenta utero, parvasque capellas
Mentitur, parvos ignis glomeratus in orbes
Hirta figurantes tremulo sub lumine menta
Lampadas et fissas ramosos fundit in ignes.
Præcipitant stellæ, passimque volare videntur,
Quum vaga per nitidum scintillant lumina mundum:

Omnino ad verbum Aristotelem interpretatur.

841. *Tenuisque capillos*. Sic B. Scal. *tenuisque capillus*, sed ignis explicat capillos, non capillus ignes: ut flamma comas imitatur, non coma flammas. Tenuis autem hic quarto casu plurali. Ed.

842. *Diffusus radiis ignis*. Scalig. *diffusos ignes*.

844. *Et globus*. B. corrigit *glomus*. *Glomus* enim lanæ, non compressum, recte imitatur barbam.

845. *Compagine*. Non proprie. In trabe aut parallelepipedo nulla est compago.

848. *Parvasque capellas*. Scalig. *parvosque capillos*. Scripti quidem sic habent. Sed Vossian. *capellos*. Gembl. *partosque capillos*. Quidam pruritu innovandi dixisset rectam esse lectionem, et innui Parthos capillos, quia Parthi comati. Unde quum ægrotante Vespasiano, paullo ante decessum ejus nuntiatum esset, cometen adparere: elusit portentum interpretatione, et ad Parthorum regem, qui comam pasceret, non ad se, dixit pertinere. — Mendosum videtur *capillos*; nam de crinibus, comis, capillis supra egit; unde B. *parvasque capellas*, recte.

850. *Hirta figurantis*. Scalig. dat *figuratur messis* ex conjectura; sed optimam B. lectionem sequimur. Neque enim messis integra a meteoris figuratur, neque *messis hirta* dici potest. Ed.

851. *Lampadas et fissas*. Scalig. emendat *Lampadias fissus ramosos fundit in ignes*, non feliciter. Sed ut dedimus, B. recte. Quid enim est *fundere fissuras*, et ubi *fissus* pro *fissuris* reperias? Recte Bentleius: « Ideo fissas quia lampades ex pluribus filis vel bacillis constabant, et findebantur quo melius arde-

Et tenues longis jaculantur crinibus ignes,
Exsurguntque procul volucres imitata sagittas,
Arida quum gracili tenuatur semita filo.
  Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Ætnamque minantur Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas,
Ac silice in dura, viridique in cortice sedem
Inveniunt, quum silva sibi collisa crematur.
Ignibus usque adeo natura est omnis abundans:
Ne mirere faces subitas erumpere cælo,
Aeraque accensum flammis lucere coruscis,
Arida complexum spirantis semina terræ,
Quæ volucer pascens ignis sequiturque, fugitque:
Fulgura quum videas tremulum vibrantia lumen
Imbribus e mediis, et cælum fulmine ruptum.
Sive igitur ratio præbentis semina terræ
Involvens ignes potuit generare Cometas:
Sive illas natura faces ut cuncta creavit

rent ». Plinius quidem libro II, cap. 25: « Lampadias ardentes imitatur faces ». Atqui Plinius omnes Cometarum species Græcis vocabulis adpellat, Pogonias, Acontias, Xiphias, Ceratias: Noster ne unam quidem, sed omnes Latine. Vide ad Plin. nostræ edit. tom. I, p. 292, sqq. et quæ ibi adnotantur. Ed.

854. *Et tenues longis jaculantur.* Plinius quidem quasdam Cometarum species vocat *acontias*, scilicet jaculares. — *Tenuem...ignem* dedit B. et *tractibus* pro *crinibus*. Ed.

855. *Exsurguntque procul.* Scalig. ipse notat διεκδρομὰς dici Ptolemæo, unde veram lectionem conjicere poterat *procul excurrunt*, evolant, quo ipso sagittas imitantur.

859. *Ætnamque minantur Olympo.* Scal. *imitantur Olympo.* Sed nostra lectio elegantior, minantur flammas Ætnæ Olympo, quasi quandoque cælum ipsum combusturas. Ed.

866. *Spirantis semina terræ*, i. e. siccos vapores quos exhalat terra. Vid. not. ad vs. 823. Ed.

870. *Sive igitur ratio.* B. *raro præbentes*, et vs. seq. *In volucres ignes possunt generare.* Ed.

871. *Involvens ignes potuit generare Cometas. Potuit generare*, poetice pro, generavit.

872. *Cuncta creavit.* Scalig. vult *ob juncta* vel *sub juncta*, et intelligit de astrorum contactu, secundum

Sidera, per tenues cælo lucentia flammas:
Sed trahit ad semet rapido Titanius æstu,
Involvitque suo flammantes igne Cometas,
Ac modo dimittit: sicut Cyllenius orbis,
Et Venus, accenso quum ducit vespere noctem,
Sæpe nitent, falluntque oculos, rursusque revisunt:
Seu Deus instantis fati miseratus, in orbem
Signa per adfectus cælique incendia mittit.
Numquam futilibus excanduit ignibus æther;
Squalidaque elusi deplorant arva coloni,
Et steriles inter sulcos defessus arator

opinionem Democriti et Anaxagoræ dicentium Cometen uihil aliud esse quam coutactum planetarum, in eundo sese mntuo illidentium. Sed propius ad universos libros accedit lectio quam damus, et quam Beutl. sequitur. Ed.

873. *Per tenues*, etc. B. mutat: *perpetuis cælo lucentia flammis*, et hunc locum satis apte explicat. Sive natura creavit ut cuncta sidera, ita illas faces: hoc est, Cometas, qui revera sidera perpetua sunt. Opinio Chaldæorum, Senecæ, et aliorum aliquot: quam verissimam esse demoustravit vir maximus Is. Newton: de quo quasi vaticinatus est Senec. Nat. Quæst. VII, 26: « Erit, qui demonstret aliquando, etc. » Ed.

874. *Sed trahit*. Scal. conjecit *seu trahit*, sed sine uecessitate. Cometæ enim lucent perpetuis flammis: sed quum Soli adpropinquant, occultantur ejus validiore luce, quomodo Venus et Mercurius. Ed.

875. *Involvitque suo*. Nempe occultantur majore luce.

876. *Ac modo dimittit*. Tunc sese explicant a radiis Solis: similis est Planetarum abstantia a Solis radiis, ut Vitruvianum verbum usurpem. Tunc enim Planeta absistit a Sole, vel Sol a stella fixa. Sic in stella Mercurii. Nam quum æquale propemodum cum Sole curriculum conficiat, propterea raro videtur. Quia vero exiguos transcensus facit, sæpe transgreditur adparentiam suam, quam Græci φάσιν dicunt. Unde raro adparet, utpote qui circa Solem moveatur. Quare non Sol Planetam, sed Solem potius Planeta dimittit.

377. *Et Venus*. Venus magno spatio a Sole recedens secuudum latitudinem una eademque die matutina et vespertina fit. Unde Vesper et Lucifer dici meruit potius, quam Mercurius.

878. *Sæpe nitent, falluntque oculos*. Phases Planetarum intelligit. Male B. et Pingr. dant *latent;* tunc enim Noster bis idem dixisset.

879. *Seu Deus instantis fati*. A vulgi opinione, quæ ad receutiores permanavit.

880. *Signa per affectus*. Cometas vocat cæli morbos.

Ad juga mœrentes cogit frustrata juvencos.
Aut gravibus morbis, et lenta corpora tabe
Corripit exustis letalis flamma medullis,
Labentesque rapit populos, totasque per urbes
Publica succensis peraguntur fata sepulcris:
Qualis Erechtheos pestis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens quum fata ruebant.
Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant.
Cesserat officium morbis, et funera deerant
Mortibus, et lacrymæ: lassus defecerat ignis,
Et coacervatis ardebant corpora membris:
Ac tanto quondam populo vix contigit heres.
Talia significant lucentes sæpe Cometæ:
Funera cum facibus veniunt, terrisque minantur
Ardentes sine fine rogos, quum mundus et ipsa
Ægrotet natura novum sortita sepulcrum.
Quin et bella canunt ignes, subitosque tumultus,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma:
Externas modo per gentes, ut fœdere rupto
Quum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum sanguine campos,
Arserunt toto passim minitantia mundo
Lumina, et ipsa tulit bellum natura per ignes,

887. *Labentesque.* Scal. *Tabentes*, sed altero versu *lenta corpora tabe.* Virgil. Georg. III, 498: « Labitur infelix studiorum atque immemor herbæ Victor equus ». Et vid. infra v. 891. Ed.

888. Pro *fata* B. *justa.*

889. *Qualis Erechtheos.* Contendit antem cum Lucretio, lib. VI. Vid. Thucydid. II, et Virg. Georg. lib. III, in fin.

894. *Lassus defecerat*, ex Gembl. et omnes. Scalig. *fessus.*

897. B. *gaudentes clade Cometæ*, elegantius sane.

903. *Externas modo.* Manifesto indicat eam cladem non multo antea contigisse, recenti etiam tum ejus memoria. Accidit vero quinquennio ante Augusti excessum. Ex quibus colligere licet tempus, quo hæc scripta sunt. Scal. *Extremas.*

Opposuitque suas vires, finemque minata est.
Nec mirere graves rerumque hominumque ruinas:
Sæpe domi culpa est: nescimus credere cælo.
Civiles etiam motus, cognataque bella
Significant: nec plura alias incendia mundus
Sustinuit, quam quum ducibus jurata cruentis
Arma Philippeos implerunt agmine campos.
Vix etiam sicca miles Romanus arena
Ossa virum, lacerosque prius superadstitit artus;
Imperiumque suis conflixit viribus ipsum,
Perque patris pater Augustus vestigia vicit.
  Necdum finis erat: restabant Actia bella
Dotali commissa acie, repetitaque rerum
Alea, et in ponto quæsitus rector Olympi:
Femineum sortita jugum quum pompa pependit,
Atque ipsa Isiaco certarunt fulmina sistro.
Restabant profugo servilia milite bella,
Quum patrios armis imitatus filius hostes
Æquora Pompeius cepit defensa parenti.
  Sed satis hoc fatis fuerit: jam bella quiescant:

912. *Nec plura alias incendia mundus Sustinuit*. Simillimum illud de morte Julii Cæsaris, et sequentibus bellorum civilium eventibus, Virg. Georg. I, 487: « Non alias cælo ceciderunt plura sereno Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ ».

917. Pro *prius* B. dat *nefas*, ex conjectura.

921. *Alea*. Ita repone. Neque dubium est a Manilio esse. Sic Pomponius jurisconsultus dixit *aleam emere*, quum captus piscium aut missilium emitur. D. l. 8, § de contrahenda empt. Græcum esse κύβος πολέμου, et κυβεύειν τὰ πράγματα et pueri sciunt.

921. *Et in ponto quæsitus rector Olympi*. Adulatorium. De Augusto enim intelligendum. Ut in sphæra Barbarica: « Actiacosque sinus inter suspensus uterque Orbis, et in ponto cœli fortuna natabit ».

922. *Quum pompa pependit*. B. dat *Roma* pro *pompa*, ita ut ordo sit: « Quum Roma pependit dubia, sortita femineum jugum », quasi jactis sortibus, an sub Cleopatræ jugum cederet. Noster, IV, 35, de Horatio: « pendebat ab uno Roma viro, regnumque orbis sortita jacebat ». Ed. — Vitium esse in verbo *rependit*, quod veteres habent, nemo negaverit, nisi qui Latine nescit. Opus

Atque adamanteis Discordia vincta catenis
Æternos habeat frenos in carcere clausa :
Sit pater invictus patriæ, sit Roma sub illo ;
Quumque Deum cælo dederit, non quærat in orbe.

est enim verbo, quod absolutum Grammatici vocant. Nos olim *tetendit* divinabamus non male. Nam *tendere* etiam de navali prælio potest dici. Sed sine dubio vera lectio est *pependit*. Bellum enim navale dicitur pendens. In lib. IV, 288 : « Navales etiam pugnas, pendentia bella Adtribuunt ». In sphæra Barbarica : « Actiacosque sinus inter suspensus uterque Orbis ». Accedit huc, quod Jacob. Susius ad oram libri e regione hujus loci de ingenio ita correxerat.

928. *Atque adamanteis.* Ob Janum Quirini ab Augusto clausum : quod bis tantum antea contigerat. Horat. IV, 15, 9 : « Janum Quirini clausit ». Virg. Æn. I, 293 : « diræ ferro, et compagibus arctis Claudentur belli portæ : Furor impius intus, Sæva sedens super arma, et centum vinctus ahenis Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento ».

EXCURSUS

AD MANILII ASTRON. LIB. I, vs. 564.

Fulgentem sustinet Arcton. Recte, *sustinet Arcton.* Nam tota Ursa major intra illum Arcticum, quem descripsit Eudoxus, includitur. In climate autem Athenarum Horizon priores pedes Ursæ præterradit. Quia igitur quæ intra illam decircinationem includuntur, semper adparent, unde circulus ille dicitur φανερὸς, et Ursa major eo tota continetur: propterea, inquam, totum illum circulum Arcton vocarunt. Circulum inocciduum ac semper adparentem ἄρκτον vocat. Ovidius, Trist. IV, Eleg. III, 1:

> Magna, minorque feræ, quarum regis altera Graias,
> Altera Sidonias, utraque sicca, rates,
> Omnia quum summo positæ videatis in axe,
> Et maris occiduas non subeatis aqnas;
> Ætheriamque suis cingens amplexibus arcem
> Vester ab intacta circulus exstet humo.

Quibus verbis quid aliud quam semper adparentem describit? Apud Geminum, præstantissimum scriptorem, ita legimus: ἀρκτικὸς μὲν οὖν ἐστι κύκλος ὁ μέγιστος τῶν ἀεὶ θεωρουμένων κύκλων, ὁ ἐφαπτόμενος τοῦ ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον, καὶ ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβανόμενος, ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν ἄστρων οὔτε δύσιν, οὔτε ἀνατολὴν ποιεῖται, ἀλλὰ δι' ὅλης τῆς νυκτὸς περὶ τὸν πόλον στρεφόμενα πολεῖται. Ubi plane quid sit circulus Arcticus docetur. Proclus ad verbum hæc descripsit ex Gemino, ut reliqua omnia suæ sphæræ. Quum Crateti Grammatico Arati interpreti mirum videtur Homero Arcton ipsam circulum semper adparentem vocari, Homeri

lectionem interpolare conabatur, et pro οἴη legebat οἶος, quo intelligebat circulum Arcticon, non Arcton ipsam. Sed imprudenter lapsum arguit Strabo. Vere quidem contra Cratetem ille. Sed ne ipse quidem reprehensione caret, qui verba Heracliti de circulo Arctico accipit : quum Heraclitus ipsum Horizontem nomine ἄρκτου intellexerit. Nam ἠοῦς καὶ ἑσπέρης τέρματα, quid aliud, quam Ortus et Occasus, ἄρκτος Septemtrio? Atqui quatuor cardines non Arctico, sed Horizonte finiuntur. Ut plane constet, tempore Heracliti Arcti nomine Horizontem intelligi solitum, quia Arctos signum Horizontis maxime septemtrionale in intersectione meridiani; ut canit Aratus, Phæn.

Sexque fugit solidas. Describantur circuli Æquinoctiali paralleli xc. Ii erunt, quos Geminus vocat semper adparentes. Is autem, qui punctum Horizontis ad communem intersectionem Meridiani et Horizontis tanget, erit illorum maximus, ac proinde Arcticus illius loci. Quia vero Horizontes mobiles sunt, sic et Arctici mobiles. Ita in climate Cnidi, ubi polus ad xxxvi grad. adtollitur, Eudoxus scripsit Arcticum circulum totidem partibus a polo mundi distare. In alio climate alius erit, nempe pro ratione elevationis polaris. Hipparch. ὁ δ' ἐν Ἀθήναις ἀειφανὴς κύκλος ἀπέχει ἀπὸ τοῦ πόλου περὶ μοίρας λζ· ὁ δ' ἐν Ῥόδῳ περὶ μοίρας λς. Et quanta erit altitudo loci, in tantum a polo distare punctum illud, necesse est, cujus intervallo circulus Arcticus describitur. Itaque vetustissimi Græci Arcticum circulum definiverunt τὸ ἀρκτικώτατον σημεῖον τοῦ ὁρίζοντος, vel τὸ ἀρκτικώτατον τῆς οἰκήσεως σημεῖον. Ita circulus Arcticus nihil aliud est, quam punctum habitationis, quod finitorem propius tangit. Nam punctum circinationis commune cum Horizonte habet. In hoc differunt, quod centrum Arctici circuli est polus mundi : centrum Horizontis est punctum verticale, seu Zenith loci.

Quod si poli elevatio xlv grad. absolute fuerit, ut Viennæ Allobrogum, opposita pars peripheriæ Arctici premet Zenith loci. Sin fuerit minor xlv grad. Zenith erit extra

circulum : si major, intra circulum. Ita fiet, ut quo propius Æquinoctialem accedetur, eo minores fiant circuli. Contra, majores, quo longius ab ipso receditur : sub Æquinoctiali autem, id est, Sphæra recta, nulli prorsus sunt Arctici. Pytheas scripsit habitantibus Thulen Tropicum esse vicem Arctici. Hæ differentiæ accidunt, prout Zenith intra, aut extra Arcticum est. Sive igitur intra Arcticum erit, sive extra, tantum a puncto I distabit, quanta est differentia elevationis poli ab elevatione Æquinoctialis supra Horizontem loci. Exempli gratia : Romæ polus adtollitur grad. 41. Ergo Æquinoctialis adtollitur ad 48. 20. Differentia, 7. 40. Proinde Zenith Romæ extra circulum a sui Arctici circumferentia distat grad. 7. 40. Sic habitantibus Thulen ea distantia est grad. XLIII, utpote quibus polus est ad grad. 66. 30 : Tropicus autem radit punctum intersectionis communis. Quare Martiano Capellæ Arcticus circulus definitur *semper adparens, et contingens confinia Finitoris, numquam mersus adsurgens.* Confinia Finitoris dicit intersectiones Horizontis et Meridiani in signo maxime boreali. His ita positis, videmus, quot habitationes, tot circulos Arcticos esse, non fixos, non ἀμεταπτώτους, sed pro locorum differentia alios atque alios. Multum igitur errant recentiores, qui in Sphæra mechanica illum adponunt, et alium a Veterum descriptione, quum illum a puncto poli Eclipticæ circa polum mundi describunt. Nam talis Arcticus non potest esse, nisi eorum, quorum inclinatio tanta, quanta maxima Solis declinatio : ut accidit iis, qui Syenem Niloticam habitant. Illis enim polus adtollitur ad grad. 23. 30. His animadversis, circulus Arcticus non potest in Sphæra mechanica locum habere, nisi sphæra ad loci inclinationem fabricata sit. Aliter nullus est circulus Arcticus. Nam τοῖς μεταπίπτουσι σημείοις οὐχ ὁριστέον τὰ ἀμετάπτωτα, ut præclare scribit Strabo. Sed alii quidem putaverunt, illum circulum esse utilem ad Zonas distinguendas, quod etiam refutare studet Scaliger. Nam Zonæ locum hodie non habent in nobis, quibus totus orbis navigationibus Lusitanorum et

Hispanorum patefactus est. Cujus rei gratia verba Strabonis confutandæ horum Mathematicorum sententiæ adduxi: ὁ δὲ Πολύβιος οὐκ εὖ, τὸ ποιεῖν τινὰς ζώνας τοῖς ἀρκτικοῖς διοριζομένας, δύο μὲν τὰς ὑποπιπτούσας αὐτοῖς, δύο δὲ τὰς τούτων καὶ τῶν τροπικῶν· εἴρηται γὰρ ὅτι τοῖς μεταπίπτουσι σημείοις οὐχ ὁριστέον τὰ ἀμετάπτωτα. Vix invenias ex istis, qui mathematica profitentur, quibus non videamur insanire, si in doctrina circulorum diversa a Johanne Sacrobosco sentiamus. Quidam tamen nuper priore editione Manilii monitus, obiter, et quasi invitus, dicit alium usum fuisse Veteribus Arcticorum circulorum. Tamen nollet videri a nobis didicisse, quum hoc genus hominum totius antiquitatis imperitissimum sit. Quis auctor tam ridiculi commenti fuerit, nihil aliud possum dicere, quam Latinum scriptorem fuisse, et quidem recentiorem quadringentis annis. An alius ante Sacroboscum id professus sit, nescio. Certe in præsentia antiquior non succurrit. Ut igitur nostri errant, qui immobilem Arcticum constituunt contra Veterum mentem: ita Veteres illi, et post alios nostri castigandi, qui illum circulum tribus reliquis parallelum constituunt, quum paralleli circuli in sphæra polum eumdem cum ipsâ habeant. At polus Arctici semper est idem cum sphæræ polo. Polus reliquorum trium variat, ut puncta tropica et æquinoctialia. Æquinoctia enim et Tropica antevertunt loca in Zodiaco, ita ut in aliquot annis unum gradum in antecedentia promoveantur. Circuli autem æquinoctiales et tropici nulli alii sunt, quam qui ad illa puncta mobilia describuntur. Mobiles igitur sunt, et proinde eorum poli mobiles quoque.

Sexque fugit solidas. Veteres Sphæram per ejus centrum in duas partes dividebant, ita ut paralleli ipsi in duas partes secarentur, quemadmodum a coluris secantur. Ejusmodi circulus constituebatur partium LX. Deinde Sphæra per Æquinoctialem divisa relinquit duo hemisphæria æqualia tricenarum partium. Ut brevius dicam, una quarta Sphæræ erat XV partium, quantarum totus ambitus LX. Neque aliter dividebant tempore Eudoxi. Postea propter commodiorem usum,

eas partes sexies multiplicarunt. Ita circulus integer factus est partium CCCLX. Quadrans ejus XC. Igitur in Cnido, patria Eudoxi, polus adtollitur ad partes VI, qualium quadrans est XV. Quas si sexies duxeris, produces XXXVI. Itaque iste Arcticus est ad elevationem Rhodi, vel Cnidi, non Romæ: quod tamen non monet Manilius: quasi ubique eadem statio esset Arcticorum (1). Nam, ut scribit Strabo, οἱ ἀρκτικοὶ μήτε παρὰ πᾶσιν εἰσὶ, μήτε οἱ αὐτοὶ πανταχοῦ. Sane. Neque enim in Sphæra recta sunt, neque in Sphæra stante, quam similem molæ vocabant Veteres: qualis est illis, quibus Æquinoctialis et Horizontem et Arcticum facit. Arcticum vero Græciæ ita describit Lucanus lib. VIII, vs. 172:

> Signifero quæcumque fluunt labentia cælo
> Numquam stante polo miseros fallentia nautas
> Sidera non sequimur: sed qui non mergitur undis
> Axis inocciduus gemina clarissimus Arcto
> Ille regit puppes.

Non potuit clarius describi circulus semper adparens. Sed incuriam cum aliis vitiis Lucano familiarem interpretatione leniendum. *Numquam stante polo:* totum cælum intelligit, non tantum punctum, circa quod fit cæli conversio. *Fluunt labentia,* id est, quæ occidunt et labuntur sub terras, quæ numquam fluunt, aut labuntur sub terras. Axis inocciduus, non utique, circum quem cælum vertitur, sed totus circulus semper adparens. Nam pro regione integra cæli Axem etiam usurpari alibi indicamus. Quæ apud Lucanum sequuntur, quia non vulgo intelliguntur, exponemus:

> .... hic quum mihi semper in altum
> Surget, et instabit summis minor Ursa ceruchis,
> Bosporon, et Scythiæ curvantem litora Pontum
> Spectamus: quidquid descendet ab arbore summa
> Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
> In Syriæ portus tendit ratis.

(1) Eadem ad hunc locum monet Pingr. t. I, p. 69. En.

Huic nautæ, qui hæc argutatur, cursus est in Ægyptum. In Ægypti autem maritimis, et ubicumque maxima dies est horarum XIV, ibi Arctophylax, immo Arcturus, culminat, in summo arbore mali est. At habere stellam aliquam in intersectione Horizontis et Meridiani, hoc nautica locutione dicebatur in summa antenna habere: quod Lucanus hic dicit, in summis ceruchis habere. Nam κεροῦχοι sunt rudentes, qui cornua velatarum obvertunt antennarum, ut verbis Maronis loquar. Opiferas vocari monet Isidorus. Stella vero omnis, quæ est in data intersectione Meridiani et Horizontis, unde incipit finitio circuli Arctici, Arato quidem dicitur natare, Ph. κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται· quia Oceanum Horizontem vocabant. Lucano vero ad verbum id est, *mari ferri*...*propiorque mari Cynosura feretur*, hoc est, Cynosura erit in contactu Horizontis. His animadversis, audiamus philosophantem nautam. Quando, inquit, iste axis inocciduus, h. e. semper adparens adtollitur, et magna est poli elevatio, et minor Ursa est in puncto finitionis circuli Arctici: tunc cursum in pontum dirigimus. Hic fraus facta est Lucano a librariis. Nam cur dicit hic minorem Ursam in summis antennis esse, quum infra in contrario casu ait, *propiorque mari Cynosura feretur?* Siquidem minor Ursa eadem est cum Cynosura. Sed Lucanus scripserat,

Et instabit summis magna Ursa Ceruchis.

Nam quamvis usitatius dicitur major Ursa, quam magna Ursa; tamen Latinum est magna Ursa. Ovidius Ursas adloquens:

Magna minorque feræ.

Hygino quoque dicitur Arctos maxima, et præterea poetis quædam indulgenda. Recte igitur constat ratio nautæ. Quando, inquit, ita polus adtollitur, ut Ursa major sit intra circulum Arcticum, tunc in Septemtrionem, et partes ponti tendimus. Legentibus oram Ægypti Arctophylax est in sum-

ma arbore, ut diximus ex Strabone, et Hipparchi rationes quoque docent, et polus deprimitur, qui velificantibus in partes Euxini adtollebatur. Ergo a partibus Euxini in Ægyptum tendentibus descenditur : quod dictum ex opinione vulgi, quia polus deprimitur. Arctophylax igitur dicetur descendere, quum aliquot partibus deficiet a puncto verticali : quod accidit in sinu Arabico navigantibus in parallelo Syenæ. Ibi enim Arctophylax, vel ejus lucida stella Arcturus, descendit ab arbore summa VII gradibus : siquidem sæculo Hipparchi Arctophylacis declinatio et latitudo pæne æquales erant, partium nempe XXXI, ut voluit Hipparchus. Proinde distantia a polo erat partium LIX, ut iterum monet idem Hipparchus. Sed iste nauta, vel potius qui illum suggerit, Lucanus, non bene conceperat mentem scriptorum Græcorum, unde hæc hausta sunt. In mari enim mediterraneo australissimum litorum est Ægyptiacum, et vicina ora, ubi culminat Arcturus. At Arcturus non potest descendere ab arbore mali, nisi extra mediterraneum mare, puta in Oceano australi velificantibus, neque Cynosura propior esse mari, hoc est, propius ad finitionem Arctici accedere.

Sexque fugit solidas. XXXVI partium elevatio poli est Rhodi, XXXVII Athenis, ubi caput Draconis Ursarum, quod intellexit Aratus. Sed tamen hallucinatur, quum in ea elevatione Tropico in VIII partes secto, V supra Horizontem adtollit. Hoc enim proprium est elevationis 41, non 37 partium.

M. MANILII
ASTRONOMICON
LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM LIBRI SECUNDI.

Præfatus pauca Manilius de variis argumentis, quæ sibi alii ex aliis poetæ tractanda sumpserunt; novamque, et a nemine ante cantatam materiam aggressurum se professus (ad v. 59), sidera quæque in suum quodque genus, inque suas quasque varias species partitur, scilicet in mascula et feminina, in humana et ferina, in bina et biformia, in aversa et directa, in diurna et nocturna, in terrestria et aquosa, inque ambigua; in fœcunda et sterilia, inque communia; in currentia et stantia, inque denique fessa et jacentia (ad v. 255). Varias eorumdem siderum configurationes, quos Astrologi diversos adspectus vocant, eleganti admodum carmine instruit, docetque pariter quæ, quotve sint trigona; quæ, quotve quadrata; quæ, quotve hexagona; et quæ cujusque generis dextra sinistrave dicantur (ad v. 394). Signat ea signa, quæ conjuncta, quæ disparia, quæve sunt opposita; necnon sub quibus signis singula corporis humani membra sunt in tutela. Notat etiam quæ signa dicantur sese audientia, quæ sese videntia, quæ amicantia, et quæ inimica (ad v. 482). Contrarias et amicantes, ut aiunt, signorum configurationes similiter adornat. Planetarum deinde varios adspectus ac terminos in signis longo carmine prosequitur et notat (ad v. 692). His omnibus animadversis, explicat duodecima, quæ Græci vocant Dodecatemoria, signorum ac planetarum (ad v. 787). Varias cardinum ac locorum intermediorum rationes perquirit, effectusque ac dignitates singulorum distinguit et enumerat (ad v. 855). Denique duodecim cælestium domorum censum agit, ac earumdem titulorum et tutelarum, certisque domibus suum quemque proprium planetam adscribit (ad finem).

18.

MAXIMUS Iliacæ gentis certamina vates,
Et quinquaginta regum regemque, patremque,
Hectoreamque facem, tutamque sub Hectore Trojam,
Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis

1. In priore libro monuimus Astrologiam duabus partibus constare, meteorologica et apotelesmatica, et alteram quidem alteri tamquam materiam subjacere. Ideo prima est ordine; ut et materia ipsa prima ordine. Quod igitur ex eo opus fuit ad tironem in Apotelesmaticis informandum, Manilius adsumpsit: nimirum quæ sint ea docuit, quorum effectus illis relinquit, qui majores in ea re progressus facere volunt. Quæ igitur præmisit libro primo, ea non sunt absolutæ astronomiees: sed est veluti quædam, præparatio meteorologica, quæ tirunculis facilem aditum ad apotelesmaticen muuit, ne admodum rudes ad illa sacra irrumpant. Quibus rudimentis absolutis, nunc eum ordo ad eam, quam exponere instituit, apotelesmaticen vocat; cujus duo membra sunt: alterum descriptivum vocatur, alterum apotelesmaticum. Ac primo quidem disputat tantum, quomodo signa se habent, aut per se, aut inter se, ut alibi plenius docemus: alterum versatur circa effectus ipsos, ita ut descriptionem nobis gradum struere ad apotelesmaticen minime dubium esse debeat. Propterea liber quartus, qui apotelesmata inscribi debet, duobus descriptivis, hoc scilicet secundo ac tertio sequenti, præmunitur. Est enim descriptionis via, introductio ad scientiam. Sic istum, ac sequentem isagogicos vocavit Scaliger: quartum autem apotelesmaticum. Ita sunt duo illa membra, in quæ Astrologiam partitus est. Dicimus autem institutionem primam, institutionem secundam, id est, librum primum, librum secundum institutionis. Ut primus, secundus Annalis Ennii, prima, secunda Origo Catonis apud Grammaticos: primum, secundum Edictum apud Jurisconsultum.

2. *Et quinquaginta regum.* Reges intelligit Scaliger pro ducibus, sed manifeste de Priamo agitur. Vid. Æn. II, 503: « Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum ». Ed.

3. *Hectoreamque facem.* Vid. Homer. Iliad. XV et XVI. De facibus ab Hectore classi Argivum injectis nemo dubitat. Noster infra, V, 295: « Hectoris ille faces arcu teloque fugavit ».

4. *Erroremque ducis.* Ante Sc. vs. seq. *geminata æquora.* Ulysses non geminavit æquora, sed decennia, aut bellumdecennii. Ergo Sc. corrigebat: «, Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis Instantem, belli geminata per agmina, ponto », ex Gembl. tantum mutans *belli* pro *bello.* Errorem ducis instantem ponto per geminata belli agmina totidem annis, quot vicerat. Ulysses totidem annis erravit mari, quot pugnavit ad Trojam. Hoc vocat errorem ducis instantem ponto totidem annis, quot vicerat. Nam non

Instantis, belli geminata per agmina, ponto,
Ultimaque in patria, captisque penatibus arma
Ore sacro cecinit, patriam qui et jura petenti,
Dum dabat, eripuit : cujusque ex ore profusos

solum pugnatorem, sed etiam victorem inducit, ut Homer. Odyss. Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. — *Geminata belli agmina*, labores bellicos geminatos in mari. Ulyssem enim in Odyssea inducit conflictantem cum altero bello in mari. — Ingeniosa Bentleii, sed conjectanea emendatio : « Jactati pelago, geminataque Pergama ponto ». Similem mutationem notavit ad Ovid. Heroid. XVII, 205 : « An sequar, ut suades; laudataque Pergama visam », ubi codex prima manu scriptus exhibebat : « An sequar, ut suades, laudata per agmina visam ». En. — *Totidem quot vicerat annis*. Maluit ita dicere, quam *pugnaverat*. Lucan. I, 300 : « Bellorum o socii, qui mille pericula Martis Mecum, ait, experti decimo jam vincitis anno ».

5. *Instantis belli*. Claud. XXIX, 27 : « Et sævi totidem bello, quot fluctibus, anni Conjugii docuere fidem ». — *Instantis* habent omnes, quod sine caussa Scalig. mutat in *instantem*. Errorem instare ponto vix ferri potest. En.

7. *Patriam qui et jura petenti*. Ita emendarunt docti viri ex scripta depravata lectione *patria quæ jura petentem*, ut sit *patriam et jura* unum in duobus, patriæ jura : quamquam potest etiam legi propius ad vestigia corruptæ lectionis, *qui patria rura petenti*. Ait Homerum eripere patriam Ulyssi, dum dat ei; quia inducit eum in patria rura pervenisse non statim post excidium Trojæ, sed longo post tempore : neque tuto, sed procorum insidiis petitum : neque vacuam, sed a procis occupatam patriæ possessionem dat. Certe hoc voluit Manilius : namque mentem ejus adsequimur, verba fortasse nondum concepimus. De Homeri patria intelligere, et alia, quæ neque cælum neque terram tangunt, neque orationem ullam latinam faciunt, in medium adferre, mens Manilii et ratio ipsa non patitur. — Adferenda tamen speciosissima Bentleii lectio : « patriam cui Græcia septem Dum dabat, eripuit » : scilic. cui Homero Græcia septem adsignando patrias nullam ei certam reliquit. B. vero adserit omnes libros vetustos habere : « patria quæ jura petentem Dum dabat eripuit ». Vossian. tantum *patriam*. Ed. — *Jura petentem*. Si quis *rura* legere mavult, magis accedet ad mentem Homeri. Nam prius rus pervenit Ulysses, et ab Eumæo subulco receptus.

8. *Cujusque ex ore profusos*. Gemblacensis *profusas* habebat perperam, quia in sequenti versu *lances* pro *latices* scriptum erat. Monemus, ne quis lances a Manilio somniatas putet, qui in illum codicem incidet. — *Ex ore profusos*. Ovidius de Homero : « cujus Vatum Pieriis ora rigantur aquis ». Et nescio, an adluserit ad historiam. Ælianus, Variar. XIII, 22, refert : Galaton pictor Homerum depixit vomentem, aliosque poetas, quæ evomuerat, haurientes.

Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est diducere rivos,
Unius fecunda bonis: sed proximus illi
Hesiodus memorat Divos, Divumque parentes,
Et Chaos enixum terras, orbemque sub illo
Infantem, et primum titubantia sidera corpus;
Titanasque senes, Jovis et cunabula magni:
Et sub fratre viri nomen, sine fratre parentis,
Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum,
Omniaque immenso volitantia numina mundo.

10. *Diducere.* Scaliger, *deducere.*

13. *Et Chaos enixum terras.* Atqui non dicit Hesiodus Terram ex Chao genitam; sed sine origine ponit Chaos, Terram, Tartarum, Amorem. Sic Ovid. Met. I, init. « Ante mare et terras, etc. » Hesiodo Nox et Erebus e Chao orti. Ed.

14. *Et primum titubantia sidera corpus.* Nihil tale in Theogonia Hesiodi. — *Titubantia*, erratica, vagantia, metaphora ab infantibus ducta. Ed. — Bentleius hic: Quomodo sidera primum erant corpus, quum ante illa exstiterant chaos, terræ, orbis? Juvant hic codd. vetusti, qui omnes habent *primum*, non *primos;* unde reponendum censet *primos... partus.* Sed non magis *primi* partus erant quam *primum* corpus: forte scribendum *primo... partu.* Nempe ob recentem originem, nondum certo ordine currentia. Eligat autem lector. Ed.

15. *Titanasque senes, Jovis et cunabula magni.* Olim *Titanas juvisse senis.* Inepta lectio, quam sequitur Fay. De Titanibus nihil in Theogonia, ait Scal. sed perperam; nam eorum ortus, pugnas et pœnas prolixe narrat. Ed.

16. *Sine fratre parentis.* Junonem parentem fuisse sine ope fratris Jovis, et Vulcanum peperisse, unde ἀπάτωρ dictus fuerit, omnis vulgus poetarum cecinit, et ipse Hesiodus, cujus locum male intellexit Scalig. quum negavit illum a poeta testem adferri posse. Lilius Gyraldus, ut probet Vulcanum sine patre ex sola Junone natum, producit ex Hesiodo οὐ φιλότητι μιγεῖσα, quem Scaliger legebat ἐν φιλότητι μιγεῖσα. « Juno Vulcanum nullo commixta in Amore Edidit ». Nimirum illum versum Hesiodi vertebat.

17. *Atque iterum patrio.* Ex Jove quidem et Semele natum Bacchum Theogonia Hesiodi canit, sed non adsutum femori patris, quod hic indicatur. Quare aut falsus est memoriæ Manilius, quum hæc scriberet, aut aliam Theogoniam ab hac vulgata ab Hesiodo scriptam esse necesse est; quod falsum est. An dicemus sub ejus nomine Deorum origines olim exstitisse, ex quibus hæc hauserit Manilius? Nam heroicæ origines sub ejus nomine citantur: ex quo opere luculenti versus de formicis in homines incolas Æginæ conversis, citat Scalig. Non enim credendum Manilium adeo obliviosum, ut in tot exem-

Quin etiam ruris cultus, legesque rogavit,
Militiamque soli: quod colles Bacchus amaret,
Quod fecunda Ceres campos, quod Pallas utrumque,
Atque arbusta vagis essent quod adultera pomis:
* Silvarumque Deos, sacrataque numina nymphas,
Pacis opus, magnos naturæ condit in usus.
Astrorum varias quidam dixere figuras,
Signaque diffuso passim labentia cælo
In proprium cujusque genus, caussasque tulere:
Persea, et Andromedæ pœnas, matremque dolentem,
Solventemque patrem, raptamque Lycaone natam,
Officioque Jovis Cynosuram, lacte Capellam,
Et furto Cycnum, pietate ad sidera ductam
Erigonen, ictuque Nepam, spolioque Leonem,
Et morsu Cancrum, Pisces Cythereide versa,

plis eum ratio fugerit, nec tam impudentem, nt quæ non erant, posteritati persuadere voluerit.

19. *Quin etiam.* B. pro *rogavit* reponit *novandi.* Nam, iuquit, rogare leges recte dicitur, sed quid est rogare cultus, rogare militiam? Responderi potest hauc ellipsin esse. Ita Virg. Georg. I, 92: « ne tenues plnviæ...et Boreæ penetrabile frigus adurat ». *Pluviæ non adurunt*, sed sohaudiendum *noceant.* Pingr. — Ex Plinio et aliis Veteribus citatur Hesiodus in Astrologia, et ex ea petuntur tempora, quæ messor, quæ durus arator haberet: sed alia Geoponica scripsisse præter Ἔργα καὶ Ἡμέρας, quæ hodie exstant, neque ullus Veterum prodidit, neque verum est.

29. *Solventemque patrem.* Ea non est astrothesia Cephei, ut solvat filiam vinctam. Non intelligere se dicit Scal. Huetius interpretatur de Perseo, licentia patris, Andromedam solvente. Sed melius B. *solantem*, quod conjecerat Scal. et dat Venet.—Pro *raptam* B. *raptu*, male.

30. *Officioque Jovis Cynosuram.* Ambæ nntrices Jovis fuerunt, Helice sive Cynosura, et Æx, quæ et Amalthea. Altera cunas motavit, altera lac præbuit.

31. *Et furto Cycnum.* Germ. Arat. Phæn. « Cycnns de thalamis candeus qui lapsus adulter Furta Jovis falsa volucer sub imagine texit ».

32. *Spolioque Leonem.* Quid intelligat nou docent nos mythologi Hyginus et scholiastes Germanici. Nam spolium ipsum Hercules gestavit. Huet. ob pugnam, qua leo spoliatos ab Hercule est. Ed.

33. *Et morsu Cancrum.* Habes apud mythologos. Germanicos quoque in ἀνεκδότοις meminit: « Te quoque, fecundam meteret qunm cominus Hydram Alcides, ausum morsu con-

Lanigerum victo ducentem sidera ponto,
Cæteraque ex variis pendentia casibus astra
Æthera per summum voluerunt fixa revolvi.
Quorum carminibus nihil est nisi fabula cælum,
Terraque composuit cælum, quæ pendet ab illo.
Quin etiam pecorum ritus, et Pana sonantem
In calamos, Sicula memorat tellure creatus:
Nec silvis silvestre canit, perque horrida motus
Rura serit dulces, Musasque inducit in arva.
Ecce alius pictas volucres, et bella ferarum,
Ille venenatos angues, hic nata per herbas
Fata refert, vitamque sua radice ferentes.
Quin etiam tenebris immersum Tartaron atrum
In lucem de nocte vocant, orbemque revolvunt
Interius versum, naturæ fœdere rupto.
Omne genus rerum doctæ cecinere Sorores:

tingere, bello Sidere donavit, Cancer, Saturnia Juno».

35. *Cæteraque ex variis pendentia casibus.* Nam casus et caussas omnes adsignavit omnibus astris Eratosthenes in Astronomicis mythologumenis. Aratus vero rarissime fabulas delibat: adeo ut in quo Astronomiam Hesiodi imitatur, intra fabularum licentiam hoc faciat. Multa enim ex mythologiis circumcidit atque amputat. Id confirmatur venustissimo in eum epigrammatio, quod apud Achillem Statium exstat; ubi disertim ait Aratum ex Hesiodi Astronomico suavissima deflorasse: cætera fastidiosa, puta mythologica, omisisse et insuper habuisse; Phænomena enim Arati ex Enoptro Eudoxi traducta, Hesiodi tessellis vermiculata fuerunt.

38. *Terraque composuit cælum.* Nam ridiculum est, terram mundi punctum cælum videri peperisse. Itaque irridet Hesiodeum illud: Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ Οὐρανὸν ἀστερόεντα.

39. *Ritus partorum* B. sed male.

42. *Dulces, Musamque inducit in antra.* Absurde omnes *auras*. Scal. *arva*, sed præcedit *Rura*. Sic Claud. IX, 10: «Terpsichore..... molles duxit in antra choros».

43. *Ecce alius pictas volucres*, etc. Æqualis eorum temporum, Ovidii familiaris Æmil. Macer ὀρνιθογονίαν scripsit, ὀφιογονίαν, et ῥιζοτομικά· quod hic tangit Manilius. Sed Theriaca Nicandri videtur designare. — *Et bella ferarum.* Cynegetica illis temporibus scripsit Gratius. Vid. Proœm. de Gratio, huj. op. tom. I, p. 14. Ed. — B. *ac sæcla ferarum.*

46. *Immersum Tartaron atrum.* Vestigia veræ lectionis exstant in Gemblacensi: *Tartara natram.* Puto

Omnis ad accessus Heliconis semita trita est.
Et jam confusi manant de fontibus amnes,
Nec capiunt haustum, turbamque ad nota ruentem.
Integra quæramus rorantes prata per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris,
Quam neque durato gustarint ore volucres,
Ipse nec æthereo Phœbus libaverit igni.
Nostra loquar : nulli vatum debebimus orsa.
Nec furtum, sed opus veniet, soloque volamus
In cælum curru : priva rate pellimus undas.
  Namque canam tacita Naturam mente potentem,
Infusumque Deum cælo, terrisque, fretoque,
Ingentem æquali moderantem fœdere molem ;
Totumque alterno consensu vivere mundum,
Et rationis agi motu; quum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.
  Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, et imposito pareret tota magistro,

innni, qui de necromantia scripserunt, aut raptum Proserpinæ. Simile est Lncilii Junioris in luculento poemate de Ætna, v. 74, 75 : « vates Sub terris nigros viderunt carmine Manes ».

53. *Integra quæramus*. In eamdem sententiam Lucretius, IV, 2 : « juvat integros accedere fontes ».

58. *Soloque volamus In cælum curru*. Sic paullo post vs. 139 *Verbere agam currus non occursantibus ullis*. — *In campum curru* B. et *cælum* a librariis interpolatum putat ob verbum *volamus*. Sed campus currui idoneus, ut mare navi, et sæpe poetis currus in campo volitare dicti sunt. Ed.

59. *Priva rate*. Quod a Manilio est. Apud Tertullian. de Spectacnl. lib. VII : « Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privum consistorium impudicitiæ ». Melins ita legerim, quam *privatum*. At in libro de Pœniteutia privatum dixit pro proprietate, cap. 11 : « cur pœnitentiam invadit delinquentium privatum ? » id est, proprietatem. Horat. Epist. I, 1, 93 : « locuples ducit quem priva triremis ».

63. *Quum spiritus unus Per cunctas habitet partes*. Hic sane Stoicis majori ex parte addictus est Noster.

65. *Atque irriget orbem*. Eadem tralatione *ignes irrigui*, et *carmen irriguum* in Ætna ; et Noster, III, 4, *irriguos cantus*.

Ac tantum mundi regeret prudentia censum,
Non esset statio terris, non ambitus astris,
Hæreretque vagus mundus, standoque rigeret:
Nec sua dispositos servarent siderà cursus,
Noxque alterna diem fugeret, rursumque fugaret:
Non imbres alerent terras, non æthera venti,
Nec pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontes: nec staret summa per omnes
Par semper partes æquo digesta parente:
Ut neque deficerent undæ, nec sidera nobis,
Nec cælum justo majusve minusve volaret.
Motus alit, non mutat opus: sic omnia toto
Dispensata manent mundo, dominumque sequuntur.
  Hic igitur Deus, et Ratio, quæ cuncta gubernat,
Ducit ab æthereis terrena animalia siguis.
Quæ cogit, quamquam longo submota recessu,
Sentiri tamen, ut vitas ac fata ministret
Gentibus, ac proprios per singula corpora mores.

69. *Regeret prudentia censum*, non *sensum*, scripsit Manilius; ut jam in primo lib. v. 12: «et rapit æthereos per carmina pandere sensus». Apud Gellium quoque in Favorini declamatione legendum: «cælestium rerum censu atque ductu»; quamquam vulgata lectio defendi potest.

70. *Non esset statio terris.* Terra non immobilis foret; neque circulari motu raperetur cælum.

71. *Standoque rigeret.* Rigere, non de frigore intellige.

75. *Nec flumina pontum.* Juxta eos, qui ex solo fluminum conventu ac confluvio mare constare dicunt.

76. *Nec pelagus fontes.* Scatebras fontium nihil aliud esse, quam maris secretos calles sub terra rimantis latices colatos exuta salsugine, et alii Veterum prodiderunt.

78. *Nec sideret orbis* reponit B. et explicat: Ut nec mare deficeret; nec ita exundaret, ut orbis, sive terra infra mare sideret. *Sidera* nobis vitiosum videtur. Nam Sol et Luna sidera sunt, et tamen in eclipsibus deficere dicuntur. Ed.

83. *Ducit ab æthereis.* A corpore æthereo alteratio manat. Permanat autem in totam terram, atque ea, quæ terram et ætherem interjecta sunt. Elementa, quæ infra Lunam sunt, ea et continentur, et mutantur a motu corporis ætherei: continent autem, et mutant inferiora, terram, aquam, omnia, quæ in eis sunt, animantes et plantas.

85. *Vitas ac fata ministret.* Fata de obitu, morte intelligit Scal. Ed.

Nec nimis est quærenda fides : si temperat arva
Cælum, si varias fruges redditque, rapitque;
Si pontum movet, et terris immittit et aufert:
Atque hæc seditio pelagus nunc sidere Lunæ
Mota tenet, nunc diverso stimulata recessu,
Nunc anni spatio Phœbum comitata volantem:
Si submersa fretis, concharum et carcere clausa
Ad Lunæ motum variant animalia corpus;
Et tua damna, tuasque imitantur, Delia, vires:

87. *Si temperat arva.* Quod enim cælum moveat et adficiat varie corpora nostra, exemplo rerum vulgarium et tritarum docet. Hæc est Manilii mens. Quamvis siderum vis a nobis remotissima est, tamen certissimum est, ab illis in terra omnes mutationes dimanare; ut longius non sit petenda fides; quandoquidem eodem modo et mutationes temporum, cæli et maris manifesto videamus. Idem argumentum persequitur Ptolemæus ad verbum; cujus locum adducit Scal.

89. *Sic* ubique pro *si* Scal. male.

90. *Atque hæc seditio.* Locus apud Scalig. inquinatissimus. Hæc seditio pelagus nunc sidere lunæ mota tenet. Sed maria ipsa sunt mota sidere Lunæ : atque hoc postulat et ratio et Manilii propositio. Unde Scalig. conjecit, *Atque hæc seditio pelagi nunc sidere Lunæ Mota tumens.* Sed mox, ut nos dedimus, minori mutatione Gemhl. habet *pelagus.* Et quid clarius hac lectione? Seditio tenet pelagus, i. e. augescente lumine Lunæ mota maria occupat, et eodem sidere imminuto in diversum stimulata recedit. — *Atque hæc seditio pelagi.* Æstus. Quod tamquam oscillo rursum prorsum reciprocetur. —*Nunc sidere Lunæ.* De æstu marino agit. Sed cur hæc repetit, qui paullo ante dixerat, « Sic pontum movet, et terris immittit et aufert ». Nam quid illud quoque est, nisi πλημμύρα καὶ ἄμπωτις;

62. *Nunc anni spatio.* Æstus a Luna et Sole, inquit Plinius, sed non addit quomodo. Ego puto hic intelligi maximos æstus in æquinoctiis. Nam æquinoctia a Sole, menses a Luna, quos sequitur variatio æstuum ex diversis Lunæ configurationibus. Totum autem hunc locum ad verbum adumbrant illa Lucani, I, 413 : « an sidere mota secundo Tethyos unda vagæ Lunaribus æstuet horis : Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat ». Ubi habes de Luna et Sole, ut hic; et præterea confirmatur emendatio *sidere Lunæ mota tenet,* quod quidem hic est *sidere Lunari secundo mota et æstuans.*

93. *Si submersa fretis.* Sic declamator ille apud Gellium: « Quoniam viderant terrena quædam inter homines sita cælestium rerum censu atque ductu moveri : quale est, quod Oceanus quasi Lunæ comes cum ea simul senescit adolescitque ».

Tu quoque fraternis sic perdis in oribus ora,
Atque iterum ex iisdem repetis: quantumque reliquit,
Aut dedit ille, refers: et sidus sidere constas.
Denique si pecudes et muta animalia terris,
Quum maneant ignara sui, legisque per ævum,
Natura tamen ad mundum revocante parentem,
Adtollunt animos, cælumque ac sidera servant,
Corporaque ad Lunæ nascentis cornua lustrant,
Venturasque vident hiemes, reditura serena.
Quis dubitet post hæc hominem conjungere cælo,
Eximiam natura dedit linguamque capaxque
Ingenium, volucremque animum? quem denique in unum
Descendit Deus atque habitat, seque ipse requirit?

96. *Si perdis in oribus ora* dedit B. ex emendatione Bullialdi, et ingeniose quidem *oribus* reposuit: et ut antithesis servetur *perdis* τῷ *repetis* upposuit. *Perdit* Luna sua ora in fraternis uribus, quum in interluniis sive Lunæ silentiis nubis non cunspicitur: repetit ora a novilunio et deinceps. Eadem opponuntur Ovid. Met. IV, 462: « Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas ». Scalig. edidit, *sic reddis curribus ora*. Ed.

98. *Aut dedit ille, refers: et sidus sidere constas.* Quam tibi lucem Sol reliquit, tu terris refers, et tuum sidus illius sidere subjectum est. Alii, *constat*. Ed.

99. Scalig. et hic, *Sic*, vitiose. Quod vero mox ait Noster muta animalia manere sui iguara, confirmat ipse Seneca, de vita beata, cap. 5. Ed.

103. *Corporaque ad Lunæ nascentis cornua lustrant.* De elephantis loquitur. Pliu. VIII, c. 1: « Auctores sunt, in Mauritaniæ saltibus, ad quemdam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente Luna nova, greges eorum descendere; ibique se purificantes solenniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in silvas reverti vitulorum fatigatos præ se ferentes ». Diu etiam et Ælianus amplius.

104. *Venturasque vident hiemes.* Prognostica animalium pete ex Arato, Plinio et aliis. Hiemes autem per Græcismum, id est, tempestates. Quare Bonincontrius interpolavit *venturosque vident imbres*. Atqui generalius hiems, sive tempestas, quam imber. Quas tempestates animalia præsentiunt, ea dicuntur Prognostica, ut sunt illarum avium apud Varronem: « Aut frigidos nimbos aquæ caduciter ruentis Præinnuere aquatilæ Querquedulæ natantes ». At quæ a stellarum ortu petuntur, eæ dicuntur ἐπισημασίαι, Latine siderationes et præsiderationes.

106. *Eximiam Natura dedit.* Subaudiendum *cui*, quod habent alii. Ed.

Mitto alias artes, quarum haud permissa facultas,
Infidas adeo, nec nostri munera census.
Mitto, quod æquali nihil est sub lege tributum,
Quo patet auctoris summam, non corporis esse.
Mitto, quod et certum est, et inevitabile fatum,
Materiæque datum est cogi, sed cogere mundo.
Quis cælum posset, nisi cæli munere, nosse,
Et reperire Deum, nisi qui pars ipse Deorum est?
Atque hanc convexi molem sine fine patentis,
Signorumque choros, ac mundi flammea tecta,
Æternum et stellis adversus sidera bellum,
Ac terras cæloque fretum, subjectaque utrisque
Cernere, et angusto sub pectore claudere posset,
Ni tantos animis oculos Natura dedisset,
Cognatamque sui mentem vertisset ad ipsam,

109. *Quarum haud permissa facultas.* Artes magicas intelligit legibus vetitas. — *Quarum est* Scal.

110. *Infidas.* Infidas vocat, quia in errorem inducere possunt, negatque eas esse sui census munera, quippe quas nec docere vult, nec discere.

112. *Quo patet auctoris summam, non corporis esse.* Summa orbis non materiæ opus, sed Auctoris: atoma Epicuri refellit: sed ait B. differuntne Auctor et corpus? Ed.

114. *Materiæque datum est. Materiæque sat est cogi* Gembl. Sed veteres habent *fatum est*, propius ad nostram lectionem. Ed.

115. *Quis cælum posset, nisi cæli munere nosse.* Scal. *possit, nisi cæli munera nosset.*

119. *Stellis adversus sidera bellum.* Obluctantur enim motui Universi. Nullum tamen est bellum planetis cum cælo.

120. *Ac terras cæloque fretum.* Si sententia aliqua ex istis elici posset, hoc videtur velle, hominem non posse comprehendere terram et mare, nisi Natura oculos animo dedisset. Atqui Manilio sermo est de cælestibus tantum, ad quæ penetrare vis humani ingenii non potuisset, nisi oculos menti Natura dedisset. Ac terras et mare cognoscunt omnes peregrinantes, etiam stupidissimi. Versus iste neque ullam sententiam habet, neque si ulla tolerabilior posset elici, ad ea, quæ tractat Manilius, pertinere potest.

121. Scal. *possit*, ut supra.

122. *Ni tantos animis oculos.* Pingr. *vegetos.* B. *ni tacitos animis stimulos.*

123. *Cognatam sui.* Scilicet mentem homo divinæ rationi similem accepit. — *Ad ipsam*, hoc est, ad seipsam. Familiaris locutio Manilio.

Et tantum dictasset opus? cæloque veniret,
Quod vocat in cælum, sacra ad commercia rerum,
Et primas quas dant leges nascentibus astra?
Quis neget esse nefas invitum prendere mundum,
Et velut in semet captum deducere in orbem?
Sed ne circuitu longo manifesta probentur,
Ipsi res operi faciet pondusque, fidemque :
Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.
Rite sequenda via est, a veris tradita caussis :
Eventusque datur, qualis prædicitur ante.
Quod Fortuna ratum faciat, quis dicere falsum
Audeat, et tantæ suffragia vincere sortis?
Hæc ego divino cupiam quum ad sidera flatu
Ferre, nec in terram, nec turbæ carmina condam:
Sed, solus vacuo veluti vectatus in orbe,

124. *Et tantum dictasset*, non *ditasset*. Sane homo ad cognoscendum naturæ opus ineptus erat, nisi Natura dictasset illi, et ejus explorationibus facem præbuisset.

126. *Et primas quas dant leges*. Scal. maluit *Et privas :* sed spurius est versus. B.

127. *Quis neget esse nefas*. In lib. I, 28 : « Quis foret humano conatus pectore tantum, Invitis ut Diis cuperet Deus ipse videri ».

128. *Deducere in orbem*. Proverbialiter dictum putat Scalig. pro cogere in ordinem, quod miratur Pingr.

130. *Ipsa fides operi faciet* B. ex vulgatis habet : sed quis credat Manilianum esse, Ipsa fides faciet fidem ? Unde mutat Scal. *Ipsi res operi faciet*. Rem tibi auctorem dabo, ut Plautus loquitur. Dabo tibi veritatem ipsam prius prædictam, ac creditam, quam eveniret.

131. *Nam neque ducitur*. In lib. I, vs. 548 : « docet Ratio, cui nulla resistunt Claustra, nec immensæ moles, ceduntque recessus ».

132. *Rite sequenda via est*. Gemb. « Rite secunda via est, ac veris credita caussis », quod Scalig. interpretatur ; Via, quæ fidem facit, secunda est, plana ac facilis, quia probata est veris caussis. B. autem *Arte secanda via est, a veris tradita caussis*, et explicat : In prædictionibus astrologicis procedendum est secundum artis regulas, a Chaldæis ex veris observationibus traditas.

133. *Eventusque datur*. Hanc doctrinam accurate refutat Pingr. nota ad hunc versum, t. I, p. 129. Alii *datus*. Ed.

135. *Suffragia vincere sortis*, Utrumque verbum comitiale.

137. Scalig. *nec in turbam*. Sed hæc idem significant : condere carmina *turbæ*, vel *in turbam*.

Verbere agam currus, non occursantibus ullis,
Nec per iter socios commune regentibus actus.
Sed cælo noscenda canam, mirantibus astris,
Et gaudente sui mundo per carmina vatis:
Vel quibus illa sacros non invidere meatus,
Notitiamque sui, minima est quæ turba per urbem.
Illa fluit, quæ divitias, quæ diligit aurum,
Imperia, et fasces, mollemque per otia luxum,
Et blandis diversa sonis, dulcemque per aures
Adfectum, ut modico noscenda ad fata labore.

139. *Verbere agam currus.* Ita currus verbere instigabo, ut nemo mihi occursurus sit. *Verberagam* scriptum fuerat in archetypo, unde omnia illa, quæ hodie exstant, Manilii descripta sunt exemplaria. — Ingeniose B. et Pingr. *Liber agam*, quod in textum fere recipiam. Ed. — *Verbere agam currus.* Homericum: μάστιξεν δ' ἐλάαν. — Cæterum B. tribus versibus demptis ait sensum clariorem emergere: nec in terram, nec turbæ carmina condam: sed cælo noscenda canam. *Veluti* videtur in versu præced. manum adulteram prodere. Quorsum enim *veluti vectatus?* Ed.

140. *Nec per iter socios commune regentibus actus.* Elegantissime. Nec per iter commune duobus vicinis regentibus *actus* socios. Ipsos curruum motus actus significat, non, ut Scaliger putat, sumptum esse a servitutibus prædiorum, itinere et actu. Nam imperiti, qui corruperant, putabant *actus* esse participium. In quo flagro admonendi erant.

141. *Sed cælo noscenda.* Non agam currus, quo alii, sed per ipsum cælum. Qui legebat *Sic cælo*, satis sensum Manilii non adsequebatur; nam repetitio elegantissima est.

143. *Vel quibus illa sacros.* Aut astris solis gaudentibus, aut saltem illis, quibus illa non invidere sacros meatus, h. e. quibus astra vias cælestes patefecerunt.

145. *Illa fluit.* Sic Gembl. quod omnes interpretantur: Illa, scilic. turba numerosa est. Verbum autem *fluere* tali sensu reperiri negant B. et Pingr. atque reponunt: *Illa frequens.*

146. *Et blandis diversa sonis*, vera lectio, quamquam omnes habeant *adversa*, quod ineptum est. In hoc auctore semper, aut certe ut plurimum hæc duo *diversa* et *adversa* commutantur. Diversa blandis sonis sunt cantica modulis diversificata.

148. *Ut modico noscenda ad fata labore.* Optime. Et ita habent editiones, et confirmatur fide Gemblacensis codicis. Quid clarius potest dicere Manilius, quam turbam illam mollem et Musicæ potius quam Astrologiæ natam esse modico labore ad fata noscenda? Quis hæc non intelligit? Ptolemæus ad verbum dixit ἀφερέπονον, loquens de eodem genere hominum.

Hoc quoque fatorum est legem prædiscere fati.
At primum astrorum varia est natura notanda
Carminibus, per utrumque genus; nam mascula sex sunt,
Diversi totidem generis sub principe Tauro:
Cernis, ut aversus redeundo surgat in arcum?
Alternant genus, et vicibus variantur in orbem.
Humanas etiam species in parte videbis :
Nec mores distant. Pecudum pars, atque ferarum

149. *Hoc... fatorum est.* Non omnibus datum est fatorum legem discere. Nam a fato datur, fata discere.

150. *At primum.* A signis Zodiaci caussæ originis et mortis defluunt. Eæ autem proprietates considerantur, aut ex diversa Solis Lunæve, aut astrorum positione; quæ quidem promisit Manilius, sed non exstant. Aut ipsa signa Zodiaci in se ipsis, aut invicem collata, vim quamdam habere dicuntur. Ea igitur primo in se ipsis describit Noster. Et primum respectu generis sunt mascula, feminea, etc. Vide in argumento huj. lib. Hæc Manilius: quibus contenti erimus: nam longe plura sunt apud Firmicum, Paullum Alexandrinum et Arabes. Nos de multis hæc pauca delibavimus explicandi auctoris nostri gratia.

151. B. *Nominibus.* Grammatice loquitur: *notare nominibus* legitima et nota phrasis: sed nihil mutandum videtur; et malui *carminibus.* Ed.—*Nam mascula sex sunt.* Alterna ab Ariete mascula sunt, reliqua feminina. Arabes puto ex Ægyptiorum Myriogenesi etiam sexum in monomœriis signorum notant.

153. *Cernis, ut aversus.* Ita digerere hos versus vult Scalig. *Diversi totidem... Alternant genus... Cernis.* Sed nihil necesse est, si post Tauro distinguas. Immo hæc connectenda sunt, *sub principe Tauro : Cernis ut surgat*, scil. Taurus. Ed. — *Cernis.* Taurus aversus surgit, posterioribus, non anterioribus. Ejus enim pars secta prior surgit, quam frons. In lib. IV, 521: « Aversus venit in cælum, divesque puellis ». Cinædicus, quod aversus; et femina, quod dives puellis. Notum illud: « Si tu aversus et adversus, impudicus es ». Male quidam legunt *adversus.* Si Taurus est aversus, quomodo potest esse adversus? —*Surgit in artus.* Scal. *arcum*, et explicat, quia curvus, ut Claud. IX, 1: « Surgeret in thalamum ducto quum Pelion arcu ». Id est, quum Pelion in arcum concameraretur. Sed propius ad mentem Manilii, X, 149: « Umbratura Deam retro sinuatur in arcum Bellua ». Nisi ab eadem mente legerimus *in artum*, quod tamen rejecimus in tom. I, p. 347 nostr. edit. — Alia lectio *in artus*, quam fere vidit Scalig. et confirmatur lib. V, 140: « Taurus in aversos præceps quum tollitur artus ». Ed.

154. *Alternant genus.* B. *secus.* Alternant genus duce Tauro, et sunt feminina. Dux enim femininus, quia surgit aversus.

155. *Humanas etiam.* Secunda divisio signorum, respectu formæ,

Ingenium facient : quædam signanda sagaci
Singula sunt animo, propria quæ sorte feruntur.
Nunc binis insiste : dabunt geminata potentes
Per socium effectus; multum comes addit, et aufert:
Ambiguisque valent, quîs sunt collegia, fatis
Ad meritum, noxamque : duos per sidera Pisces,
Et totidem Geminos nudatis adspice membris.
His conjuncta manent alterno brachia nexu :
Dissimile est illis iter in contraria versis.
Par numerus, sed enim dispar natura notanda est.
Atque hæc ex paribus toto gaudentia censu
Signa meant : nihil exterius mirantur in ipsis,

sunt Gemini, Virgo, Libra, Aquarius. Cætera sunt ferina. — *Nec mores distant.* Sic distinguit Scal. — *Pecudum pars.* Ratione carentia et ferina signa homines ferinos efficere ait. Sed distinguendum fuerit ex illis alia mansueta esse, ut Aries, Taurus; alia immansueta, ut Leo, Scorpius.

157. Veteres habent *quædam signanda.* Omnes *quæ jam.* Scal. vult *etiam signanda*, aut *quin jam*, aut tale quid. Sed bene B. *quædam.* Est enim tertia divisio signorum in singula et bina.

158. *Propria quæ sorte.* Propterea vocantur ἰδιότροπα, Latine singula. *Sors* est τρόπος. Nam imperite editum erat *forte*, ut sæpe alias. Vulgus indoctum nescit distinguere Fortem a Sorte; quæ inter se differunt, ut τύχη et τρόπος.

159. *Nunc binis insiste.* Et est quarta divisio binorum : alia disjuncta, quæ dicuntur conjuncta et paria ; ut Gemini, Pisces. Alia concreta, quæ dicuntur biformia.

161. *Ambiguisque valent, quîs sunt collegia, fatis.* Ea, inquit Noster, plurimum valent ambiguis fatis ad meritum et noxam, quibus sunt collegia duorum corporum; tamquam Gemini sunt collegæ inter se, et Pisces. Itaque hæc signa dicuntur paria, quorum alia sunt respicientia se, ut Gemini; alia aversantia, ut Pisces. Alteri ad concordiam, alteri ad odium pollent. Vide vanæ scientiæ curiositatem.

164. *His conjuncta manent.* Geminorum constellatio connexis brachiis describitur.

165. *Dissimile est illis.* Alter enim Boreus, alter Notius.

166. *Natura notanda est.* B. *positura* reponendum censet, quia Gemini juncti meant, Pisces diversi abeunt. Ed.

167. *Toto gaudentia censu.* Integra, ad differentiam biformium, de quibus mox.

168. *Nihil exterius mirantur in ipsis. In ipsis*, in se ipsis. Manilianum. Nihil alieni habent. Sunt enim duo quidem, sed ejusdem formæ et cognata. Nihil exterius habent, ut

Amissumve dolent : quædam quoque parte recisa,
Atque ex diverso commissis corpore membris,
Ut Capricornus, et hic, qui intentum dirigit arcum
Junctus equo : pars huic oris sed nulla prioris.
Hoc quoque servandum est alta discrimen in arte :
Distat enim, gemina duo sint, duplane figura.
Quin etiam Erigone binis numeratur in astris.
Nec facie ratio duplex : nam desinit æstas,
Incipit autumnus media sub Virgine utrimque.
Idcirco Tropicis præcedunt omnibus astra
Bina, ut Lanigero, Chelis, Cancroque, Caproque,
Quod duplices retinent connexo tempore vires.

Capricornus ex capro et pisce; Centaurus ex homine et bellua.—Pingr. conj. *externi* vel *externum*.

169. *Amissumve dolent*. Non enim dimidiata sunt, ut Centaurus est semiferus homo et semihomo fera: neque totus homo, neque tota fera. — *Quædam quoque*. Est divisio in gemina et biformia. Hæc autem *parte recisa*, quod dimidium alterius animalis habeant.—Bentl. pro *quoque* reponit *sunt*: libri vett. habent *quod*. Ed.

171. *Intentum*. Scal. *tentum*. Sed IV, 788 : « intentos imitatur sideris arcus ». Ed.

172. *Pars huic oris*, etc. Sic Scaliger ex Gemblacensi. B. et recentiores, *Pars huic hominis sed nulla prioris*. Sed huic equo, cui commissus est dimidiatus homo, anterioris hominis nulla pars est. Nam purus equus est dimidius, ut anterior pars purus homo dimidius. — Alii legunt *priori*, et ad Capricornum referunt, scil. Centaurus habet partem hominis : nullam vero Capricornus.

174. *Distat enim*. Quinta divisio duplorum, quæ differunt a geminis, seu paribus : qualia sunt, quæ præcedunt signa tropica, Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces : non utique a forma dicta, sed ab effectu. Duplicem enim habent, qua contingunt et præteriti temporis finem, et principium sequentis : Gemini quidem adfectant ver, et ineuntem æstatem ; Virgo æstatis finem, et principium autumni ; Sagittarius autumnum relinquit, brumam excipit : Piscium alter consummat hiemem ; alter ver sufficit.

176. *Nec facie ratio*. Non quod facie gemina sit Virgo, sed quod gemini temporis confinia tenet, æstatis desinentis, et autumni ineuntis. — Immo alii legunt *Et facie et ratione duplex*. Et Virginem facie duplicem explicant, quod alis voluceribus instructa sit. Hoc confirmat infra v. 661 : « duplicemque in Virgine formam ». Ed.

180. *Quod duplices retinent*, i. e. tempestatum quas conjungunt, ea signa vires simul in se habent.

Ut quos subsequitur Cancer per sidera Fratres,
Ex Geminis alter florentia tempora veris
Sufficit, æstatem sitientem provehit alter.
Nudus uterque tamen, sentit quia uterque calorem:
Ille senescentis veris, subeuntis et ille
Æstatis: par est primæ sors ultima sorti.
Necnon Arcitenens, qui te, Capricorne, sub ipso
Præmittit, duplici formatus imagine fertur.
Mitior autumnus molles sibi vindicat artus,
Materiamque oris. Fera tergo membra rigentem
Excipiunt hiemem, mittuntque in tempora signum.
Quosque Aries præ se mittit, duo tempora Pisces
Bina dicant: hiemem hic claudit, ver inchoat alter.
Quum Sol æquoreis revolans decurrit in astris,
Hiberni coeunt cum vernis roribus imbres:

181. *Per sidera.* Locutio Manilio familiaris.

182. *Ex Geminis alter.* Alter Geminorum dicitur Hercules, alter Apollon. Arabes *Iracleus, Aphellan.* Sed posteritas corrupit in *Abracälens*, *Avellan* et *Avellar.*

185. *Subeuntis et ille.* Scalig. *subeuntis at ille Æstatis pars est: primæ sors ultima parti.* Sed vix ferri possunt hæc: E Geminis alter pars veris est, alter æstatis. Illa vero quæ sequuntur nec constructionem nec sensum habent. Melius ergo Bentleius, quem sequimur. Facile intelligis: ille sentit calorem senescentis veris, ille autem æstatis. Sors prima par est sorti ultimæ. Sic vs. 196 de duobus Piscibus: « Utraque sors humoris habet fluitantia signa ». Ed.

187. *Necnon.* Sic Scal. Sed Gemb. et alius *Nec jam Arcitenens*; unde B. *Quin etiam.* Quid vero illud est *sub ipso Præmittit? Sub ipso* est *post se.* Non potest dici *præmittere post se*; unde conj. B. *Promittit.* Sagittarius nempe Capricornum post se oriturum pollicetur, ut Aries vs. 192: *præ se mittit Pisces.* Cæterum Scal. trajectionem fecit hunc et seq. vers. post 191 postponendo contra codicum fidem, et adversus sententiæ ductum. Ed.

189. *Mitior autumnus molles sibi vindicat artus.* Sagittarius parte hominis, quæ mitior est, respicit autumnum, quæ et ipsa pars anni mitior subeunte hieme. At parte, qua fera est, excipit hiemem.

192. *Tempora Pisces bina dicant.* Ad duas tempestates referri debent.

194. *Revolans decurrit in astris.* Et merito: quis enim antea hæc intelligebat? Quum Sol est in æquoreis astris, in Piscibus scilicet.

195. *Hiberni coeunt cum vernis roribus imbres.* Egregia Scalig. emen-

Utraque sors humoris habet fluitantia signa.
Quin tria signa novem signis conjuncta repugnant,
Et quasi seditio cælum tenet : adspice Taurum
Clunibus, et Geminos pedibus, testudine Cancrum
Surgere, quum rectis oriantur cætera membris.
Nec mirere moras, quum Sol adversa per astra

datio. Nam libri monstrose *quum ver tunc roboris imbres*. Verni rores haud dubie hibernos imbres solent excipere.

196. *Utraque sors humoris habet fluitantia signa. Utraque sors humoris*, imbres et rores. *Fluitantia signa*, Pisces. Merito utrique sorti tam pluendi, quam rorandi Pisces adtributi sunt. — *Utraque sors humoris.* Piscium exortu imbres cieri et Q. Tullius Cicero adtestatur (Astronom. Epigr. huj. op. tom. V, p. 629. Ed.) *Flumina verna cient obscuro lumine Pisces.*

197. *Quin tria signa novem signis.* Quid hoc, ait Bentl. an tria signa, Taurus, Gemini, Cancer, novem cæteris conjuncta sunt, sive proxima? Hoc enim significant *conjuncta*, ut vs. 238 : « Sed sterilis Virgo est, simili conjuncta Leoni ». Unde vult pro *signis* reponere *serie* : sed servari potest, constructione mutata, sc. *repugnant novem signis*. Ed. — *Quin tria signa.* Sexta divisio signorum in jacentia et stantia. Jacentia quidem tria, Taurus, Gemini, Cancer. Reliqua stantia.

198. *Et quasi seditio cælum tenet.* Ortum ex adversis seditionem vocat. Taurus enim clunibus oritur, et aversus, Gemini pedibus, Cancer testudine. — *Aspice Taurum Clunibus.* Quod clunes Tauro tribuat, frustra est. Posteriora enim non habet. Ovidius: « Pars prior adparet, posteriora latent ». Est enim omnino, ut dixi, dimidius; ejusque intercisio in Pleiadas desinit, ut Veteres putabant. Neque vero prudenter ei caudam adtribuit Vitruvius, quum antea inchoatum et imperfectum designasset. Adtribuit ei caudam et Plinius libro II. Sed eadem lascivia caudam interciso adtribuere possunt, qua ursæ, quæ vere nullam habet. Ursi enim habent non caudam, sed loco caudæ epiphysin.

199. *Testudine Cancrum.* Testudinem vocat, ut Græci ψαλίδα. Nam ut ψαλὶς in architectonica est testudineum opus : sic testam Cancri ψαλίδα posse dici auctor Homerus, qui Cancros ψαλιδοστόμους vocat in Batrachomyomachia. Testudinem Latini omnem camerationem : hic vero intellige squammas Cancri.

201. *Ne mirere.* Pulchrum vero commentum : propter formam harum constellationum moras longarum dierum explicat : merito, ut putamus, hæc anilia et futilia Scaligero videntur. Ed. — *Quum Sol adversa per astra.* Nam hæc sidera orienti soli opponere se fingit. Sic et vs. 198 : « Et quasi seditio cælum tenet ». — *Quum Sol adversa per astra.* Bulliald. substituebat *aversa*. Taurus quidem aversus surgit : sed ob id ipsum Sol adversum eum et a fronte incurrit. Vid. Ovid. Met. II, 80. Ed.

Æstivum tardis adtollat mensibus annum.
Nec te prætereat, nocturna diurnaque signa
Quæ sint, perspicere, et propria deducere lege,
Non tenebris aut luce suam peragentia sortem;
Nam commune foret nullo discrimine nomen,
Omnia quod certis vicibus per tempora fulgent,
Et nunc illa dies, nunc noctes illa sequuntur;
Sed quibus illa parens mundi natura sacratas
Temporis adtribuit partes statione perenni.
Namque Sagittarî signum, rabidique Leonis,
Et sua respiciens aurato vellere terga,
Nunc Pisces, nunc Cancer, et acri Scorpios ictu,
Aut vicina loco, divisa aut partibus æquis,
Omnia dicuntur simili sub sorte diurna.

202. *Tardis mensibus*, id est, longioribus.

203. *Nec te prætereat.* Septima divisio in signa nocturna et diurna.

205. *Non tenebris aut luce suam peragentia sortem.* Male ante Scal. *noctem*. Gembl. *peragentia sortem.* Non, inquit, nocturna aut diurna nocte aut die censentur. Nam its vsriarent, et quod æstate diurnum erat, hieme nocturnum foret. Sed perpetuas, inquit, stationes habent.

207. *Omnia per tempora.* Noctis scilicet et diei. Versum sequentem pro spurio habet B. Pingr. hunc inutilem pronuntiat. Ed.

209. *Mundi natura sacratas Temporis adtribuit partes.* Quibus natura sacravit stationes suas singulis. Infra lib. III, vs. 64: « His regimen Natura dedit, propriasque sacravit Unicuique vices ».

211. *Namque Sagittarî*, etc. Signa diurna nunc quidem nominat Manilius: sunt Pisces, Aries, Sagittarius, Scorpius, Leo, Cancer, binis mediis intercepta. Illa autem bina media intercepta nocturna dicuntur. Sed vs. 218 aliam sententiam exponit. Alii diurna esse volunt, quæ mascula, et nocturna quæ feminina. Hæc omnia autem vana esse mutatione nominum, quæ pro variis temporibus signis adtributa sunt, facile demonstrat Pingr. ad h. l. t. I, p. 139. Ed.

212. *Aurato vellere.* Sic Anth. V, 29, in epigramm. Euphorbi, Aries dicitur « Velleris aurati pecus ». Germ. in Arat. Phæn. 540: « Nobilis hic Aries aurato vellere », et ipse Manil. IV, 515. Ed.

213. B. dedit *Tunc Pisces, et Cancer, et acri Scorpios ictu*, et adfirmat *Nunc*, *nunc* hic locum non habere. Hoc certe vett. codices non adserunt. Ed.

214. *Aut vicina loco.* Vel, inquit, vicina loco, vel æquis partibus divisa, nempe binis interjecta. Nam vicina sunt Pisces, Aries, Sagitta-

Cætera sex numero, consortia vel vice sedis
Interjecta locis totidem, nocturna feruntur.
Quin etiam sex continuis dixere diurnas
Castris esse vices, quæ sunt a principe signo
Lanigeri, sex a Libra nocturna videri.
Sunt quibus esse diurna placet, quæ mascula surgunt:
Femineam noctem tutis gaudere tenebris.
Quin nonnulla tibi nullo monstrante loquuntur,
Neptuno debere genus, scopulosus in undis

rius, Scorpius, etc. — *Partibus*, h. e. intervallis.

216. *Cætera sex*. Scal. *Cætera nec numero consortia, nec vice sedis*, quod intelligi nequit. Lectionem Fayi damns, mutata distinctione. B. versum proscribit, et hoc probat Pingr. Stœb. pro *vice* dedit *jure*, vitiose et contra metrum. Ed.

217. *Nocturna feruntur*. Ratio postulat; et Gembl. ita habet.

219. *Esse vices astris*. Gembl. *castris*. Castra quidem Manilius vocat quaslibet stationes in Zodiaco. Sic infra 963: « in extremis subsiduut hospita castris »; et 687: « Ipsis dant fines astris, capiuntque vicissim ». Bentl. tamen repouit *astris*, et eum sequitur Pingr. Ansonius, Carm. CCCLXIX, 27: « Septimus accepit limes rutilantia flammis Recto castra situ ». Ed.—Nunc ait alterum hemicyclium a principio Arietis diurnum; alterum a Libra, nocturnum dici.

220. B. mutat *sex a Chelis*, quod non necesse est. Ed.

221. *Sunt quibus*. Alii masculina vocant diurna, feminina nocturna. Quæ hæc sint signa, dictum est v. 151.

222. *Feminea in noctem*. Sic omnes libri. Scal. male *Femineam noctem;* nullam enim inde sententiam excudas. Bentleius audacter mutat *Femineam sortem*, et pro *tutis* reponit *noctis*. Ovid. quidem Met. VI, 680: « Quatuor illa quidem juvenes totidemque crearat Femineæ sortis ». Sed veteri lectioni constat sensus. Ed.

223. *Quin nonnulla tibi*. Scal. *sibi*, sed hoc pro suspecto habet. Est octava divisio in aquatica, terrestria et ambigua. Et quidem terrestria, Taurus, Gemini, Aries, Arcitenens, Virgo, Leo, Scorpius. Aquatica, Cancer, Pisces. Amphibia autem, Capricornus, Aquarius. — *Tibi* dedit B. Huet. substituebat *satis*. Sed auctor passim lectorem compellat. Ed.

224. *Neptuno debere genus*. Neptunus pro aquis. Ed. — *Scopulosus in undis*. Scopulosus cancer, qui saxosis locis delectatur. Plin. IX, 13. Sed quia idem Plin. IX, 49, cancros dixit mollibus locis vivere, Bentleius hinc mendum hic suspicatur et vult legere *populosus*. Versu enim 232, « Fecundum est proprie cancri genus », et *populosum* cancrum dici contendit, quod sub eo generali nomine species variæ comprehendantur. Ed.

Cancer, et effuso gaudentes æquore Pisces.
Ut quæ terrena censentur sidera sorte,
Princeps armenti Taurus, regnoque superbus
Lanigeri gregis est Aries, hostisque duorum
Prædatorque Leo, et dumosis Scorpius arvis.
Sunt etiam mediæ legis communia signa,
Ambiguus terræ Capricornus, et æquoris undis,
Humida terrenis æquali fœdere mixta:
[Parsque mari nitens fundentis semper Aquarî.]

225. *Et effuso gaudentes æquore Pisces.* Ad Catasterismum Piscium adludit. Nam Pisces in aqua, quæ ab urna Aquarii defluit, dicuntur natare.

228. *Hostisque Deorum.* Ita emendat Scal. sed legebatur vulgo *pontique Deorum*, unde Gronov. Obss. III, 15: « pestisque duorum, quod probabilius, nam sæpe *pestis* a librariis corrumpitur ». Vid. I, 360. Ed. — Fayus contra Scal. et omnes habet *positusque duorum*, quod interpretatur quatuor illa signa, Gemini, Virgo, Libra et Sagittarius, quæ duorum sunt positio, id est, duplici forma constant.

229. *Et* deest in Sc. et supplet B.

230. Post hunc versum alio ordine omnes libri habent hunc *Ambiguus terræ*, etc. quod ut medatur Bentl. vs. 233 omittit, et v. 232 pro *et æquoris* reponit *Aquarius*. Omissum autem versum: *Parsque mari nitens* alio loco traducit; nempe lib. IV, ante vs. 490 nostrum, ubi hiatus quidem est apud omnes. Vide notas nostras ad hunc locum.

231. *Humida terrenis æquali fœdere mixta.* Sic bene Scaliger locum explanavit pro monstrosa lectione *atque illi degere mixta.* Sed Fayus habet *sidere*, quod non probo. Ed.

232. *Ambiguus terræ Capricornus.* Pars enim superior capra est, inferior in piscem desinit; unde anonym. explicabat vs. Ciceronis, Arat. Phæn. 293: « Corpore semifero magno Capricornus in orbe »; et Pingr. ad h. l. notabat piscem esse *ferum*, respectu capræ, quod animal mansuetum est. Ed.

233. *Parsque mari nitens.* Fayus *innitens.* Cæterum an ita pingeretur Aquarius, ut dimidiatus tantum adpareret, equidem nescio, et an Ovid. eo adluserit, Fast. II, 145: « Jam puer Idæus media tenus eminet alvo, Et liquidas mixto nectare fundit aquas ». Nam etiam de dimidiato Aquario oriente intelligi potest. Certe poetæ videntur dimidiatum oriri voluisse. Arat. Phæn. 693, ubi Scal. legit μέσσον pro νέον, quod habent omnes. Ita igitur medius secatur a Zodiaco Aquarius, ut altera pars in Aquilonem, altera in Austrum excidat, profecto oriente illa parte Zodiaci, quæ medium secat, orietur Aquarius media tenus alvo: reliqua pars adhuc erit sub Horizonte, quod Manilio est in mari esse. Sed propterea non satisfit menti Manilii. Nam ipse ait

Non licet a minimis animum deflectere curis:
Nec quidquam rationis eget, frustrave creatum.
Fœcundum est proprie Cancri genus, acer et ictu
Scorpios, et partu complentes æquora Pisces.
Sed sterilis Virgo est simili conjuncta Leoni.
Nec capit aut captos effundit Aquarius ortus.
Inter utrumque manet Capricornus corpore mixto,
Et qui Cretæo fulget Centaurus in arcu:
Communisque Aries æquantem tempora Libram,
Et Geminos, Taurumque pari sub sorte recenset.
Nec tu nulla putes in eo commenta notasse
Naturam rerum, quod sunt currentia quædam,

semper mari niti alteram partem Aquarii, ut sit ambiguum signum terrestre et marinum: ex quo manifesto indicat pingi solitum dimidiatum extra aquas eminentem. Alioqui quomodo ambiguum signum maris et terræ esset? In Kalendariis rusticis Romæ totus expressus est, non dimidiatus. Ovidius intellexit de dimidia parte oriente. In Parapegmate, VI Id. Febr. Aquarius medius oritur.

234. Est nona signorum divisio in fecunda, sterilia et communia. Fecunda censentur Cancer, Scorpius, Pisces. Sterilia Virgo, Leo, Aquarius. Communia, sex reliqua signa.

236. *Fecundum est proprie.* Plin. IX, 31, dicit Cancrum multa ova parere. Scorpius eodem auctore, II, 25: « vermiculos ovorum specie parit ».

238. *Simili Leoni*, i. e. pariter sterili. Plin. VIII, 16: « Semel edit partum, lacerato unguium acie utero in enixu ». Aristoteles autem tradit leænam primo fetu parere quinque catulos; ac per annos singulos uno minus; ab uno vero sterilescere ».

239. *Nec capit*, etc. Aquarius enim puer fingitur. Puer, juvenis et Ganymedes et ephebus adpellatur Nostro, et Arateorum interpretibus. Ed.

240. *Inter utrumque manet.* Quæ neque fecunda, neque sterilia, ea dicuntur communia.

241. *Et qui Cretæo.* Scal. *contento.* Dicitur enim Minois regis Cretæ filius. — *Centaurus in arcu.* Hellenismus. Sic infra 552: « geminumque sub arcu Centaurum ». Sic Cicero: « Homo in tenui re ».

242. *Æquantem tempora Libram.* Sic Q. Cicero de duodecim signis, 8: « æquatque diurna Tempora nocturnis dispenso sidere Libra »; et vid. Noster, I, 267. Ed.

244. *Nec tu nulla putes in eo commenta notasse Naturam.* Libri omnes *vocasse*, unde Bentl. *momenta locasse*, et adducit v. 448: « magna tibi venient momenta futuri ». Recte quidem. Incipit decima divisio in

Ut Leo et Arcitenens, Ariesque in cornua tortus:
Aut quæ recta suis librantur stantia membris,
Ut Virgo et Gemini, fundens et Aquarius undas.
Vel quæ fessa sedent, pigras referentia mentes:
Taurus depositis collo sopitus aratris,
Libra sub emerito considens orbe laborum,
Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in astris.
Strata jacent, Cancer patulam distentus in alvum,
Scorpios incumbens plano sub corpore terræ,
In latus obliqui Pisces semperque jacentes.
Quod si solerti circumspicis omnia cura,

currentia, stantia et jacentia. Currentia sunt Leo, Sagittarius, Aries.

246. Cod. Ven. habet *torvus*.

247. *Aut quæ recta suis.* Stantia sunt Virgo, Gemini, Aquarius. *Librantur* hic dictum, ut in architectonica, quæ recta ad libram in plano collocantur, librari dicuntur; ut apud Cæsarem *machinæ ad libram* dicuntur *destitui*. Apud Ovidium aliud est, Fast. I, 429: « Et jam finitima corpus librabat in herba ». Nam ibi, ut in tormentis, librari lapides et saxa dicuntur.

249. *Vel quæ fessa sedent.* Sedentia sunt Taurus, Libra, Capricornus.

251. *Libra sub emerito considens*, quod proprium a labore in sede se collocantium. Textus Bonincontrii quoque ita habet. Sane accommodatum ad astrothesiam priscam. Libra enim sub figura feminæ sedentis et libram gestantis pingebatur. Ed. — Bentl. pro *emerito* habet *emenso*. Huetius quidem, ut orbem laborum explicet, advocat Virgil. Georg. II, 401: « redit agricolis labor actus in orbem », recte. Sed huic sensui non convenit *emerito*. Noster autem infra v. 836: « Ultimus emenso qui condit sidera mundo »; et IV, 52: « Et tres emenso meritos ex orbe triumphos ». Ed. — *Orbe laborum.* Orbem laborum vocat, quod pensum alii. Quotidianus enim labor redit in orbem. Et operarii laboribus defuncti collocant se quieti, qualis Libra pingitur.

252. *Tuque tuo, Capricorne, gelu.* Et Capricornus quoque contractus pingitur, habita scilicet ratione hiberni temporis, quo Sol illud signum decurrit. Sic Noster, I, 271: « Et angusto Capricornus sidere flexus ». Et procumbens quoque quemadmodum bos, exstabat Capricornus in veteri Kalendario Romano Episcopi Vallensis, teste Scaligero. Ed.

253. *Strata jacent.* Omnes fere *contra jacent*. Bene ex Gemblac. codicis vestigiis correxit Bentleius *strata signa*, ut supra 249 *fessa sedent*. Ed.

254. *Plano sub pectore.* Ita Gemb. et Bentl. Scal. *corpore*. Ed.

256. *Quod si solerti.* Undecima divisio in mutila et integra. Qua-

Fraudata invenies amissis sidera membris.
Scorpios in Libra consumit brachia: Taurus
Succidit incurvo claudus pede : lumina Cancro
Desunt : Centauro superest, et quæritur unum.
Sic nostros casus solatur mundus in astris,
Exemploque docet patienter damna subire:
Omnis quum cælo Fortunæ pendeat ordo,
Ipsaque debilibus formentur sidera membris.
Temporibus quoque sunt propriis pollentia signa.
Æstas a Geminis, autumnus Virgine surgit,
Bruma Sagittifero, ver Piscibus incipit esse.
Quattuor in partes scribuntur sidera terna :
Hiberna æstivis, autumnis verna repugnant.

tuor sunt mutila. — *Scorpios in Libra consumit brachia.* Chelæ Scorpii in Libra consumuntur. Et nos alibi monemus Scorpium occupare partem duorum Dodecatemoriorum : quo nomine duplex dicitur Germanico in Arat. « majorem... Scorpios hinc duplex, quam cætera, possidet orbem, Sidera, per Chelas geminato sidere fulgens ». Unde χηλαὶ Græcis sæpe pro Libra, ut multis locis apud hunc auctorem. Virgil. Georg. lib. I, vs. 34 : « ipse tibi jam brachia contrahit ardens Scorpios, et cæli justa plus parte reliquit ». Hoc est, tibi reliquit locum Libræ. Hinc poeta vetus : « Et Libram, quam Cæsar habet ». Adde quod alludit ad natalem Cæsaris Augusti principio Libræ, IX Kal. Octobres Julianas.

259. *Succidit incurvo.* Taurus enim procumbit, posterioribus carens. Arat. 517 : Ταύρου δὲ σκελέων ὅσση περιφαίνεται ὀκλάξ. Lucan. III, 253 : « Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli, nisi poplite lasso Ultima curvati procederet ungula Tauri ».

260. *Centauro superest.* Pingitur enim dimidiato vultu. Et ita exstat in rustico Kalendario Episcopi Vallensis, quod Scaligeri judicio est elegantius, quam illud, quod etiam viderat in palatio Farnesiano, in quo Sagittarius pleno vultu videbatur, non dimidiato. Apud Juvenal. simile est, Satir. VII, v. 128 : « Et statua meditatur prælia lusca ». Et illic vide quæ adnotata sunt.

265. *Temporibus quoque sunt.* Duodecima divisio eadem cum quinta. Nam signa dupla, quæ in illa tractantur, eadem sunt cum iis, quæ in hac proponuntur, quæ verna, æstiva, autumnalia et hiberna dicuntur.

267. *Esse* omnes. B. *incipit ire.* Ed.

268. *Quatuor in partes scribuntur.* Fortasse *tribuuntur* scripsit Manilius. Sed vulgatam lectionem non improbamus. — *Sidera terna.* Bene omnes. Scalig. *terræ.* Sed hoc nusquam legimus. Tria autem sidera

Nec satis est proprias signorum noscere formas.
Consensu quoque fata movent, et fœdere gaudent,
Atque aliis aliæ succedunt sorte locoque.
Circulus ut dextro signorum clauditur orbe,
In tres æquales discurrit linea ductus,
Inque vicem extremis jungit se finibus ipsa:
Et quæcumque ferit, dicuntur signa trigona,
In tria partitus quod ter cadit angulus astra;
Quæ divisa manent ternis distantia signis.
Laniger e paribus spatiis duo signa, Leonis
Atque Sagittarî, diverso conspicit ortu.
Virginis et Tauri Capricorno consonat astrum.

adsignantur quatuor anni partibus. Veri Aries, Taurus, Gemini, et sic deinceps. Ed.

270. *Nec satis... signorum n. formas.* Nunc transit poeta ad mutuos signorum et diversos adspectus explicandos ab hoc versu ad 435. Nimirum quæ sint trigona, tetragona, etc. docebit. Et primo de trigonis dicit. — *Formas*, Bentleius mutat in *sortes*, quia de viribus et potentiis siderum egit; de formis autem in priore libro.

271. *Consensu... et fœdere*, sive ex adspectibus; *fata movent*, i. e. decernunt.

272. *Atque aliis aliæ.* Sic omnes. Scal. intelligit de formis siderum. B. et Pingr. *Atque alias alia. Alias* adverbium, *alia sorte*. F. *aliis alia*, i. e. sidera ultima, ob cæsuram producta, non male, et quod fere in textum receperim. Ed. — *Sorte*, i. e. viribus et adfectionibus quibus pollent. Ed.

273. *Circulus ut dextro*, etc. B. et Pingr. habent *flexo*. Docet quomodo in circulo zodiacali quatuor æquilaterales trianguli inscribi possint, quorum cujusque anguli signa trigona designent. Sic ab Ariete ducta linea ad Leonem, a Leone ad Sagittarium, et inde rursus ad Arietem, tres angulos efficiet, quorum extremis finibus tria illa signa tanguntur, quæ ideo sibi *trigona* dicuntur. Ed.

276. *Et quæcumque ferit.* Quæcumque ferit, sive percutit latus trigoni, ea dicuntur signa trigona, Quo enim desinit linea, aut quo incipit, dicuntur ea puncta initia trigoni. — *Trigona*, triangula, triangularia.

278. *Quæ divisa manent ternis distantia signis.* Separata et remota a se invicem per tria integra signa. Sic a principio Arietis ad principium Leonis linea ducta facit angularia signa trigona Arietem et Leonem, et tria signa intercepta relinquit, Taurum, Geminos, Cancrum. Ergo signa trigona sunt, quæcumque manent ternis distantia signis.

279. *Laniger e paribus.* Postquam

Cætera sunt simili ratione triangula signa,
Per totidem sortis * desunt quæ condita mundo.
* Sed discrimen erit dextris, seu caussa : sinistra
* Quæ subeunt : quæ præcedunt, dextra esse feruntur.
* Dexter erit Tauro Capricornus, Virgo sinistra.
* Hoc satis exemplo est. At quæ divisa quaternis
Partibus æquali laterum sunt condita ductu,
Quorum designat normalis virgula sedes,
Hæc quadrata ferunt: Libram Capricornus, et illum

docuit, quomodo fiat, et quatenus dicatur trigonum, nunc quæ dicantur trigona, exponit. Qui legebat *ut paribus*, delirare jure dicit Scal. hoc tamen servat F.

283. *Per totidem sortis* prisco more pro *sortes*. Locus desperatus. Gemblac. habet *tortis*. J. Bit. *toto*. Bentl. *partes*. De sequentibus, Pingræus sic : « Omittimus quatuor versus a B. proscriptos, quorum initium non intelligimus; medium vs. 285 brevius repetitur, ultimus est insulsus ». Sic se habent : « Desunt quæ condita mundo... Hoc satis exemplo est ». Fatendum quidem hunc vers. *quæ præcedunt, dextra esse feruntur*, idem sonare cum hoc : « Semper enim dextris censentur signa priora ». Si hæc Manilii sunt, satis fuse discrimen signorum dextrorum ac sinistrorum in trigonis enotavit. Ed. — *Desunt*, hæc supersunt, ait Scal. Reliqua quidem intelligens trigona, quæ omittit. Ed. — Elegantius sane legatur *partes*, omissis his, quæ sequuntur. Sic : « Per totidem partes. At quæ divisa quaternis ». Ita ut a trigonis ad tetragona sit transitio. Ed.

284. *Seu caussa*. Hoc vitiosum B. videtur. Inde corrigit : « Sed discrimen erit dextra an læva : sinistra, Quæ subeunt, etc. » quæ interprete non egent. Melius vero hæc pro irreptitiis habere. Ed.

285. *Quæ subeunt*. Sinistra sunt quæ sequuntur. Illud signum in unoquoque trigono sinistrum dicitur, quod sequitur ad sinistram nostram. Sic et dextrum, quod ad dextram præcedit. Ita v. g. in trigono Arietis Leo huic sinister, Sagittarius dexter. Ed.

287. *At quæ divisa quaternis*. Sc. *diversa*. Sed illi constabat Manilium scripsisse *divisa*. Supra vs. 278 : « Quæ divisa manent ternis distantia signis ». Pro *sunt* B. *stant*, et inf. 736 : « stant astra locata ». Ed.

289. *Designat normalis virgula sedes*. Normalis, linea quæ ad perpendiculum cadit. Hæc in quatuor partes circulum dividit, et efficiuntur signa tetragona. Tria autem in circulo zodiacali inscribuntur tetragona. Ed.

290. *Hæc quadrata ferunt*. Hæc mire ab interpretibus torta. Gembl. mutilus et corruptus. Scal. *Dextra fert Libram Cancer*. F. *Dextra ferunt. Libram Capricornus spectat*. B. et Pingr. sequor. Nam ut supra v. 276 dixerat quæcumque feret linea ter æqualiter ducta *dicuntur signa trigona*, ita quæ æqualibus lateribus

Conspicit hinc Aries, atque ipsum a partibus æquis
Cancer, et hunc læva subeuntis sidera Libræ.
Semper enim dextris censentur signa priora.
Sic licet in totidem partes deducere cuncta,
Ternaque bissenis quadrata effingere signis,
Quorum proposito redduntur in ordine vires.
Sed si quis contentus erit numerasse quadrata,
Divisum ut signis mundum putet esse quaternis,
Aut tria sub quinis signis ornare trigonum,
Ut socias vires et amicos exigat ortus,
Fœderaque inveniat mundi cognata per astra,
Falsus erit : nam quina licet sint undique signa,
Qui tamen ex signis, quæ quinto quoque feruntur

quater ducta sunt, « Hæc quadrata ferunt ». Capricornus autem, Libra, Aries et Cancer sunt signa quadrata seu tetragona. Ed.

292. *Et hunc læva subeuntis Libræ.* Hoc explicat versu sequenti. Incipiat tetragonum a Libra. Libræ dexter Cancer, Cancro Capricornus, Capricorno Aries, Arieti Cancer, quia præcedunt : at Cancro rursus sinistra est Libra inter sequentia.

293. *Semper enim dextris censentur signa priora.* Mirum genus loquendi : signa censentur priora dextris, id est, eo censentur priora, quod dextra sint. — Scaliger errat. Censentur dextris, idem est ac accensentur, adnumerantur. Ed.

294. *Sic licet in totidem.* Hoc, inquit, modo licebit cætera tetragona exornare.

295. *Quadrata effingere.* Sic bene B. Scalig. *quadrate effingere*, minus apte. Tria enim quadrata tantum per XII signa effingi vel duci possunt. Ed.

296. B. mutat in *reddentur.*

297. *Sed si quis contentus erit.* In Gemblacensi titulus huic capiti prænotatus erat : *de mensura eorum signiliter atque partiliter*, et quidem recte. Manilius monet erroris periculum esse, si trigona signiliter describantur: nam si quinque absoluta signa comprehendat latus trigoni, erunt partes CL, quæ excedunt trientem de CCCLX partibus. At si partiliter, hoc est, tertiam partem circuli acceperis, tunc comprehendet quatuor tantum signa absoluta. Exempli gratia si a principio Capricorni, ad finem Tauri, ducatur linea, ea includet quinque signa absoluta. Sed erit latus trianguli isoscelis, non isopleuri, cujus basis erit duorum signorum.

299. *Ornare trigonum.* Quid sit *ornare trigonum* Bentl. non capit, et reponit *formare*. Sic infra 333: «Quadrati si forte voles effingere formam». Ed.

303. *Qui tamen ex signis.* Non statim sequitur, ut trigoni vim sen-

Astra loco, fuerint nati, sentire trigoni
Non poterunt vires, licet illud nomine servent :
Amisere loco dotes, numerisque repugnant.
Nam quum sint partes orbis per signa trecentæ,
Et ter vicenæ, quas Phœbi circuit ardor,
Tertia pars ejus numeri latus efficit unum
In tres producti partes per signa trigoni.
Hanc autem numeri non reddit linea summam,
Si signum a signo, non pars a parte notetur.
Quod quamvis duo sunt ternis dirimentibus astra,

tire possit, qui in signo angulari natus est. Nam quia partiliter figuræ constituuntur, si a xv parte Capricorni, ad xv Tauri, ducatur linea, et fiat trigoni latus : sane qui secunda parte Tauri nascetur, non poterit vires trigoni sentire. Nam ita quatuordecim partes a trigono excluduntur. Scal.

304. *Astra loco*. B. conj. *Posta*, quia astra et signa hic idem sonant. Et Pingr. edidit *Posta*. Lucret. III, 870 : « Semina sæpe in eodem ac nunc sunt ordine posta ». Ed.

306. *Amisere loco dotes*. Eleganter. Nam in exemplo superiori licet Taurus, in cujus secunda parte horoscopus incidit, sit quintum a Capricorno signum; tamen nomine tenus erit trigonum, quatenus signum a signo quintum est, loco autem, id est, si partes Zodiaci spectes, non erit. Amittit enim vires trigoni; quia partes non sunt absolutæ.

311. *Hunc autem numeri*. Quod si a principio signi, ad finem quinti, ducatur linea, latus non efficit summam trientis : excedet enim, utpote quum quinque signa absoluta sint partes cl : quas oportebat esse cxx, ut sint triens circuli. Scal. — Unde sequitur esse rectum a gradu ad gradum in quoque signo trigonum notari. Ed.

313. Scalig. conjecit legendum *Quod quum bis duo sint a dirimentibus astra*. Sed omnes habent *quamvis*. Dirimentia Scaliger intelligit angularia, quibus quatuor media stipantur. Quamvis, inquit, tibi concedam bis duo, sive quatuor signa a punctis dirimentibus esse, tamen latus efficit centum quinquaginta. Nam ex duobus dirimentibus signis, sive angularibus, unum integrum accepisti, quum principium tantum ejus adsumendum esset, non finis. A principio enim signi, ad principium quinti, non autem ad finem quinti, ducenda erat linea. Anguli sunt signa dirimentia; quæ a similibus partibus sumenda sunt. — B. autem habet : « Quod quamvis duo sint, ternis dirimentibus, astra », et sic explicat : Licet duo sint astra, ternis illa separantibus, ut in toto sint quinque signa in singulis trigoni lineis. — Cæterum quod tot versibus auctor ostendit, hoc est : Errabis si in latere trigoni quinque signa nu-

Si tamen extremum lævi, primumque prioris
Inter se conferre voles, numerumque notare,
Ter quinquagenas implebunt ordine partes.
* Transibit numerus formam, finesque sequentis
Consumet ductus: licet ergo signa trigona
Dicantur, partes non servant illa trigonas.
Hæc eadem species fallet per signa quadrata:
Quod, quum totius numeri, qui construit orbem,
Ter triginta quadrum partes per s'dera reddant,
Evenit ut, prima signi de parte prioris
Si partem ad summam ducatur virga sequentis,

meraveris. Nam tertia circuli pars est graduum 120; quinque autem signa efficiunt 150 grad. Ed.

314. *Si tamen extremum*. Si tandem a principio signi primi anguli, ad finem signi secundi anguli numeres, puta a principio Capricorni, ad finem Tauri, confiet numerus CL partium, hoc est, ut ipse loquitur, ter quinquagenum partium.

317. *Transibit numerus formam*. Formam trianguli. Nam non amplius erit isopleuron, sed isosceles. Sic Censorino dicitur hexagoni lateralis forma. Sic infra, vs. 333: « Quadrati si forte voles effingere formam ». Scal. — *Finesque sequentis Consumet ductus*. Ductus, hoc est, linea illa consumet etiam sequentis lateris principia. Triginta enim ille auferet gradus. Sic et Pingr. interpretatur. Hæc confudit Fayus. Ed. — *Ductus* hic est linea: tractus ipsius lineæ. Supra, 274: « In tres æquales discurrit linea ductus ».

318. *Licet ergo signa trigona Dicantur*. Licet trigonorum more quina signa in latere habeant, tamen non servant legem partium trigoni.

320. *Hæc eadem species fallet*. Similiter, inquit, errabis si in latere quadrati quatuor signa integra numeres. Nam gradus 90 habeas oportet pro latere quadrati, quatuor autem signa efficient 120 gradus. Ad hæc bene notat Scalig. Quid autem moverit Manilium, ut rem tam puerilem tam anxie notarit, equidem caussam comminisci non possum. Nam a principio signi, ad principium signi, et partis, ad similem, fit ductus. Valde bardum esse oporteret, qui aut erraret; aut quintum signum, quinque signa putaret esse. Nugatiora sunt hæc. — Hæc tamen excusant Huetius et post eum Pingræus, qui in his fecundum Manilii miratur ingenium. Ed.

322. *Ter triginta*. Sic omnes habent. Displicet Bentleio ultima in *triginta* correpta: reponit *nongentæ*. Sed *nongentæ* sunt 900 non 90, quod mirum est non adtendisse doctissimum virum. Nominum autem in *ginta* ultimam aliquando corripuerunt, non Veteres tantum, ut Lucilius, sed Martialis et Ausonius. Pingr.

Bis sexagenas faciat: sin summa prioris,
Et pars confertur subjuncti prima, duorum
Signorum medium numerus transitque refertque;
Triginta duplicat partes, pars tertia deerit;
Et quamvis quartum a quarto quis computet astrum,

325. *Bis sexagenas faciat. Sin summa prioris.* — Ante Scal. *sua* pro *sin*. Gemblacensis retinet vestigia veræ lectionis: *Bis sexagenas faciat in summa prioris.* — *Sin summa prioris*. Ecce iterum urget nos incommodo. Si quadratum a fine dextri signi ad principium sinistri putetur; quamvis a xxx parte Capricorni, ad primam Arietis, quatuor signa numerantur: tamen duo intercepta media includentur in latus, duo extrema excludentur. Ita latus erit bis tricenarum partium. Summæ deerit triens. Tricena enim hæc deerunt, quæ priori summæ, hoc est, summæ prioris exempti superabant. Sane hanc Manilii περιεργίαν amare non possum. Quis enim illi concedat ab ultima Capricorni, ad primam Arietis, quatuor signa comprehendi? Sunt enim sexaginta partes tantum exclusive, sexaginta et una inclusive, ut vulgus loquitur. Nam dodecatemoriorum habenda est ratio. Dodecatemoria vero in quavis parte circuli, unde unde incipias, reperiuntur. A quacumque parte circuli tria continua dodecatemoria acceperis, trientem circuli absolveris. Is numerus, quem præscribit, constare non potest nec in trigono, si a prima Capricorni, ad tricesimam Arietis numeraveris: quatuor enim tantum signa erunt: neque in tetragono, si a prima Aquarii ad tricesimam Arietis. Nam tria tantum erunt. Et tamen et trigono, et tetragono suus constabit partium numerus, quamvis signorum non constet, ut vult Manilius. Præterea quum figurationes illæ a numeris vocentur, sextilis a sex, quadrata a quatuor, triquetra a tribus, dimidiatus circulus a sex: si sextilis habeat duo signa, quadrata tria, triquetra quatuor, opposita sex, et signa illa per numerum figurationis multiplicentur: ea integrabunt circulum, hoc est, XII signa Zodiaci, bis sex, ter quatuor, quater tria, sexies duo.

326. *Et pars confertur subjuncti.* Olim *subjunctis*, ineptissime, vel potius nullo sensu. Angulus dexter vocatur prior. Ergo lævus vocatur subjunctus merito.

327. *Signorum medium numerus transitque, refertque.* Sic Scal. et F. Mirum loquendi genus, inquit Scal. Signorum medium, media signa. Fortasse legendum *numerum*. Ita erit τὸ *medium* pro mediorum. Sed Bentl. hanc emendationem coarguit, legitque: *Signorum in quadro numerum*. Nempe ex quatuor signis in latere quadrati, duorum numerum omittit, duorum computat: ut 60 tantum partes sint, desint 30. — *Transitque refertque*, i. e. transita signa refert. Transitorum refert numerum. Transita signa vocat intercepta. Infra, v. 368: « Alterius ductus locus est per transita signa », i. e. per signa omissa, ut explicat Bentl. Ed.

Naufragium facient partes unius. In ipsis
Non igitur satis est signis numerasse trigona,
Quadrative fidem cæli per signa quaterna;
Quadrati si forte voles effingere formam,
Aut trinis paribus facies quum membra trigoni.
Hic poscit quintam partem centesima summa :
Illic amittit decimam : sic convenit ordo.
Et queiscumque quater junctis favet angulus usque,
Quæque loca triplici signarit linea ductu,
Quum signata viæ linquet dispendia rectæ,

330. *Naufragium facient partes unius. In ipsis.* Hanc distinctionem non observarunt B. et Pingr.

331. *Non igitur satis est signis.* Non satis est signiliter καὶ ζωδιακῶς putare formas.—Melior videtur B. lectio : « Non igitur satis est quinis numerasse trigonum, Quadrative fidem quæri per signa quaterna ». Latus enim trigoni quinis signis clauditur : quadrati, quaternis. Vid. supra v. 278, 299, 302. Cæterum vix dici potest numerare fidem quadrati; sed « non satis est fidem quadrati quæri », h. e. tentari, explorari, examinari. Sic vs. 583 : « Quum fortuna fidem quærat, vix invenit usquam ». En.

334. *Facies quum membra trigoni.* Sic Gembl. recte.

335. *Hic poscit quintam.* Manifestum mendum deprehendimus olim *quartam* pro *quintam*. Sed et Gemblacensis agnoscit *quintam*. Hic, inquit, hoc est in trigoni finitione centesima summa poscit quintam partem. Centesima enim pars cum quinta centesimæ parte, quæ est xx, facit 120, quæ sunt partes in latere trigoni isopleuri. Illic, h. e. in tetragono, centesima summa amittit decimam. Decima centenarii x : ergo fient xc in latere quadrati.

337. *Et queiscumque quater junctis.* Olim *cunctis*. B. habet *junctus*. Angulus in quadrato *quater junctus*. Sic antea de linea in trigono, vs. 275 : « Inque vicem extremis jungit se finibus ipsa ».

338. *Quæque loca in triplici.* Τὸ *in* abundat. Positio in sequenti, ut III, 277, apud Scalig. 459 : « Ne magna brevibus careant compendia dictis ». Sed negat Bentleius Nostrum hac licentia uti.

339. *Quum signata viæ.* Elegantissime dictum, inquit Scalig. hoc est, ubi coit angulus. Angulus est compendium viæ : quia arctatur, et brevior fit superficies. Sed Bentleius hoc sensu omnino cassum dicit. *Dispendia rectæ viæ* nusquam, nisi hic, audita sunt : quum linea recta sit omnium inter duos terminos brevissima. *Compendium* viæ et itineris fit, quum recta itur. *Dispendium*, quum circuitu itur. Quid vero recurrit *signata*, quum proximo versu habuerimus *signarit*. Unde reponit : « Quum curvata viæ linquet compendia rectæ ». *Curvata*, linea scilicet, quia tribus curvatu-

His natura dedit communi fœdera lege,
Inque vicem adfectus, et mutua jura favoris.
Quocirca non omnis habet genitura, trigonos
*Consumet ductus. Licet ergo signa trigonæ
*Dicantur partis, non servant illa trigonis
Consensum signis, nec, quum sint sorte quadrata,
Continuo inter se servant commercia rerum.
Distat enim, an partes consumat linea justas,
Detractetve modum numeri, quem circulus ambit,
Nunc tres efficiat, nunc quatuor undique ductus,
Quos in plura jubet ratio procedere signa

ris tres angulus facit. Sic infra vs. 363: « Sexque per amfractus curvatur virgula in orbem ».

340. *His natura dedit.* His cum *quiscumque* vel *queiscumque* conjungendum bene viderunt F. et Pingr. Alii *fœdere legem*. Ed.

342. *Quo circa non omnis habet genitura, trigonos Consumet ductus.* Deest τὸ *quæ*. Ut supra: « Ingenium Natura dedit », id est, cui ingenium Natura dedit. Nisi dicamus *habens* non *habet* legendum esse, et ita edidit Fayus. Sed Bullialdus vult corrigere *Quocirca non omnis habet genitura trigoni Consimiles ductus.* Sed omnes frustra, ait Bentl. Nec sine ratione notat illusisse Scalig. et aliis librariorum incuriam, qui duos versus quos supra habuimus 318 et 319 huc iterum intruserunt. Quibus sublatis, locus sanus est: « Quocirca non omnis habet genitura trigonis Consensum signis ». Ed.

343. *Licet ergo signa trigonæ Dicantur partis.* Signa trigonæ partis, id est, signa partis trianguli. Nam profecto Aries et Leo sunt signa trigonæ partis, sive trigoni lateris. Sed non statim erunt trigona, nisi a parte, ad similem partem numerentur.

345. *Nec quum sint sorte.* B. habet *quum sunt forte. Sunt* veteres omnes. Pro *sorte* Gembl. habet *forte*. Vult Manilius: non in trigoni latere quinque signa, nec in quadrati quatuor signa, consensum et commercium semper inter se habent, nisi ita sint sita, ut justa distantia servetur: scilicet ut in trigono sit partium 120, in quadrato 90; et ductibus continuatis integer circulus completur. Ed.

347. *Distat enim, an partes consumat linea justas, Detractetve modum numeri.* Bentl. omittit *an*, et habet *Detrectetne*. Plurimum, inquit, interest, an linea, quæ aut trigonum, aut tetragonum facit, consumat justas partes, et partiliter accipiatur: an vero detractet numerum totius circuli, quum scilicet in plura signa procedit, quam ratio numeri per totum orbem postulat.

348. *Detractetque.* Melius ad mentem Manilii *Detractetve*. Detractare, vel ut alii scribunt, detrectare, idem quod primigenium Detrahere.

Interdum, quam sunt numeris memorata per orbem.
Sed longe major vis est per signa trigoni,
Quam quibus est titulus sub quarto quoque quadratus.
Altior est horum submoto linea templo:
Illa magis vicina meat, cæloque recedit,
Et propius terras accedit visus eorum,
Aeraque infectum nostras dimittit ad auras:
Deviaque alternis data sunt commercia signis,
Mutua nec magno consensu fœdera servant,
Invita angusto quod linea flectitur orbe.

352. *Sed longe major.* Quatenus forma differant signa, docuit: nunc, quatenus viribus. Longe, inquit, major vis trigoni, quam tetragoni. Quo enim propior nobis linea fuerit, eo efficacior. Quo major linea, eo ab arcu suo remotior, et centro suo propior. Subtensa in trigono remotior est ab arcu suo, quam in tetragono. Ergo nobis propior, qui centri vicem obtinemus. Efficacior igitur. — *Vis est per signa trigoni Quam quibus..... quadratus.* Vide orationis seriem. Vis major est trigoni quam quibus. Cur non *quorum*, casu genitivo. Deinde quid est *titulus quadratus?* unde reponendum *trigonis* et *quadratis*. Gembl. habet *quadratis* pro varia lectione Lipsiensis in textu. *Quibus titulus est quadratis*, ut Virgilius, Georg. IV, vs. 271: « Cui nomen Amello fecere agricolæ ». BENTL.

354. *Submoto linea.* Linea, nempe subtensa. *Templo*, arcu suo. *Horum*, tetragonorum. Sic infra vs. 667: « Sic quæcumque manent quadrato condita templo ».

355. *Illa magis vicina.* Linea trigoni.

356. *Et propius terras.* Sic omnes habent. Bentl. tamen reposuit *terris*, quod quidem solet Noster, ut in his: *accedere Geminis*, *Centauro*, *gradibus*, etc. Sed *accedere terras* ferri potest. ED.

357. *Dimittit ad auras.* B. reponit *demittit*. ED.

358. *Deviaque alternis.* Inepte hæc disjungunt a superioribus vulgatæ editiones. Nunc ad hexagona pergit. Sexta pars circuli LX, quot partium latus hexagoni. Devia vocat, quia eorum linea remotissima: ideoque obliquus eorum adspectus, ac minimus inter se consensus. Nove autem *alterna* pro binis dicit: ut et Censorinus, qui latera hexagoni alternas lineas vocat. — Pro *Devia* Gembl. habet in textu *Dubiaque*, superne autem, et pro correctione *Deviaque*. Et Bentl. quæ sint *devia commercia* se nescire ait. Ideo reponit *At dubia*, et *Dubia commercia* explicat non fida et certa, neque ut v. seq. *magno consensu servant*. ED.

360. *Invita angusto.* Invitam lineam obliquam dicit. Quo magis lineæ a diametro recedunt, eo obliquiores. Orbem circumferentiam dicit.

Nam quum per tales formantur singula limas
Sidera, et alterno divertitur angulus astro,
Sexque per amfractus curvatur virgula in orbem,
A Tauro venit in Cancrum : tum Virgine tacta
Scorpion ingreditur, quo te, Capricorne, rigentem,
Et Geminos a te Pisces, adversaque Tauro,
Sidera contingens finit, qua cœperat, orbem.
Alterius ductus locus est per transita signa:
Utque ea prætereas quæ sunt mihi singula dicta,

361. *Nam quum per tales formantur singula limns.* Gemblac. *Nam quum per tales formantur singula limes.* Sed *limas* legeodum dicit Scal. et intelligit obliquas lioeas : sed interrogat Beutl. an ipsa sidera formantur per tales lioeas. Codices autem universi *limes.* Restituendus igitor hic locus : « Nam quom pertransit formatus singula limes Sidera ». In hexagono enim linea pertransit singula siders, et alterna tantum ferit. Sic mox de eodem, 376. Limes, idem quod lioea, ut I, 607 : « alter ab excelso decurrens limes Olympo ». Ed.

362. *Divertitur.* Vetusti omnes *devertitur,* et sic B. et Piugr.

363. *Sexque per amfractus curvatur virgula iu orbem.* Quid? latus hexagoni curvatur per sex amfractus? Intelligit fortsse sex peripheriss segmentorum hexagoni. Hoc vero longe ineptios erit. Nam in circolo proposito quænam peripheriæ possunt curvari, non video; nisi aliam peripheriam segmento hexagooi tribuamus præter eam, quam unicam habet circulus. Quod est absurdum. — Hic maoifeste de hexagono sgitur, cojus nomen metro nou aptum omittitur. Signa autem hexagona dicuntur in adspectu sextili esse. Pingr. ad h. locom. Ed.

365. *Quo te, Capricorne, rigentem.* Sic. Gembl. *Quo* pro *a quo*, inquit Huetius, ut supra *a Tauro.* Sed B. *a* subiotelligi posse negat. Legit *tum te*, et sic Pingr. Ed.

366. *Adversaque Tauro Sidera contingens.* Beoe Huetius corrigit *Aversaque.* Nam hexagoni latus, eo ductu quem auctor describit, in posteriora Tauri incidit, non iu frontem. Certe hexsgonos rediens Taurum contingit, a quo abieos ioceperat.

368. *Alterius ductus locus est.* Absoluto primo orbe a Tauro, ad Pisces, alterius orbis initium ab Ariete, ad Aquarium, et sic deinceps. Transita signa vocat iotacta : sontque ea, quæ primo orbe singuls interjecta erant, neque a linea contingebantur. Nam ea in secundo orbe angulom facieot : quemadmodum iu primo orbe Taurus et Caocer Geminos interceptos habent. In secunda repetitione Gemini et Leo Caocrum medium habebunt.

369. *Utque ea prætereas, quæ sunt mihi singula dicta.* Sic Gemb. Nibil verius. Ductus alterius orbis est, ut incipias a sigois transitis in priore orbe, scilicet ut prætereas ea signa, quæ ego vocavi *singuln*, nimirum *trapsita.*

Flexibus et totidem similis fit circulus illis.
Transversos igitur fugiunt subeuntia visus,
Quod nimis inclinant, ac ne limisque videntur,
Vicinoque latent : ex recto certior ictus.
Tertia connexo conduntur signa recessu.
At quæ succedit, connexa est linea cælo,
Singula circuitu quæ tantum transmeat astra;
Vis ejus procul est, altoque vagatur Olympo,

370. *Flexibus et totidem.* Veram hic lectionem adfert Fayns : « Flexibus hic totidem similis fit circulus illi ». Hic illi similis : quia non plura quam duo hexagona duci possunt. Ed.

371. *Fugiunt subeuntia visus.* Pro *subeuntia* B. dat *sexangula*. Sic supra vs. 282 : « Cætera sunt simili ratione triangula signa ». Innuit auctor adspectum sextilem seu hexagoni minus certum esse. Censorinus : « Hunc quidam conspectum non usquequaque receperunt, quod minimum ad maturitatem partus videbatur conferre ».

372. *Quod nimis inclinant.* Ausonius : « Obliqua exilem dimittit linea lucem, Adspirans tenues per inertia pondera motus ». — *Ac ne limisque.* Hoc loquendi genus insectatur B. et reponit *inclinant aciem*, quod dedit vetus editio in biblioth. reg. societ. *aciem* hoc est visum. Lib. I, 675 : « Nec visus aciemque fugit ». Ed.

373. *Ex recto certior ictus.* Ut in trigono linea recta certior, proxime a trigono in tetragono : in hexagono vero lima et obliqua.

374. *Tertia connexo.* De hexagono intelligit rursus. Error a vetere scriptura : *connesco* pro *connexo*. — Hunc versum pro spurio habet B. et Pingr. Hic tamen legit *connexo*, sed B. *convexo*.

375. *At quæ succedit.* Omnes veteres *Et quæ succedit convexo*, quod rectum est, sed varii varie emendandum putarunt. B. cum Scal. mutat *Et* in *At*. B. restituit *convexo* pro *connexa est*; sed *quæ succedit* mutat in *quis accedit*. *Succedit* autem hic est prope accedit : *succedere* eo sensu sæpissime sumitur. Ping. — Hoc versu et seqq. Scalig. putat jam non de hexagono agi, sed de signis sese uno tenore sequentibus, et ut eam interpretationem firmet vs. 379 de fœdere inter sidera sexus diversos habentia intelligit. Sed merito negat hoc Ping. nam vs. 385 tantum Manilius de signis singularibus agit. Immo vs. 380 seqq. adfirmat hæc signa ejusdem sexus esse, quod non fieret, si sese continuo sequerentur. Ed.

376. *Singula circuitu quæ tantum transmeat astra.* Transmeare et transire dicitur Manilio linea, quæ a signo ad signum ducitur. B. reponit *transeat* ob vs. 368.

377. *Vis ejus procul est.* Scalig. hæc de singularibus signis interpretans ait : Signa singularia nullum effectum habent, quia nullam

Et tenues vires ex longo mittit in orbem.
Sed tamen est illis fœdus sub lege propinqua,
Quod non diversum genus est, quod euntibus astris
Mascula sex maribus respondent : cætera sexus
Feminei. Sic conjungunt commercia mundi:
Sic, inquam, alternis paret natura figuris,

figuram. Inefficacia vocat Firmicus, quæ signis singularibus dividuntur. Hæc autem frustra sunt, nam Manilius pergit loqui de hexagonis. — *Vis ejus.* B. reponit *Visus enim :* displicet enim *Vis ejus* mittit vires; cod. Ven. *Visus ejus*, quod B. lectionem firmat. Ed.

379. *Sed tamen est illis fœdus sub lege.* Bene hoc versu *fœdus* restitnit Scal. quum omnes habeant *Phœbus.* Sed tamen, inquit, fœdus est illis sub lege propinqua : quod ejuscemodi configurationes possunt esse collegia masculorum et femininorum signorum. Nam linea a principio Arietis, ad finem Tauri, et sextilem adspectum includit, et masculum cum feminino conjungit. Si, inquit, qua sunt hexagona non valent, attamen sub lege propinqua fœdus habent. Propinqua enim lex est hexagonorum collegiis masculorum et femininorum.

380. *Quod euntibus astris.* Quod ordine incedentibus astris, id est, quod astris secundum ordinem suum binis sumptis masculum unum uni feminino respondet, et conjunctum est. — B. et Pingr. habent *Quod non diversum est genus, alternantibus astris.* Et hoc non falsum videtur, nam alterna astra in hexagonis eodem genere et sexu sunt. — *Mascula sex maribus.* Potest legi : « Mascula sex paribus respondent ». Infra, v. 413 : « Mascula si paribus, vel si diversa suorum Respondent generi ». Respondent autem mascula sex masculis, quia terna ternis: Aries Libræ; Gemini Sagittario; Leo Aquario. Sic femines femineis, terna ternis: Taurus Scorpio, Cancer Capricorno, Virgo Piscibus. — Omnes codices pro *sex* habent *sed;* et ita B. et Ping. Ed.

382. *Feminei : sic conjungunt commercia mundi.* B. *secum jungunt.* Id est, feminea cum femineis, non cum masculis. Scal. autem semper de singularibus intelligens : sub lege propinqua hæc figuratio valet : quod genus masculinorum et femininorum non est diversum hexagonis: utpote quum signis secundum successionem suam euntibus sint mascula sex : et totidem masculis respondeant totidem cætera sexus feminei.

383. *Sic, inquam, alternis paret natura figuris.* — *Inquam* a Scaligero est. Libri veteres *Sic quidquam.* B. reponit *Sic quamquam.* Alterna, ait, in hexagonis signa non multum invicem consensum habent; quia linea eorum et visus a terris remotior est; aliquantum tamen habent, quia utraque sunt ejusdem sexus. Ergo quamquam alterna sunt, quod obest ; prodest tamen, quod cognata sunt. Ed.

Et cognata jacent generis sub legibus astra.
Jam vero nulla est hærentibus addita signis
Gratia : nam consensus hebet, quia visus ademptus.
In se ducta ferunt animos, qua cernere possunt.
Sunt et diversi generis connexa per orbem
Mascula femineis, semperque obsessa vicissim :
Disparibus non ulla datur concordia signis.
Sexta quoque in nullas numerantur commoda vires,
Virgula per totum quod par non ducitur orbem :

384. *Et cognata jacent generis sub legibus astra.* Legem propinquam, cujus supra meminit, vocat hic legem generis, sive sexus. Itaque restitutionem hujus loci codici Gemblacensi debemus.

385. *Jam vero nulla est.* Lemma hujus capitis in Gemblacensi præferebatur hoc : *de inconjunctis signis et quæ VI loco sunt.* Nunc de illis, quæ dicuntur hærentia, a similibus partibus, ad similes sequentes. Firmicus juncta vocat.

386. *Nam consensus hebet, quia visus ademptus.* Neque enim sese adspicere queunt. Male Scal. interpretatur quæ a nobis non videntur. Et contra hunc disserit Huetius.

387. *In se ducta ferunt animos, qua cernere possunt.* Libri omnes *quæ cernere.* Bene reponunt B. et Pingr. « In seducta ferunt animos, quæ cernere possunt ». Hærentibus, inquit, i. e. contiguis signis, nulla concordia est; quia visus ademptus est, nec linea ab uno in alterum duci potest : ergo animos ferunt in seducta et remota astra, in quæ lineæ possunt duci. Doctus quoque Huetius *seducta* nec minus commode Bullialdus *sejuncta.* Nihil hic vidit Scal. Ed.

388. *Sunt et diversi generis connexa per orbem.* B. reponit *Sunt etiam adversi.* Recte *etiam :* nam præter priorem, quod se mutuo videre nequeunt; alteram nunc caussam reddit cur nulla contiguis gratia sit, quia etiam sexu differunt, et genere pugnant. B.

389. *Semperque obsessa vicissim.* Nam masculum signum binis utrimque femininis stipatum, et contra.

390. *Disparibus*, i. e. varii generis. Qualia sunt signa contigua sive hærentia. Omnino hic deliravit Scal. Manilius pergit de signis hærentibus dicere : inconvenientia ea esse ait, quia disparia. Vid. Huet.

391. *Sexta quoque in nullas.* Ordo est *Sexta quoque signa*, ut Aries et Virgo, habentur commoda in nullas vires. *Commoda* hic est adjectivum. Hæc sunt alterna masculina, aut feminina, sexta quæque. Nam virga a principio Arietis ad principium Virginis ducta in nullas vires erit commoda. Quare ? « Virgula per totum quod par non ducitur orbem ». Quia omnes configurationes in circulo debent esse æquilateræ. At virgula a signi principio, ad principium sexti, non

Sed duo signa facit mediis submota quaternis.
Tertius absumpto ductus non sufficit orbe.
At quæ diversis ex partibus astra refulgent
Per medium adverso mundum pendentia vultu,
Et toto divisa manent contraria cælo;
Septima quæque, loco quamvis submota ferantur,
Ex longo tamen illa valent, viresque ministrant

semper eadem per orbem ducetur. Faciet enim triangulum isosceles; cujus basis a principio Virginis ad principium Scorpii.

393. *Sed duo signa facit.* Duo signa dirimentia quaternis interjectis. Signa dirimentia, Aries et Virgo. Quaterua interjecta, Taurus, Gemiui, Cancer, Leo. Sed hæc uugatoria. Nam Aries totus est. Initium autem Virgiuis tantum admititur. Eadem nugatus est supra. Immo sunt quiuque signa absoluta, a principio Arietis ad principium Virginis. — B. ad hunc versum: quid est, virgula *facit* duo signa, et reponit *ferit*, eleganter. Sic v. 276: « Linea ferit signa trigona ». Ed.

394. *Tertius absumpto ductus non sufficit orbe.* Tertius, inquit, ductus non absumet circulum. Hoc est, tertia quæque signa non partiuntur æqualiter circulum. Itane Manili? Quid aliud hoc est, quam adspectus sextilis? linea a xv Arietis, ad xv Geminorum, tertii nempe signi ducta, quid aliud, quam hexagoni latus in circulo? Bis ergo hallucinaris, et quum hanc formam aliam ab hexagona putas, et quum imprudenter negas quod antea adstruebas. Scalig. Sed ipse Scaliger errat, et male Manilium intellexit. Sensus est: circulus absumetur, perfectus erit, ante quam tertium latus possit in integrum duci. Nam trigonum non poterit tertium latus par cæteris habere. Ed.

395. *At quæ diversis ex partibus.* In Gemblac. lemma præibat: *de contrariis signis*, et quidem recte: adspectus enim siderum oppositorum nunc persequitur. Nam hæ tantum quatuor configurationes in signis valent, trigona, tetragona, hexagona, diametra. De tribus dixit: de quarta nunc. Vulgo *Atque ita*. In Gembl. *Atque ea.* Diversitas aperit vitium. Nam neutrum huc infarciendum fuit. Ἀρχαϊκῶς scriptum fuerat *Atque* pro *At quæ*. Nihil verius. Pro *ex partibus* Gemb. *e partibus.*

396. *Sit medium mundum pendentia.* B. negat dici posse *pendentia adverso vultu*, et legit *tendentia*. Sed in primo libro « cælum et omnia sidera pendere » sanxit Manilius. Nil ergo mutandum. Quæ vero in defensionem lectionis suæ adfert B., Pingr. ea tanto viro indigna judicat. Ed.

398. *Ferantur.* Omnes *feruntur*, et sic B. et Pingr. Alii *singula:* sed jam olim emendavimus, *septima quæque*, interpunctione posita post vocem *quæque:* et ita Gembl.

399. *Ex longo tamen illa valent.* Oppositorum signorum vires sunt

Vel bello, vel pace suas, ut tempora poscunt,
Nunc Phœbo, stellis nunc et dictantibus iras.
Quod si forte libet, quæ sunt contraria signa
Per titulos celebrare suos, sedesque, memento
Solstitium brumæ, Capricornum opponere Cancro,
Lanigerum Libræ : par nox in utroque diesque:
Piscibus Erigonem, Juvenique Urnæque Leonem.
Scorpios e summo quum fulget, Taurus in imo est :
Et cadit Arcitenens, Geminis orientibus orbi.
Observant inter sese contraria cursus.
Sed quamquam adversis fulgent contraria signis,
Natura tamen interdum sociata feruntur,
Et genere : exemplis concordia mutua surgit,
Mascula si paribus, vel si diversa suorum
Respondent generi. Pisces et Virginis astrum
Adversi volitant, sed amant communia jura,

potentissimæ, quo enim rationes adspectuum ductus, eo certior est ictus; vid. v. 373. Censorinus : « A septimo Zodio, quod est contrarium, plenissimus potentissimusque conspectus ». Ausonius, Carm. 369, vs. 26 : « Ast ubi signiferæ media in regione cohortis Septimus accepit limes rutilantia flammis Recto castra situ: turgentis fœdera partus Jam plena sub luce videt : nec fulgura parci Luminis intendens, toto fovet igne coronæ ».

401. *Nunc Phœbo.* Sol cum signis et planetis, planetæ cum Sole et cum signis miscentur his quinque modis: hexagona, tetragona, trigona, diametra, et conjuncta. Sed omnium potentissimus conspectus, qui conjunctione efficitur ; secundus, qui diametro, et sic deinceps. — B. tamen hic mendum suspicatur, et reponit : *Nunc fœdus stellis, nunc*, etc. Nunquam enim Noster induxit Solem et planetas, quasi fixorum adspectus gubernantes vel mutantes : etsi recentiores Astrologi de his nugatorie agant. Postremo quid agatur inspice : ait septima quæque signa vires suas ministrare, vel bello, vel pace ; *fœdus* igitur debet respondere τῷ *pace*. Ed.

402. *Quod si forte libet.* Nunc signa invicem diametra quæ sint docet.

409. *Observant inter sese contraria cursus.* Lego *rursus*, non *cursus*. Rursus ea, inquit, contraria invicem sese observant, nempe ex diametro; tamen interdum natura et genere sociantur; ut postea dicet.

413. *Mascula si paribus.* Male Gembl. *Miscua.* Lege vero : « Mascula si paribus, vel si diversa suorum Respondent generi ». Si mascula masculis, aut si diversa, i. e.

Et vincit natura locum : sed vincitur ipsa
Temporibus; Cancerque tibi, Capricorne,, repugnat
Femina femineo, quia brumæ dissidet æstas.
Hinc rigor et glacies, nivibusque albentia rura :
Hinc sitis et sudor, nudusque in collibus orbis,
Æstivosque dies æquat nox frigida brumæ :
Sic bellum natura gerit, discordat et annus.
. Nec mirere in ea pugnantia sidera parte.
At non Lanigeri signum Libræque repugnat
In totum, quia ver autumno tempore differt :
Fructibus hoc implet maturis, floribus illud.
Sed ratione par est æquatis nocte diebus,
Temporaque efficiunt simili concordia textu,
Permixtosque dies, mediis hiemem inter et æstum
Articulis, uno servantia tempore utrinque,

feminina femininis respondent, mascula masculis ex diametro respondent, Aries Libræ, Gemini Sagittario. Feminina femininis, Taurus Scorpioni, Cancer Capricorno.

416. *Et vincit natura locum.* Loco concordant, quatenus mascula masculis, feminina femininis respondent. Interdum tempore repugnant, quatenus solstitiale brumali opponitur. Ita Cancer Capricorno genere sive sexu congruit : lege temporis discordia sunt. Contraria enim solstitium et bruma. — *Et vincit natura locum.* Loco amica sunt, quia masculum masculo. Natura, id est, lege temporis repugnant.

424. *At non lanigeri.* Ut Cancer Capricorno masculum masculo congruit genere, ita etiam Aries Libræ Sed ut Cancer Capricorno discordat tempore, non item Aries Libræ. In parte enim verum est, in parte sequius. Nam verum utique est, quia utrumque diem æquat nocti : falsum vero, quia ver et autumnus si non omnino contraris, tamen aliquatenus inter se opposita et repugnantia. Rationem subjicit. Pro *repugnat* B. *repugnant*, quia duo sunt. Ed.

425. *Quia ver autumni tempore differt.* Magis amo lectionem Gemblacensis : *quia ver autumno tempore differt.* Ver, inquit, differt autumno, respectu temporis, sed convenit respectu æquinoctii.

426. *Fructibus hoc implet.* Nam autumnum etiam neutro genere Veteribus dicebatur. Varro apud Nonium.

427. *Sed ratione pari est æquatis nocte diebus.* Minima mutatione legendum : *Sed ratione par est æquatis nocte diebus.* Nisi quis malit, *æquali nocte diebus.*

430. *Servantia tempore utrimque.* Ita legimus, non *utrumque*. *Tempore*

Quo minus infesto decertent sidera bello.
Talis erit ratio diversis addita signis.
His animadversis rebus, quæ proxima cura,
Noscere tutelas, adjectaque numina signis,
Et quæ cuique Deo rerum natura dicavit,
Quum divina dedit magnis virtutibus ora,
Condidit et varias sacro sub nomine vires,
Pondus uti rebus persona imponere possit.
Lanigerum Pallas, Taurum Cytherea tuetur,
Formosos Phœbus Geminos; Cyllenie, Cancrum:
Juppiter et cum Matre Deum regis ipse Leonem.
Spicifera est Virgo Cereris, fabricataque Libra

dixit pro *temperamento* haud dubie: ut infra: « ferrique rigor per tempora nota ». Verbum *temperare* ab eodem. Nam Veteres dicebant *tempera*. — B. hunc vers. mire refinxit ita: *unum servans utrimque tenorem*, et *tenorem* multis exemplis firmat. Ed.

431. *Quo minus infesto decertent sidera bello.* Ante Scalig. *Quo minus infesto decertent sidera cælo.*

432. *Talis erit ratio diversis.* Diversa signa vocat adversa, contraria nempe et opposita. Et sæpe, ut diximus, diversum pro adverso apud hunc auctorem observabis.

433. *His animadversis.* Lemma huic capiti in Gemblacensi: *signorum commercia, et quæ cuique Deo adtribuantur signa.* Quæ perspicue ostendunt illa lemmata a Grammaticis esse, non a Manilio. Nam commercia signorum partim tractata sunt, partim sequuntur. Manilius scripsit perpetuo carmine. Grammaticorum et librariorum hæ divisiones sunt et sectiones capitum. Tutelas igitur signorum persequitur, quæ nihil ad commercia et fœdera eorum faciunt. — B. *His animadversis, restat,* elegantius sane. Ed.

436. *Quum divina dedit.* Romæ virtutes consecratæ, et vitia. Spei, Fidei, Mentis: item Pavoris, Febris fana in annalibus Romanorum legimus. Aliter hunc versum accipit Bonincontrius: quod æquo animo, ut alia pleraque omnia illi condonamus.

437. *Condidit et varias sacro sub nomine vires.* Sic Gemb.

439. *Lanigerum Pallas.* Hic infultus erat titulus in Gemblacensi: *signorum commercia*, inepte.

440. Vet. *Cyllenius Cancrum.* Olim emendabamus: « Cyllenie, Cancrum, Jupiter et cum matre Deum regis ipse Leonem ». Quæ omnia plane refert Gemblacense exemplar. — B. feliciter emendat: *Tuque pater cum*, etc. Ed.

442. *Spicifera est Virgo Cereris.* Merito spiciferæ Deæ spicifera Virgo attribuitur: nam Cicero: « Spi-

Vulcani : pugnax Mavorti Scorpios hæret.
Venantem Diana virum, sed partis equinæ :
Atque angusta fovet Capricorni sidera Vesta.
E Jovis adverso Junonis Aquarius astrum est :
Agnoscitque suos Neptunus in æquore Pisces.
Hinc quoque magna tibi venient momenta futuri.
Quum Ratio variet stellas, et sidera curet,
Argumenta petes omni de parte, viasque
Artis, ut ingenio divisa potentia surgat,
Exæquentque fidem cælo mortalia corda.

cum illustre gerens præstanti corpore Virgo ».

444. *Sed partis equinæ.* Virum quidem illum, sed qui altera parte sui equus sit.

445. *Atque angusta.* Ita Gemblac. et Bonincontrius, non *Augusta.* Rationem alibi reddidimus. Angusta sidera Capricorni, ut alibi : « Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in astris ».

446. *Et Jovis adversum.* Gembl. *Et Jovis adverso.* Scribo, una litera minus, *E Jovis adverso.* Aquarius est Junonis astrum ex adverso Jovis. Nam adversum signum Aquario est Leo, dicatus tutelæ Jovis. Noti sunt Dii duodecim majorum gentium, quos disticho comprehendit Ennius : « Juno, Vesta, Ceres, Deiana, Minerva, Venus, Mars, Neptunus, Jovi', Mercurius, Volcanus, Apollo ». In kalendariis rusticis Romanis Farnesiano et Vallensi eodem modo dispositæ sunt tutelæ Deorum. In illis enim ita tutelæ respondent Manilianis, si modo Januario Aquarium, non Capricornum, Februario Pisces, non Aquarium, Martio Arietem, non Pisces adtribuas. Tene prius memoriter distichon Ennianum : ut unicuique Deo suam tutelam adtribuas : tene et istud non id quidem exquisitæ elegantiæ, sed tamen magni ad memoriam subsidii : « Urna, Caper, Virgo, Crotus, Helles portitor, et Bos. Scorpio, tum Pisces, Leo, Cancer, Libra, Gemelli ». Ergo Junoni Urnam, Vestæ Caprum, Cereri Virginem adtribues. Et ita deinceps.

449. *Quum ratio tua fert.* Mirum in modum dissimulata lectionis veritas. Manilius scripsit : « Quum Ratio variet stellas, et sidera curet ». Sequentia tantum abest, ut hanc emendationem non confirment, ut eam ultro poscere videantur. Sed melius fecero, si totum locum adponam : « Quum Ratio variet stellas, et sidera curet, Argumenta petes omni de parte, viasque Artis, ut ingenio divisa potentia surgat, Exæquentque fidem cælo mortalia corda ». Quum Ratio et Providentia variet stellas, variet etiam methodum ingenium humanum, et certet cum cælo. Locus ille illustris, et a puero capi potest.

452. *Exæquentque fidem cælo.* Hoc est, ut humana industria certet

Accipe divisas hominis per sidera partes,
Singulaque in propriis parentia membra figuris,
In queis præcipuas toto de corpore vires
Exercent. Aries caput est ante omnia princeps
Sortitus, censusque sui pulcherrima colla
Taurus: at in Geminis æquali brachia sorte
Scribuntur connexa humeris, pectusque locatum
Sub Cancro est: laterum regnum, scapulæque Leonis.
Virginis in propriam descendunt ilia sortem.
Libra regit clunes; et Scorpios inguine gaudet.
Centauro femina accedunt. Capricornus utrisque
Imperat in genibus; crurum fundentis Aquarî
Arbitrium est: Piscesque pedum sibi jura reposcunt.

cum cælo. Si divina Ratio variet stellas, ut et humana quoque mens methodum variet, et per omnes tramites cæli potentiam scrutetur.

453. *Accipe divisas.* Nunc de membrorum tutelis agit, et in quæ membra unumquodque signum jus habet. Hinc putabant artifices plurimum in curationibus adspectum cæli valere, adeo ut ne vena secanda sit, Hermes in Carpo vetaverit, si Luna sit in Geminis, quod brachia sint in tutela Geminorum. Omnes Astrologi hæc vocant *Azemena:* Græci dicebant ὑπαίτια, i. e. caussaria. Sic græcismo utitur Marcellus Empiricus dicens *dentem caussarium*, et *oculorum caussarium* hominem, *qui dentium vel oculorum dolore laborat.* Ed.

454. Scalig. *Singulaque propriis parentia membra figuris*, omisso *in.* Proprias figuras dicit characteres signorum in constellationibus corpori humano vulgo adpingi solitos, quod et hodie fit in almanachis vulgaribus.

457. *Censusque sui pulcherrima colla Taurus.* Sic alibi loquitur: « nec nostri munera census ». Nam censum suum Taurus collum vocare potest, quod collo arat. Idem collum proprius census illius. Vel quia torosus. Ovid. Met. II, 854: « Colla toris exstant: armis palearia pendent ».

458. *At in Geminis.* Ante Scalig. *et in Geminis.* B. dedit *et in Geminos.* Ed.

461. *Descendunt ilia sortem.* Cur autem descendant magis, quam adscendant, ait B.? et reponit *concedunt*, ut III, 118: « hoc totum partem concessit in unam ». Ed.

463. *Centauro femora accedunt.* Quoties vulgo editum est *femora*, Gemblacensis habebat semper *femina.*

464. B. *Imperitat genibus.* Ex Horat. Serm. I, 6, 4: « olim qui magnis legionibus imperitarent ». Ed. — B. *crurumque humentis Aquari*, ut Noster, V, 444: « Sed reginæ means Cepheus humentis Aquari ». Ed.

Quin etiam propriis inter se legibus astra
Conveniunt, ut certa gerant commercia rerum;
Inque vicem præstant visus, atque auribus hærent,
Aut odium fœdusque gerunt, conversaque quædam
In semet proprio ducuntur plena favore.
Idcirco adversis nonnumquam gratia signis,
Et bellum sociata gerunt : alienaque sede
Inter se generant conjunctos omne per ævum,
Utrique et sorti pugnant, fugiuntque vicissim;
Quod Deus, in leges mundum quum conderet omnem,
Adfectus quoque divisit variantibus astris,
Atque aliorum oculos, aliorum contulit aures;
Junxit amicitias horum sub fœdere certo,
Cernere ut inter se possint, audireque quædam:
Diligerent alia, et noxas bellumque moverent :

466. *Quin etiam propriis.* Hic iterum Gemblacense exemplar præferebat lemma : *signorum commercia.* Vires signorum, quæ in se ipsis considerantur, dupliciter accipi supra monuimus, vel ex configuratione, vel ex simili potentia, quæ vel adspectu, vel auditu, vel odio, vel amore constat. Sigillatim omnia suo loco. Ed.

467. *Conveniunt, ut certa gerant commercia rerum.* Ante Scal. *Conveniunt, et certa gerunt.*

468. Vid. Excurs. I ad calcem huj. libri. Ed.

469. B. *Aut odium fœdusve gerunt.* Signa amica et inimica non sunt apud Ptolemæum. — *Conversaque quædam In semet proprio ducuntur plena furore.* Itane sunt quædam signa, quæ sibi inimica, et quidem furore in se convertuntur? Absurditatem tollit Gemblacensis, qui habet *plena favore*, rectissime. Sunt quædam sibi amica, ut et quædam sunt sibi inimica. *Furore* pro *favore* interpolarat Bonincontrius, ut alia fere omnia, in quibus ejus textus a scripta lectione dissentit.

471. *Idcirco adversis.* Idcirco contingit, ut ex adverso opposita signa gratiam, et contra conjuncta bellum pariant, et quæ longe distantia sunt, concordes inter se efficiant. — B. *nonnunquam est.*

474. B. *Utrique aut.*

475. *Quod Deus, in leges*, ex Gemb. Est explicatio antecedentium. Itaque totus locus ita continuatur : « Utrique et sorti pugnant, fugiuntque vicissim : Quod Deus, in leges mundum quum conderet omnem, Adfectus quoque divisit variantibus astris ».

480. *Diligerent alia et noxas.* Noxa et noxia. Hoc tritum est. Sed hic noxa est jurgium, simultas. Ausonius in Technopægnio, infra,

His etiam propriæ foret indulgentia sortis,
Ut se diligerent semper, sibique ipsa placerent.
Sicut naturas hominum plerasque videmus,
Qui genus ex signis ducunt formantibus ortus.
Consilium ipse suum est Aries, ut principe dignum est;
Audit se, Libramque videt : frustratur amando 486
Taurum, Lanigero qui fraudem nectit, et ultra

tom. VII, p. 538 : « Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos ». Unde mei Galli *noise* pro jurgio usurparunt.

482. *Sibique ipsa placerent, Sicut naturas.* Sunt enim quidam sibi amici, nimirum ut et signa quædam sibi amica : de quibus ante, « conversaque quædam In semet proprio ducuntur plena favore ».

486. *Audit se, Libramque videt, frustratur amando.* Se audit, et videt Libram : frustra autem diligit eam. Librarius per incuriam hunc vs. in Gembl. omiserat. — *Audit se.* In Antisciis Veterum, ut diximus, Dodecatemoria ad extremas diametri partes ponuntur. Omnia videntia sunt homozona Arieti et Libræ. Ita illa se ex diametro respiciunt, quum reliqua se ex homozoniis respiciant. At Libra solam se audit, et Aries se quoque audit : qua in ratione audientium diametrus sola habet locum in ipsis tropicis Dodecatemoriis. Quare Cancer se solum, et Capricornus quoque se videt. Ab ipsis enim ducitur ratio signorum audientium, non autem videntium. Ideo mutuo se audiunt, non autem mutuo sese vident. Habe igitur ante oculos Diagramma Antisciorum Manilii. In eo, in ratione audientium, subtensa a Tauro, ad Pisces ducitur, cujus subtensæ arcus summa apsis Arietem includit. Aries igitur utrimque lateronibus Tauro et Piscibus stipatus neminem audit, nisi se ipsum. Alioquin oporteret ut audiret oppositum signum Libræ. At oppositorum in Antisciis ratio non est, nisi in propria ratione. Ratio videntium est propria tropicorum non æquinoctialium. Itaque tropica ambo Cancer, et Capricornus se invicem vident, quia secundum ipsa tropica se mutuo videntia censentur. Contra ratio audientium propria est æquinoctialium signorum. Ideo se vident mutuo Libra et Aries, non autem mutuo sese audiunt. Hanc rationem Antisciorum nemo ante nos explicaverat : et ignoratam fuisse, satis ostendebat Mathematicus ille, cui pæne supplicium dedi, quod illius veternum expergefacerem. Videntia et audientia Firmici longe alia sunt a Manilianis, quæ plane arguunt vanam scientiam illorum veterum Genethliacorum.

487. *Taurum, Lanigero qui fraudem nectit.* Scalig. *Taurus*, sed distinguit post *amando*, contra codd. omnes. Ed. — Audientia et videntia Manilii nituntur rationibus Antisciorum. Cætera sunt sine explicatione, amantia se et insidiantia. Insidiatur Taurus Arieti, Virgo Sagittario. Vides futilitatem artis.

Fulgentes videt, atque audit per sidera Pisces,
Virgine amans capitur: sic quondam gesserat ante
Europam dorso retinentem cornua læva,
Indutusque Jovi. Geminorum ducitur auris
Ad Juvenem æternas fundentem Piscibus undas,
Inque ipsos animus Pisces, oculique Leonem.
Cancer, et adverso Capricornus conditus astro
Vertitur in semet oculis, in mutua tendit

488. *Fulgentes videt atque audit per sidera Pisces.* Audit Pisces saue, videt Virginem. Nam non potest eumdem audire et videre. Hie Manilium fugit ratio, ut et Demophilum, qui Libram ait ὑπακούειν τῷ κριῷ· quum in ratione audientium nulla linea ab Ariete ad Libram ducatur. Sunt enim illa videntia, ut toties diximus.

489. *Virgine amons capitur.* De Europa sstis notnm.— Libri omnes *Virgine mens,* quod mutavit Scal. et reponit B. esdem sententia est. Cæterum Taurus, inquit Huet. videt Virginem, non Pisces; unde legit: *et ultra Fulgens haud videt, ast audit,* etc. quem miror non sequutum esse B. Ed.—*Sic quondam gesserat.* Gembl. *vexerat,* et dedit B.

490. *Retinentem cornua læva.* Ovidius *dextra:* « Respicit, et dextra cornu tenet: altera dorso Imposita est ». Paullo aliter Theocritus: Τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρας· ἐν χερὶ δ' ἄλλῃ Εἴρυε πορφυρέας κόλπων πτύχας.

491. *Indutusque Jovi.* Ita Gembl. Distinguendum vero: « Indutusque Jovi. Geminorum dueitur anris Ad Juvenem, etc. » *Jovi* pro *Jove* ἀρχαϊκῶς. Ita alibi *parti* pro *porte*, *sorti* pro *sorte*. Sie et Plautus Cistellaria. — *Indutusqne Jovi.* Ovidius: « Induitur faciem Tauri ». Magis nobis olim plaeebat *Indutusque Jovem.* — *Geminorum ducit et aures.* Reete olim hæc omnia extrieavimus ita: « Indutusque Jovi. Geminorum ducitur auris ad Juvenem æternas fundentem Piscibus undas ». Cur judieio nostro favet Gemblacensis, qui ita babet. Infinita vero talia a nobis olim restituta eomprobat idem Gembl. longe melior reliquis omnibus codieibus Manilianis, quotquot hodie exstant.

493. *Inque ipsos animum Pisces.* Perturbatissima sunt. Legendum: « Geminorum ducitur auris Ad Juvenem æternas fundentem Piscibus undas, Inque ipsos animus Pisces, oculique Leonem ». Gemini, inquit, audiunt Aquarium, vident Leonem. Quod verum est. Consule Antiscia Maniliana.

494. *Capricornus conditur astro.* Legimus *conditus.*

495. *Vertitur in semet oculis.* Gemblaeensis mirum quantum dissidet: « In semet vertunt, oculosque in mutua tendunt ». Tota igitur periochе ita comprehendenda: « Cancer, et adverso Capricornus conditus astro In semet vertunt, oculosque in mutua tendunt ». In semet vertunt. In se invicem convertuntur ἀρχαϊκῶς. Propert. « dominæ vertat

Auribus : at Cancri captatur Aquarius astro.
At Leo cum Geminis aciem conjungit, et aurem
Centauro: Geminos Capricorni diligit astrum.
Erigone Taurum spectat, sed Scorpion audit,
Atque Sagittifero conatur nectere fraudem.
Libra suos sequitur sensus, solumque videndo
Lanigerum, atque animo complexa est Scorpion intra.
Ille videt Pisces, auditque per omnia Libram.

in aoriculas ». Sed hoc fuerit nugari. Nam ratione videntium nulla linea subtenditur a Caocro ad Capricornum. Non igitor mutuo se vident. Non enim ratio videntium propria est eorom. Sed sodiunt se invicem, quia ab illis est audientiom ratio. Non dnbito Manilinm scripsisse : « Cancer, et adverso Capricornus conditus astro Vertitnr in semet oculis, in mntna tendit Auribos ». Hæc referunt vulgatam lectionem, quam etiam retinet textus Bonincontrii, et liber alins manuscriptus. Cancri et Capricorni propria ratio videntium est. Ideo Cancer se solum videt, ut et Capricornus solum se qnoque videt. At mutuo se audiunt, quia audientium ratio non ab aliis est. Cancer se videt, Capricornus se videt : ambo se mutuo audiunt. — *In mutaque tendit.* Emendavimus : « in mutua tendit Auribus ».

496. *At Caneri eaptatur Aquarius astro.* At Cancrum amat Aquarius. Signorum invicem se amantinm, aut sibi pugnantium, rationem quærere, est cum ratione insanire. Forum enim, ut dixi, nulla caussa reddi potest. Ergo Manilio Cancrum amat Aquarius, Sagittarius Virginem, Gemini Pisces, Cancer Geminos, Libra Scorpium. Quæ nugatoria sunt omnia. — Bentl. habet: « et Caneri eaptatur Aquarius astu », quia *astro* versum abhinc alterum finierat. *Astu eaptatur*, ut inf. 634 : « sæpe est et subdolus astus ». Ed.

498. *At Leo cum Geminis aciem conjungit, et aurem Centauro.* Leo videt Geminos, audit Centaurum. Consule Diagramma. — Sed B. falsum hoc, Capricornum amare Geminos; amat enim Leonem. Unde vs. seq. reponit *Centauro gemino.* Ita infra, 552 : « geminumque sub arcu Centaurum ». Ed.

501. *Libra suos sequitur sensus.* Sensus vocat hic auditum, ut in idiotismo Italico. Libræ et Arietis propria est ratio audientium. Ideo mutuo se vident. Sed Libra sola se audit, quia ipsius est ratio audientinm.

502. *Atque animo complexa est.* Amat Scorpion. — Pro *intra* B. vult aut *infra*, qnia Scorpios sequitur Libram, ant *acrem*, ut infra, vs. 513. Ed.

503. *Illè videt Pisces.* Scorpius quidem videt Pisces : sed falsum audire Libram : immo Virginem. Accepit contiguum pro homozono. —Hoc recte vidit Sc. unde Bullield. « Ille videt Pisces, audit quæ proxima Libræ ». Sed B. jubet « oditque per omnia Libram » : ut Taurus fraudem nectit Arieti ; ita Scorpios odit Libram. Ed.

Necnon Arcitenens magno parere Leoni
Auribus, atque oculis sinum fundentis Aquarî
Conspicere adsuevit, solamque ex omnibus astris
Diligit Erigonen : contra Capricornus in ipsum
Convertit visus : quid enim mirabitur ille
Majus, in Augusti felix quum fulserit ortum?
Auribus at summi captat fastigia Cancri.
At nudus Geminus intendit Aquarius aurem,
Sublimemque colit Cancrum, spectatque reducta
Tela Sagittiferi. Pisces ad Scorpion acrem
Direxere aciem, cupiuntque adtendere Taurum.

504. *Nec non Arcitenens.* Totum locum ita legit Gembl. « Nee non Arcitenens magno parere Leoni Auribus, atqne oeulis sinnm fundentis Aquari conspicere adsnevit ». Sagittarius audit Leonem, et videt Aqnarium : sinnm, aliter Urnam vocavit. Asterismi κάλπιν, Theo οἰνοχόην. Fundens χύτης substantive, ut alibi.

505. *Atque oculis sinum fundentis Aquarî.* Sed potest legi *signum* pro *sinum*, et qnidem melius. — Retinendum videtur *sinnm*, quia non totum signnm respicit : ut enim Sagittarius spectat *sinum*, sive urnam Aquarii, ita v. 513 Aqnarius spectat tela Sagittiferi. Ed.

507. *Cantra Capricornns in ipsum Convertit visus. In ipsum*, id est, *in se ipsum.* Manilиana locutio, quam nos primi in hoc auetore indicavimns. Sine ope manuscripti libri non erat locus medicinæ : neque vates snmus, qui in priore editione divinare non potuimus. Capricorni propria est ratio videntinm, non audientium. Ideo se solum videt. Canerum autem andit. Quatenus est ἄζωνον se ipsum videt. Sed ταυτολογεῖ. Idem enim supra dixerat : « Cancer et adverso Capricornus eonditus astro Vertitur in semet oculis ».

509. Vid. Exeurs. III ad calcem hujns libri. Ed.

510. *Auribus at summi captat fastigia Cancri.* B. *et summi captat fastigia Cancri.* Fastigia Cancri vocat, ex priscorum falsa opinione, qui Canero nullum signum magis septemtrionale oriri putabant : ideo altissimum omnium signorum esse pronuntiabant. Luean. dixit, IX, 532 : « Circnlns alti Solstitii ». Qnod magistri, etiam qui se mathematicos profitentur, qnare dictum a Lneano, ignorant. Sed fallebantur illi nascentis astrologiæ amatores potius, quam consulti. Æquidistant enim a punctis tropicis Gemini et Caneer. Itaque Cancer non altius oritur, quam Gemini, ut volebant illi. Quod eastigat Geminns.

512. *Sublimemqne eolit Canerum. Sublimem Cancrum*, ut Lueanus, « eirculus alti Solstitii ».

514. *Cupinntque adtendere Taurum. Adtendere*, audire. Attentio et sensns apud Nostrum pro auditu.

Has natura vices tribuit, quum sidera fixit.
His orti similes referunt per mutua sensus,
Audire ut cupiant alios, aliosque videre :
Horum odio, nunc horum îdem ducantur amore:
Illis insidias tendant, captentur ab illis.
Quin adversa meant etiamque trigona trigonis :
Alteraque in bellum diverso limite ducit
Linea : sic veri per totum consonat ordo.
Namque Aries, Leo, et Arcitenens, sociata trigono
Signa, negant Chelis fœdus, totique trigono,
Quod Gemini excipiunt, fundens et Aquarius undas.
Idque duplex ratio cogit verum esse fateri,
Quod tria signa tribus signis contraria fulgent,
Quodque æterna manent hominum bella, atque ferarum;
Humana est facies Libræ, diversa Leoni.

515. *Quum sidera fixit.* Sunt enim fixorum. Editiones et Bonincontrius *finxit.* Sed Gemblacens. *fixit*, et nos olim ita.

516. *His orti similes.* Gemblac. « His orti similes referunt per mutua census, Audire ut cupiant alios, aliosque videre ». Quod sequimur : quamquam *sensus* retinemus ; tametsi non caret ratione *census.* Alii, *quum cupiunt audire alios*, etc.

520. *Quin adversa.* Alia divisio signorum mutuo consentientium vel repugnantium, aut per se, aut per figurationem.

522. *Sic veri per totum.* Epilogus Manilianus. Sic supra : « sic conjungunt commercia mundi : Sic, inquam, alternis paret natura figuris ». Item inf. 641 : « Sic erit ex signis odium tibi paxque notanda ».

523. *Namque Aries, Leo.* Trigona signa Aries, Leo, Sagittarius adversantur trigonis Libræ, Aquario, Geminis. Id autem fit aut secundum situm, ut quum opposita, ideoque adversa; aut secundum naturam, ut quum alia humana, alia ferina. Nam hic prius trigonum est ferinorum, alterum humanorum.

525. B. habet *Aquarius urnam.* Noster, I, 272 : « Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam ». Ed.

527. *Quod tria signa tribus.* Aries Libræ, Gemini Sagittario, Leo Aquario opposita sunt, et quidem sexu convenientia. Mascula enim masculis respondent : sed natura dissident, quatenus humana ferinis opponuntur. Aries ferinum, Libra humanum. Et sic de aliis. Itaque mira est hæc vana scientia, ut eadem concordent simul, et discordent.

529. *Humana est facies Libræ.* Libripens enim in astrothesia figurabatur. Alii a Virgine gestari vo-

Idcirco et cedunt pecudes : quod viribus amplis
Consilium est majus : victus Leo fulget in astris:
Aurea Lanigeri concessit sidere pellis.
Ipse suæ partis Centaurus tergore cedit.
Usque adeo est hominis virtus! quo mirer ab illis
Nascentis Libræ superari posse trigonum.
Quin etiam brevior ratio est per signa sequenda.
Nam quæcumque nitent humana condita forma
Astra, manent illis inimica et victa ferarum.
Sed tamen in proprias secedunt singula mentes,
Et privata gerunt secretis hostibus arma.
Lanigero genitis bellum est cum Virgine natis,
Et Libra, et geminis et si quos protulit unda.

lunt, ut kalendaria ambo rustica Romana. Adulatores poelæ Augusto in manus tradunt : « Qua locus Erigonen inter, Chelasque sequentes ». Quasi locus ille vacaret, et non esset libripens, nisi Augusto in cælum recepto. Poeta satis vetus dixit: « Et Libram, quam Cæsar habet ». Propterea quod anno ordinato Augusti natalis in principium Libræ incidebat.—Pro *Leoni* Scal. *Leonis,* non bene. Ed.

530. *Quis viribus ampla*, vulgo habent. Emendabamus : « quia viribus ampla ». Sed Gembl. « Idcirco et cedunt pecudes : quod viribus amplis Consilium est majus ».

532. *Aurea Lanigeri concessit sidere pellis.* Ante Scalig. *Aurea Lanigero.*

533. *Ipse suæ partis.* Concedit naturæ animalis. Est enim biformis. — Sed non cedit, parte qua homo est, tergore *suæ*, sive humanæ partis : sed equinæ partis, qua pecus est. Reponendum itaque videtur *Ipse feræ partis.* Supra, vs. 189, de eodem : « fera tergo membra rigentem Excipiunt hiemem ». Ed.

534. *Usque adeo est hominis virtus!* Eo usque est hominis virtus. Tanta est hominis virtus. Novum genus loquendi. — *Quo mirer*. Quo magis mirer. In sphæra mundi : *Adsueto volitans*. Longius adsueto. Non raro ita loquitur Tertullianus, ut in libro De fuga in persecutione : « tanto examinatio procuranda ». Quo magis, inquit, mirandum esset, si humana signa a ferinis vincerentur.

541. *Lanigero genitis*. Pessime hæc accepta sunt. Legebat Sc. « Lanigero genitis bellum est cum Virgine natis, Et Libra, gemini Piscis quos protulit unda ». Bellum est sub Ariete natis cum illis, qui sub Virgine : item illis, qui sub Libra, cum illis, qui sub Piscibus. Unda Piscium dicitur, quod, ut puto, Pisces, undæ innatantes pingerentur. Neque dubitandum hanc esse mentem Manilii. Sic in sphæra mundi : « Piscibus adsuetas avide subeunti-

In partes Tauri sub Cancro nata feruntur
Pectora, et in Chelis, et quæ dat Scorpios acer,
Et Pisces: at quos Geminorum sidera formant,
His cum Lanigero bellum est, ejusque trigono.
In Cancro genitos Capricorni semina lædunt.
Et Libræ partus, et quos dat Virginis astrum,
Quique sub aversi numerantur sidere Tauri
Lanigeri communis erit, rabidique Leonis
Hostis. Sed totidem bellum subscribitur astris.
Erigone, Taurumque timet, geminumque sub arcu

bus undas » : quasi ex urna Aquarii defluant, quum tamen non Pisces gemini ultimum Zodiaci signum illas aquas exeipiant, sed Piseis singularis, qui dicitur Notius.—B. sequi malui, ob vs. 525.

543. *In partes Tauri. In partes*, h. e. in contrariam factionem. Infra 619 : « At eum Lanigeri partu sub utroque trigono Non partes ». Quas enim hic partes vocat, sunt, quas a mathematicis αἱρέσεις dici sup. notavimus. Juven. Sat. IV, 1 : «et est mihi sæpe vocandus Ad partes ». Παραιρέτην suum Crispinum provocat. Ita igitur factiones vocantur, metaphora a ludo pilæ, in quo per factiones luditur. Unde removere a partibus, a societate amoliri. Capitolinus in Pertinace : « Inde ad ducentorum HS stipendium translatus in Daciam, suspectusque Marco quorumdam relatu, a partibus remotus est ». Sed in eo loco Capitolini legendum : « ad ducenariorum stipendium translatus ». De ducenariis equitibus habes apud Sueton. in Augusto : de protectoribus ducenariis mentio in duabus inscriptionibus veteribus. Legitur etiam in aliis inscriptionibus EQVI CENTENARI et DVCENARI. Apud Hieronym. de Resurrectione carnis, mentio est Senatorum ducenariorum : « Finge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum : per singula militiæ equestris officia ad tirones vocabulum devolutum : numquid ex tribuno statim tiro fit? sed ante primicerius, dein senator ducenarius, biarchus, circitor, eques, id est, tiro ». — B. *In parteis*, ut mox vs. 548.

547. *Capricorni semina*. Sub Capricorno nati.

548. *Et Libræ partus*, etc. Nam terna sidera adversari dicit Arieti et Leoni : item Virgini totidem, Taurum, Sagittarium, Pisces.

551. *Sed totidem*. Hinc incipit sententia. Sed longe depravatissima hæc habent editiones, et liber vetus. Totidem signa subscribunt bello in Erigonem. — B. rectius : *Hostis, et in totidem... astra*.

552. Pro *Taurum* B. habet *Cancrum*, nam quomodo Virgo *Taurum* timet, qui in ejus trigono est. — *Geminumque sub arcu Centaurum*. Centaurus sub arcu per hellenismum, i. e. arcum habens.—*Geminum*, h. e. biformem. Ed.

Centaurum, et Pisces. At te, Capricorne, rigentem
Maxima turba petit: Libram Capricornus, et illi
Adversus Cancer, Chelis quod utrumque quadratum est.
Quæque in Lanigeri numerantur signa trigonum,
Scorpios in totidem fecundus creditur hostis.
Æquoreum Juvenem, Geminos, Taurum, atque Leonem,
Erigonen, Libramque fugit, metuendus et ipse.
Quique Sagittarî veniunt de sidere partus,
Hos Geminis nati Libraque et Virgine et Urna
Depressisse volunt, naturæ lege jubente.
Hæc eadem, Capricorne, tuis inimica feruntur.
At quos æternis perfundit Aquarius undis,
Ad pugnam Nemeæus agit, totumque trigonum
Turba, sub unius Juvenis virtute, ferarum.
Piscibus exortos vicinus Aquarius urget,

554. *Maxima turba*. Romane dictum *maxima turba*. Signa humana. Sed est decurtata locutio, pro optima maxima: ut Varroni nux juglandis dicitur optima maxima, item fundus optimus maximus in veteribus actionibus. — *Et illi Adversus Cancer, Chelis*. Nam tam Cancer, quam Capricornus ambo sunt quadrata Libræ. Aries, Cancer, Libra, Capricornus sunt quadrata.

556. *Quæque in Lanigeri numerantur signa trigonum*. Emendabat Scalig. olim *trigoni*. Sed Gemblac. habet *trigonum*, fortasse ἀρχαϊκῶς pro trigono.

560. *Quique Sagittiferi* ante Scalig. Gembl. *Sagittarî*. Et ita semper quotiescumque *Sagittiferi* editum est.

562. Sic vet. lect. *legem et natura jubentem* emendavit Scalig. nisi præfers lectionem Gembl. codicis: *natura et lege jubente*. Unum in duobus. Alioquin eadem est sententia. Natura Centauri a Geminorum, Virginis, Libræ et Aquarii diversa. Hæc enim quatuor signa humana: ille ex utroque mixtus, ex humano et ferino.

564. *At quos*. Sensus: At turba ferarum duce Aquario agitat natos sub Aquario et toto trigono. Trigona Aquarii: Aquarius, Gemini, Libra: quæ sunt signa humana. At quadratum Aquarii: Aquarius, Taurus, Leo, Scorpio: quæ sunt tria signa ferina, vel, ut Manilius loquitur, turba ferarum sub uno juvene, sive humano Aquario. Illa, inquam, turba ferarum agitat Aquarium, atque adeo totum Aquarii trigonum. Locus erat obscurissimus. At turba ferarum in tetragono Aquarii sub unius Aquarii virtute agitat et natos sub ipso Aquario, et sub trigono Aquarii.

567. Sc. habet *ad pugnam veniens agitat*, contra libros. Ed.

Et Gemini fratres, et quos dat Virginis astrum,
Quique Sagittarî descendunt sidere nati.
Nec sola est ratio, quæ dat nascentibus arma,
Inque odium generat partus, et mutua velle.
Sed plerumque manent inimica tertia quæque
Lege, in trausversum vultu defixa maligno;
Quoque manent quæcumque loco contraria signa,
Adversosque gerunt inter se septima visus,
Tertia quæque illis utrisque trigona feruntur.
Ne sit mirandum si fœdus non datur astris,
Quæ sunt adversi signis cognata trigoni.
Per tot signorum species contraria surgunt
Corpora, totque modis, quotiens inimica creantur:
Perque tot ætates hominum, tot tempora, et annos,
Tot bella, et varios etiam sub pace labores,
Quum Fortuna fidem quærat, vix invenit usquam.
Ah quanta est scelerum moles per sæcula cuncta!

570. *Nec sola est ratio.* Nunc agit de signis sese invicem sequentibus, quorum diagramma dedit Scalig. uos, ut futilissimam rem, omittimus. Ed.—Nou una est ratio amicitiæ et odii inter signa : nam et tertia quæque inimica inter se propter lineam subtensam, ut in hexagonis dictum est. Item septima quæque, quia ex diametro : postremo quæcumque utrisque trigona, nempe tertia quæque ab illis. Scal.

576. B. *illinc utriusque*, ut *illinc* respondeat τῷ *quo loco. Utriusque trigona*, ut vs. 546 : «ejusque trigono». Ed.

577. Ante Scal. *Ne sit mirandum, si Phœbus.* Et hic quoque *Phœbus* jonculariter positum pro *fœdus*, ut supra: « Sed tamen est illis Phœbus sub lege propinqua ». Nec sit mirum, inquit, si nulla est ratio illis signis, quæ signis adversi trigoni cognata sunt.

578. *Quæ sunt adversi.* Sed Gemb. habet *adversis..... trigona*, non male. Ed.

580. *Corpora totque modis.* Post hunc versiculum expungendi octo sequentes, et continnandus hic cum illo : *Perque tot ætates hominum.* Rationibus supersedeo. Hinc fit, inquit, ut tot diversi mores nascantur, tot odia, tot bella, tot labores, et nulla adeo fides inveniatur. Nimirum hoc accidit propter tot signorum species. Horum versuum hanc sedem esse nemo negaverit, nisi imperiti et zelotypi, quos quotidie ridemus simiolos Cercopas.

584. *Ah quanta.* Ante Scalig. *Et quanta.* B. *At quantæ.*

Quamque onus invidiæ non excusabile terris!
Venales ad fata patres, matrumque sepulcra.
Imposuit Phœbus noctem, terrasque reliquit.
· Quid loquar eversas urbes, et prodita templa?
Et varias pacis clades, et mixta venena?
Insidiasque fori, cædesque in mœnibus ipsis,
Et sub amicitiæ grassantem nomine turbam?
In populo scelus est, et abundant cuncta furore.
Et fas atque nefas mixtum, legesque per ipsas
Sævit nequities: pœnas jam noxia vincit.
Scilicet in multis quoniam discordia signis
Corpora nascuntur, pax est sublata per orbem,
Et fidei rarum fœdus, pacisque tributum.
Utque sibi cælum, sic Tellus dissidet ipsa,
Atque hominum gentes inimica sorte feruntur.
Idcirco nihil ex semet natura creavit
Pectore amicitiæ majus, nec rarius unquam.
Unus erit Pylades, unus qui mallet Orestes
Ipse mori: lis una fuit per sæcula mortis,

585. *Quamque onus invidiæ non excusabile terris.* Quid est onus excusabile? Digna sententia defensoribus suis. Non intelligo. Nescio au Manilius scripserit *non excussabile*, quod deponi non potest. Certe nihil verius. Quid magis accommodum ooeri quam excussio?—*Non excussabile*. Hesiod. ἀργαλέον ἀποτέσθαι. Nondum displicet prior emendatio: « Quamque onus invidiæ non exitiabile terris ». Sueton. « exitiabilem invidiam sibi movit ».—B. *Quantum onus*, et *excussabile* non probat. *Non excusabile* est quod purgari, expiari non potest. Ed.

595. *Scilicet in multis quoniam discordia signis.* Ante Scalig. *Scilicet in multis quoniam discordia vincit.*

597. B. *paucisque tributum.*

598. B. *displicet ipsi*, h. e. sibi.

599. *Atque hominum gentes.* Versus illos, quos supra dispunximus, cum hoc continuandos esse, te ipsum judicem fero, nisi aut bardus, aut malignus es. Vide sententiam: « Atque hominum gentes inimica sorte feruntur. Idcirco nihil ex semet Natura creavit Pectore amicitiæ majus ». De odio dixit. Sequitur de amicitia. — B. autem hos versus 600-607 post vers. 581 habet. Ed.

603. *Lis una fuit per sæcula mortis, Alter quod raperet fatum, non cederet alter.* Subintelligendum autem *quibus*. Quibus una lis fuit mortis. Ut *Exiguum natura dedit.*

Alter quod raperet fatum, non cederet alter.
Et duo qui potuere sequi vadimonia sponsi:
Optavitque reum sponsor non posse reverti,
Sponsoremque reus timuit, ne solveret ipsum.
Si tamen et cognata cupis dignoscere signa,
Quæ jungant animos, et amica sorte ferantur,
Lanigeri partus cum toto junge trigono.

Cui exiguum natura dedit. Maniliana ellipsis jam tribus locis a nobis animadversa. — *Levis una.* Hæc est scriptorum codicum, et textus Bonincontrii, et vetustiorum editionum lectio. Editio Lugdunensis omnium recentissima *urna* pro *una* innovavit, ineptissime: unum par, inquit, amicorum succurrit, quibus nullum jurgium intercessit, præter unam litem mortis: quum alter alteri mortis caussam præripere vellet. Porro *levis* est vestigium priscæ lectionis archetypi, unde omnia sequioris notæ Maniliana exemplaria propagata sunt. Nam *leis* scriptum fuit. Veteres enim *leitem veitem*, et similia, pro *litem* et *vitem* dicebant, ut nemo paullo eruditior ignorat. Ergo ex illo *leis* factum *levis*. Notum illud: *quam leitem, sive rem.* — *Per sæcula mortis.* Per sæcula, hoc est, in toto vitæ suæ tempore unam tantum litem hanc mortis habuerunt: ita sæculum hic, ut in divina pagina, sumitur pro tempore quovis.

604. *Alter quod raperet.* Notum illud Pacuvianum: «Ego sum Orestes: Immo ego Pylades».

605. Ante Scal. *Et duo qui potuere sequi vix noxia pœnis.* Omnino historia, et ductus literarum legendum clamat: «Et duo, qui potuere sequi vadimonia sponsi». Quid erat *vix noxia pœnis*? Vere fungi sunt, qui hæc non agnoscunt. De Damone et Pythea, vel potius Phintis, etiam me tacente hic agi notum est. Habes apud Ciceronem III de Officiis, et in Tusculanis; apud Lactant. lib. V. Apud Valer. Max. lib. IV, cap. 7, et Iamblich. ex Aristoxeno, qui primus hanc historiam memoriæ prodidit. Et Ælianum de varia historia. — B. autem *sequi vestigia: tum quum*, etc. feliciore conjectura. Duo soli, qui Orestis et Pyladæ exemplum imitari potuerunt.

607. *Sponsoremque reum metuit, ne solveret ipsum. Ipsum*, se ipsum. Maniliana locutio. Metuit sponsorem, ne. Metuit ne sponsor: notus hellenismus.

608. *Si tamen et cognata.* Explicatis signis adversariis, et caussis inimicitiarum, litium, atque odiorum, præmisit, demonstrationis caussa, utilitates et exempla amicitiæ, quibus nunc subjungit signa, quæ amicitiam, concordiam, fœdus et pacem conciliant. Hæc autem fiunt per trigona, tetragona, hexagona et diametra.

610. *Lanigeri partus.* Primum trigonum, vel, ut vulgus mathematicorum loquitur, triplicitas, ex Arabibus, qui dicunt triplicatum pro trigono.

Simplicior tamen est Aries, meliusque Leone
Prosequitur genitos, et te, Centaure, creatos.
Qua colitur, namque est natura mitius astrum :
Expositumque suæ noxæ, sine fraudibus ullis :
Nec minus ingenio molli, quam corpore constat.
Illis est feritas signis, prædæque cupido,
Venalisque animus, nonnumquam excedere cogit
Commoditate fidem, nec longa est gratia facti.
At cum Lanigeri partu sub utroque trigono
Non partis : sed rara gerit pro tempore bella,
Quod feritas utriusque magis pro tempore cogit.
Plus tamen in duplici numerandum est roboris esse,
Quoi commixtus homo est, quam te, Nemeææ, sub uno.

611. *Meliusque Leone*, ex Gemb.

613. *Qua colitur, namque est natura mitius astrum.* Quatenus est cicur animal, et cultus patiens, eatenus est mitius, quam reliqua duo, Leo et Sagittarius. — Hæc Scal. Sed natura mite est, non cultu et arte mansuescit. B. igitur reposuit *quam colitur.* Ordo est : Aries melius prosequitur Leonem et Centaurum, quam ab aliis colitur : quippe ipse mitis et simplex, illi feri et prædatores. Ed.

614. *Expositumque suæ noxæ.* Sic Sallustio : « Opportunus injuriæ », quod ille maximus Atticismi captator accepit e medio Athenarum. — B. *nec* pro *sine*, et vs. seq. *vellere constans.*

615. *Nec minus ingenio molli.* Sc. distinguit : « Nec minus ingenio molli, quam corpore constat », et explicat : Non minus ingenium mite illi est, et mollis natura, quam lana ipsa, quam gerit. Vid. not. sup.

617. B. *et vendere cogit :* latine *excedere fidem* pro *rumpere, prodere* dici negat. Illud enim significat, omnem fidem superare. Ed.

619. *At cum Lanigeri.* Locus insigniter fœdatus, quem ita restituit Scalig. — *Partis*, archaismus, id est, partes. Partes pro factione poni alibi docuimus. — *Sub utroque trigono.* Sub duobus reliquis de trigono, Leone, Sagittario. Non utique cum Ariete et reliquis trigoni duobus Zodiis est bellum. Sed tamen aliquando intercedit frigusculum : quod magis ex feritate Leonis, et Centauri, quam Arietis natura occidere ponendum est. Sed B. merito hunc vs. et duo seqq. pro spuriis habet. Ed.

623. *Quoi commixtus homo est.* Sed potest legi *commissus*, ut supra : « et pectus equo commissus equino ». Virg. Æn. III, 428 : « Delphinum caudas utero commissa luporum ». Et sane non commixtus est, sed commissus. In hoc trigono, inquit, melior est Aries, deteriores Leo et Sagittarius ; quanquam et Leone melior Sagittarius propter anterio-

Idcirco et pax est signis, et mixta querela.
Quin etiam Tauri Capricorno jungitur astrum;
Nec magis illorum coeunt ad fœdera mentes.
Virgineos etiam partus, quicumque creantur
Tauro, complecti cupiunt : sed sæpe queruntur.
Quosque dabunt Chelæ, et quos dat Aquarius ortus,
Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.
Magnus erit Geminis amor, et concordia duplex.
Magnus et in multos veniet successus amicos.
Scorpios et Cancer fraterna in nomina ducunt
Ex semet genitos : necnon et Piscibus orti
Concordant : illis (nam sæpe est subdolus actus)
Scorpios adspergit noxas sub nomine amici.
At quibus in lucem Pisces venientibus adsunt,
His non una manet semper sententia cordi.
Commutant animos interdum, et fœdera rumpunt,
Ac repetunt : tectæque lues sub fronte vagantur.
Sic erit ex signis odium tibi paxque notanda:

rem partem, quæ humana est. Et ideo quod duplex melior eo, qui simplex.

624. *Idcirco pax est.* Pax ab Ariete, querela a duobus reliquis trigonis.

625. *Quin etiam Tauri.* Secunda triplicitas, sive secundum trigonum.

627. *Nec magis illorum.* Contrarium menti suæ dicit. Aut legendum *Nec minus*, aut *Et magis.*—Sed errat Scal. nam Taurus et Capricornus in eodem trigono sunt : *Nec tamen magis* concordes sunt, quam Aries et Centaurus : quia hinc signa singula sunt, illinc duplicia. Ed.

629. *Quosque dabunt Chelæ.* Tertia triplicitas.

633. *Scorpios et Cancer.* Quarta triplicitas.

635. *Illis nam sæpe est subdolus.* B. *Concordant illis : sæpe est et subdolus astus :* et sic Heins. et Huetius.

639. *Commutant animos.* Commutationes animorum sunt, quas Comicus describit : « Bellum, inimicitiæ, pax rursum ». Estque illud plane, quod ait : « interdum fœdera rumpunt, Ac repetunt ».

641. *Sic erit ex signis odium tibi paxque notanda.* Odium ex signis notatum absolvit, sed nondum pacem ex signis complevit. Superest enim quadratorum, hexagonorum, diametrorum descriptio, ex quibus pax petenda. Versus est epilogicus, et in finem totius tractatus rejiciendus. Præterea sequitur alius versus epilogicus, de triplicitatibus longe diversus. Itaque duo sunt epilogi de re diversa. Quod est absurdum. Dubito an sit Manilii.

In terris geniti tali sub lege creantur.
Nec satis est tantum solis insistere signis.
Contemplare locum cæli, sedemque vagarum.
Parte genus variant, et vires linea mutat.
Nam sua quadratis veniunt, sua jura trigonis,
Et quæ per senos decurrit virgula tractus,
Quæque secat medium transverso limite cælum.
Hinc modo dat mundus vires, modo deterit idem :
Quæque illic sumunt iras, hic acta reponunt.
Distat enim, surgantne eadem, subeantne, cadantne.
Crebrius adversis odium est : cognata quadratis
Corpora censentur signis, et amica trigonis.
Nec ratio obscura est : nam quartum quodque locavit
Ejusdem generis signum natura per orbem.
Quattuor æquali cælum discrimine signant,
In quibus articulos anni Deus ipse creavit,
Ver Aries, cererem Cancer, bacchumque ministrans
Libra, Caper brumam, genitusque ad frigora Piscis.

642. *In terris geniti.* Sane bene *in terris.* Nam profecto homines in cælo non nascuntur. Imperite fecerunt, qui mutaruut. Manilius enim scripsit *in ternis.* Est enim epilogus trigonorum, sive triplicitatum. Tali sub lege, inquit, nascuntur in trigonis. — *In ternis geniti.* Ita alibi : « snb Cancro nata feruntur Pectora, et in Chelis ». Item supra, 547 : « In Cancro genitos Capricorni semina lædunt ».

643. *Nec satis est.* Non, inquit, satis est sola ipsa signa per se considerare. Nam variant aut planetarum commixtione, aut alia configuratione : trigona enim amicantia accessione maleficarum stellarum odium generant, et signum trigoni. lege consideratum, quadrati aut diametri lege alias vires habet. Item distat, orianturne, an occidant, id est, sint diametri intervallo separata. — B. *Nec satis hoc tantum*, et vs. seq. habet pro spurio. Ed.

645. *Parte genus variant. Parte*, situ. Nam alias vires habebnut in trigono, alias in quadrato ; alias in oriente, alias in occidente.

650. *Hic acta reponunt*, solœcismus. Lege *huc*. Ed.

651. *Distat enim surgantne*. Distat, sese respiciant ex diametro, nec ne.

652. *Crebrius adversis*. Ex diametris odium, ex qnadratis amicitia, item ex trigonis.

659. *Caper brumam genitusque ad frigora Piscis*. Id est, Caper, idemque Piscis. Est enim pars Caper, pars Piscis.

Necnon et duplici quæ sunt connexa figura,
Quartum quemque locum retinent: duo cernere Pisces,
EtGeminos juvenes, duplicemque in Virgine formam,
Et duo Centauri licet uno corpore textos.
Sic et simplicibus signis stat forma quadrata.
Nam neque Taurus habet comitem, nec jungitur ulli
Horrendus Leo, nec metuit sine corpore quemquam.
Scorpios atque uno censentur Aquarius astro.
Sic quæcumque manent quadrato condita templo
Signa, parem referunt numeris, aut tempore sortem.
Hæc veluti cognata manent sub fœdere tali.
Idcirco adfines signant, gradibusque propinquis
Accedunt, unaque tenent sub imagine natos.
Longior in spatium porrecta est linea majus,
Quæ tribus emensis signis facit astra trigona :

660. *Necnon et duplici.* Divisio signorum duplicum. Dicuntur etiam biformia.

663. Ante Scalig. *Et duo Centauri lic. u. corpore texti. Duo* quarti casus. Virg. Æn. XI, 285 : « Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros ». Licet, inquit, cernere duos contextos in uno corpore Centauri. Est enim biformis. Gemblacensis hac in parte sanus non est : « Et duo Centauri licet uno in corpore textum ». — B. *licet uno corpora textu*, sane melius.

664. *Sic et simplicibus.* Simplicia signa sunt, quæ succedunt tropicis, ut biformia, quæ præeunt tropicis, biformia sunt antecedentia, simplicia sequentia. Ita tropica duobus utrimque lateralibus signis stipantur. Tropica Arabes mobilia vocant: simplicia fixa, quia Græcis etiam στερεὰ dicuntur : biformia communia, quia temporis antecedentis exitum, et sequentis initium tenent.

666. B. *Nec meruit sibi nectere quemquam Scorpios*, et vs. seq. *censetur.*

670. *Ac veluti cognata.* Ad cognationes et adfinitates quadrata plurimum valere : ad externorum amicitias contrahendas triquetra.

671. *Gradibusque propinquis.* Ita recte Lugdunensis editio ; quum antea ineptissime etiam Gemblac. et veteres editiones et textus Bonincontrii haberent, *gravibusque propinquis.* Ubi homo minime malus Bonincontrius interpretatur *gravibus*, id est, stabilibus et fixis signis. —*Adfines signant, gradibusque propinquis Accedunt* pro eodem dixit. Adfinitas idem est cum gradibus propinquitatis.

672. B. *unoque tenent ab sanguine.* Bene. Nam non de eadem forma corporis, sed de consanguinitate agitur. Ed.

674. *Quæ tribus emensis signis.*

Hæc ad amicitias imitantes jura, gradumque
Sanguinis, atque animis hærentia pectora ducunt.
Utque ipsa ex longo coeunt submota recessu,
Sic nos conjungunt majoribus intervallis.
Hæc meliora putant, mentes quæ jungere possunt,
Quam quæ nonnumquam fœdus sub sanguine fallunt.
  Quotquot cardinibus proprio quadrante moventur,
Proxima vicinis subscribunt, tertia quæque

Ait trigonum omnium schematum ad jungendas amicitias esse efficacissimum : de quo loquitur etiam Ptolemæus. Quia nimirum ejus linea longior ac longius spatium complectitur, ac remotiores angulos conjungit. Ideo pertinebit ad amicitias externas, et ad diversarum nationum atque alias externas amicitias conjungendas.

675. *Hæc ad amicitias.* Arctissimam amicitiam intelligit, quam Græci Astrologi astrothesiam vocant. Id quod jam supra attigimus, nec opus repetere.

676. B. *fœdera ducunt*, meliori quidem sensu. Ed.

680. *Quam quæ nonnumquam.* Melior, inquit, amicitia positione, quam amicitia natura; quod in adfinitatibus interveniunt friguscula, dissentiunculæ, quas Græci Astrologi παρασιωπήσεις vocant, quales in amantium iris: immo quas auctor noster superius designavit : « Commutant animos interdum, et fœdera rumpunt, Ac repetunt ». Et in veteribus monimentis conjugiali amori nullas dissentiunculas intervenisse illis verbis declarabatur : *cum qua vixit sine ulla querela*, aut *sine ulla animi læsura*.

681. *Quotquot cardinibus proprio quadrante moventur Proxima.* Persequitur sermonem de quadratis. Quadrata triplicia sunt, ut supra diximus, cardinalia, simplicia, dupla. Ac quidem cardinalia sunt cognatorum, simplicia vicinorum, dupla hospitum. Paucis obscurissimum locum explicavimus. Quotquot igitur cardinalia proprio quadrante moventur, ut Aries, Cancer, Libra, Capricornus, hæc : « adfines signant, gradibusque propinquis Accedunt, unaque tenent sub imagine natos » ; ut jam antea dixerat. — B. scribit *serie variante moventur*. Cæterum hos versus hoc ordine digerit : « 673, Proxima. 674, Hospitibus. 675, Quotquot. 676, Quæ quamquam. 677, Sidera quadrata. 678, Censentur. 679, Longior. 680, Quæ tribus. 681, Hæc ad amicitias. 682, Sanguinis. 683, Utque. 684, Sic nos. 685, Hæc meliora. 686, Quam quæ. 687, Adde suas. 688, Nam nihil ». Constructio clarior, sed audacissima. Ed.

682. *Proxima vicinis subscribunt tertia quæque Hospitibus.* Non est locus, qui non dicam me, sed et omnes magis fugerit. — *Proxima vicinis*, etc. Signa simplicia et fixa sunt, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius : quæ sunt vicina cardinibus, vicinos conciliant. — *Tertia quæque.* Signa dupla, vel

Hospitibus: sic astrorum servabitur ordo:
Quæ quamquam in partes divisi quatuor orbis
Sidera quadrata efficiunt, non lege quadrati
Censentur: minor est numeri, quam cardinis usus.
Nam nihil in totum servit sibi: mixta feruntur.
Ipsis dant fines astris capiuntque vicissim.
Quæ mihi mox certo digesta sub ordine surgent.
Adde suas partes signis, sua partibus astra.
Omnibus ex istis ratio est repetenda per artem,

biformia, sunt: Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces: quæ sunt remotiora a cardinalibus (sunt enim tertia) hospitibus dicata.

683. *Sic astrorum servabitur ordo.* Sic servatur ordo in quatuor νομίμοις, quæ jus humanum continent, ut in astris. Quatuor illa νόμιμα, sunt συγγένεια, cognatio, a natura: κηδεία, adfinitas, a lege: habitatio et vicinia, a jure gentium: hospitalitas, a naturali et gentium. De adfinitate dixit. Eam enim adsignat trigonis: reliqua tria quadratis et quidem secundum consequentiam signorum. Nam cardinalibus signis proxima sunt fixa, illis biformia. Primis cognati, secundis vicini, tertiis hospites adsignati. Quantum noctis invexerat trajectio illius versiculi, *Quotquot cardinibus*, etc. quis hæc antea capiebat? Deinde *proprio variante*, pro *proprio quadrante* ineptissime legebatur; quod et tenor sententiæ, me tacente, docet. — *Sic astrorum.* Non male legeretur: *si castrorum servabitur ordo.* Si, inquit, signorum sequentium ratio habeatur. Sed nihil mutamus. Putamus tamen ita Manilium scripsisse.

684. *Quæ quamquam in partes divisi.* Quæ quidem cardinalia, quamquam jure divisi quadrifariam circuli quadratum sive tetragonum figuram efficiunt, non ideo tam valent jure quadrati, quam jure cardinis: ut ideo proxima, et tertia ab illis.

685. B. *Altera quadrata.* Ed.

686. *Minor est numeri.* Quamquam quadrata sunt Aries, Cancer, Leo, Sagittarius: tamen non tam quod quadrata, quam quod cardinalia, eorum ratio habetur. Similiter sequentia, id est, signa fixa, itemque biformia et ipsa quoque non tam jus suum capiunt a lege quadrati, quam a lege cardinis, idque singula in proprio quadrante, ut ipse ait, non utique in alieno.

687. *Nam nihil in totum servit sibi.* Siquidem si tantum lege quadrati valerent, servirent tantum suo sibi nomine, quia quadrata. Atqui eorum vis est mixta ex jure cardinum et quadrati.

688. *Ipsis dant fines astris.* Quatenus sunt quadrata, dant fines, et legem quadrato, et tunc servire sibi videntur, id est, contemplatione sui tantum effectus habere. Quatenus vero in cardinibus constituta, legem et fines a cardinibus acci-

Pacata infestis signa ut perdiscere possis.
Perspice nunc tenuem visu rem, pondere magnam,
Et tantum Graio signari nomine passam,
Dodecatemoria in titulo signantia caussas.
Nam quum tricenas per partes sidera constent,
Rursus bis senis numerus diducitur omnis.
Ipsa igitur ratio binas in partibus esse,
Dimidiasque docet partes: his finibus esse
Dodecatemorium constat; bissenaque cuncta
Omnibus in signis: quæ mundi conditor ille
Adtribuit totidem numero fulgentibus astris;
Ut sociata forent alterna sidera sorte,
Et similis sibi mundus, et omnia in omnibus astra,
Quorum mixturis regeret concordia corpus,
Et tutela foret communi mutua caussa.
Idcirco quamquam signis nascuntur eisdem,

piunt. — B. *Ipsis dant vires.* Ed.

691. *Pacata infestis signa ut perdiscere possis*, ex Gemblac. Pacata signa amicantia vocat, de quibus proxime loquebatur. Infesta vero inimicantia, de quibus antea. — *Pacata infestis.* Post hunc versum melius cohæreret ille, qui in alienas sedes irrepsit (641), si modo Manilii est: « Sic erit ex signis odium tibi, paxque notanda ». — *Perdiscere possis.* Nove dixit perdiscere, quod alibi dignoscere. Dignoscere nigrum albo frequenter dicimus. — B. reponit *dignoscere.*

693. *Perspice nunc tenuem.* Virg. Georg. IV, 6: « In tenui labor, at tenuis non gloria ». — *Perspice.* Inepte Bonincontrii textus *Prospice.* Sic alibi: « Nunc age subtili rem summam perspice cura ». Ubi idem error in Bonincontrio.

694. Pro *signari* B. *dignari*, quia sequitur *signantia.* Alii habent, *quæ tantum... possit.* Ed.

695. Vid. Excursus IV ad calcem hujus libri.

696. *Nam quum tricenas.* Signi integri partes XXX. Divisis in XII, unaquæque erit partium II. S. Dodecatemorion ergo est sestertius gradus; quomodo dicitur sestertius pes in lege XII Tabularum.

697. Olim *numerus deducitur omnis.* Gembl. *diducitur omnis*, melius. Nam triginta per duodecim diductis, id est, divisis, fit id, quod ipse dicit, nempe ut dodecatemorion sit binarum et semissis partium.

698. *Binas in partibus esse.* Divisis XXX partibus unius signi in XII, dodecatemorium est binarum partium cum semisse. *Binas et dimidiam partem*, i. c. sestertium gradum. *In partibus*, id est, dode-

Diversos referunt mores, inimicaque vota.
Et sæpe in pecudes errat natura, maremque
Femina subsequitur : miscentur sidere partus,
Singula divisis variant quot partibus astra
Dodecatemoriis, proprias mutantia vires.
Nunc quid sit, cujasve, canam, quove ordine constet,
Ne vagus ignotis signorum partibus erres.
Ipsa suo retinent primas in corpore partes
Sidera : vicinis subeuntes adtribuuntur.
Cætera pro numero ducunt ex ordine partes.
Ultima et extremis ratio conceditur astris.

catemoriis, quæ sunt signa technica, para duodecima unius signi naturalis; quemadmodum unum signum naturale duodecima pars Zodiaci. At Bonincontrius *partes binas*, id est, xxiv, et *dimidias*, in sex, quæ conficiunt triginta. Vides acumen hominis. Et tamen fieri poteat, ut nos quibusdam præ illo nugari videamur. Neque deerunt, qui ita arbitraturi sint.

711. Olim *singula diversis*. Gemb. *divisis*. Et frequens commutatio est in hoc auctore *divisis* et *diversis*. Ita erit, quot partibus astra variant, divisis Dodecatemoriis. Sed profecto Manilius scripserat : « Singula divisi variant quot partibus astra Dodecatemorii proprias mutantia vires ». Nam astra, id est, Dodecatemoria technica variant secundum partes Dodecatemorii Zodiaci divisi. Nihil mutamus. Rem in medio relinquimus. — B. *variant quod*. Diversos enim referunt mores, *eo quod* astra divisis partibus variant.

713. *Nunc quid sit cujusve*. Gemb. male *cujusque*. Legendum *cujasve*, i. e. quale. Apud Prudentium : « Deumque Quem colat, aut jussu cujatis venerit ». — B. *quæ sint cujusque... constent*.

715. *Ipsa suo retinent*. Signa, inquit, proposita, vindicant sibi primas partes : ut in exemplo superiore : proposita est pars XIII Geminorum. Ergo primum Dodecatemorion adtribuit Geminis, signo proposito.—*In suo corpore*, i. e. in se ipsis : ut puta Gemini, quia illud est signum propositum, primas tricenas partes retinebunt in suo corpore. At Bonincontrius putat, de corporibus nostris intelligi, et *vicinis* interpretatur planetis.

716. *Vicinis subeuntes*. Subeuntes partes, id est, reliquæ partes de 156 (deductis 30, quas adtribuimus signo proposito) 126 distribuuntur in vicina et proxime sequentia signa. — B. *vicinæ subeuntibus*, ex vetustis codd. quatuor : i. e. *vicinæ* partes dantur signis *subeuntibus* sive sequentibus. Ed.

717. B. *sortes* legit, non *partes*, et hoc poscere dicit τὸ *ducunt*. Virg. Æn. VI, 22 : « Stat ductis sortibus urna ». Ed.

718. *Ultima et extremis*. Extremus numerus extremo signo debetur.

Singula sic retinent binas in sidera quæque,
Dimidiasque sui partes, et summa repletur
Sortibus exactis triginta sidere in omni.
Nec genus est unum, ratio nec prodita simplex,
Pluribus inque modis verum natura locavit,
Diduxitque vias, voluitque per omnia quæri.
Hæc quoque comperta est ratio sub nomine eodem.

Erogatis triacontadibus in omnia signa, reliquus numerus reliquo signo imputatur.

719. B. dat in *sidere quoque*, ut infra v. 747.

720. B. *Dimidiasque sibi.*

721. Pro *Sortibus* B. *Partibus ;* vid. vs. 717. *Partes* quidem in omni sidere triginta sunt : sed *sortes* tantum duodecim. Ed.

722. *Nec genus est unum.* Nec una, inquit, est methodus. Nam alii multiplicant in duodecim, alii in sestertios gradus distribuunt : quæ methodus eodem recidit. Hoc vult, puto, Noster. Paullus Alexandrinus multiplicationem in duodecim falsi convincit. Esto, inquit, Sol in xxx Arietis, multiplicatione in xii facta, et distributis omnibus tricenariis, initio sumpto ab Ariete, numerus desinet in Piscibus, et non perveniet in Arietem, quod verum est. Atqui, inquit, hoc verum est Dodecatemorium, quando multiplicatione tricenarii numeri facta in alium numerum, summa in idem Zodion incidat, a quo initium factum est. Atqui tricenario in xii multiplicato incidit numerus non in Zodion, a quo initium factum est, sed in proxime antecedens. Ergo multiplicatio in xii est brevior justa. In xiii igitur multiplicatio facienda. Ita 30 in 13 ductis, distributionis initio ab Ariete facto, secundum hypothesim, numerus cadet in ipsam tricesimam Arietis. Quæ et ipsa nihilo sequius inepta sunt, quam cætera. Itaque nihil aliud, quam vanam scientiam ridere possumus. Nam quis illi concedat numerum in ipsum Zodion, a quo initium factum, eadere debere?

723. Olim *pluribus inque modis rerum.* Scribe *verum.* Manifesta est menda. Firmicus : « Celari enim et abscondi plurimis tegumentis natura Divinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis esset accessus, neve cunctis patefacta majestatis suæ origine panderetur ». In textu Bonincontrii est *Finibus inque modis*, a typographis an a Bonincontrio.

724. Vulgo, *Deduxitque vias.* Inepte. Viam non deducimus : sed via nos deducit. Et hoc non vult Manilius. Vult per ramosa compita et multa diverticula ad veritatem perveniri. Ergo lege, *Diduxitque vias.* In multos ramos et multa compita divisit hanc viam.

725. *Hæc quoque comperta est ratio.* Explicata doctrina Dodecatemorii signorum, nunc ad Dodecatemorion planetarum progreditur. Exemplum in Luna instituit. Idem potest in reliquis sex planetis. Est autem eadem methodus, quæ Dodecatemorii signorum.

Quacumque in parti nascentum tempore Luna
Constiterit, numeris hanc ter dispone quaternis,
Sublimi totidem quia fulgent sidera mundo.
Inde suas illi signo, quo Luna refulsit,
Et quæ dehinc fuerint, partes numerare memento.
Proxima tricenas partes sententia ducit.

729. *Quacumque in parti.* Quia signorum Dodecatemorion est et Solis et Lunæ, hic Manilius Dodecatemorion Lunæ tractat. Et eadem methodus cum altera. Ut a signo, in quo Sol fuerit, initium in illa sumitur, ita in hac a signo, in quo Luna.—*Quocumque in partu.* Et hoc quoque ineptissime. Neque insectamur Bonincontrium, cui mendosa lectio imposuit. Legendum igitur: « Quacumque in parti nascentum tempore Luna Constiterit, numeris hanc ter dispone quaternis ». Quam inepte antea legebatur, *Quocumque in partu.* Non de partu loquitur, quamquam de hora genituræ agit. Non ita stolidi sumus, ut hoc concedamus. Sed de parte signi, in qua Luna fuerit tempore genituræ: quam multiplicare jubet per XII. Alioqui multiplicandus esset partus. Quod quam ineptum esset! Quod de Luna dicit, idem de omnibus planetis diei potest.

730. Olim *Quæ dehinc defuerint.* Et hoc quoque ridicule. Scribendum enim: « Et quæ dehinc fuerint ». Sic enim locus concipiendus: « Inde suas illi signo, quo Luna refulsit, Et quæ dehinc fuerint, partes numerare memento ». *Inde suas*, nempe tricenas partes. *Et quæ dehinc fuerint*, hoc est, et sequentibus signis. Memento attribuere suas partes primo signo, mox sequentibus. Nam quod Bonincontrius intelligit de partibus, quæ desunt Lunæ ad explendum signum, id vero risu, non insectatione dignum est. Non enim a partibus, sed a toto signo numerandum, ut in Sole factum. Neque enim si Luna fuerit in 23 Scorpii, a septem reliquis putandum (quod quid sit, nemo capere possit), sed a toto signo Scorpii. Plane in tota doctrina Dodecatemoriorum infans est Bonincontrius. Sed ne alii quidem, qui alios insectari solent, melius hæc capere potuissent, nisi nos illis ad hæc viam muniissemus. Tamen serio dissimulabunt, et numquam hæc ignorasse videri volent.—Minori mutatione B. legit: *Quæque hinc defuerant, partes*: h. e. et suas partes, et quæ hinc defuerant; ut in toto triginta partes primo signo tribuantur. Esto Luna in XV parte Arietis: et istas quindecim ei tribue, et alias XV, quæ defuerant, ut fiant XXX. Ed.

731. *Proxima tricenas partes.* Aliud genus Dodecatemorii Lunaris, quod nihil habet commune cum superiore. Vide quot tricenas partes distat Luna a Sole. Eas aufer. Reliquas partes divide in sestertios gradus. Ubi te destituet numerus, ibi erit Lunæ Dodecatemorion. Sin autem tricenos numeros non habuerit, tamen divide reliquas

Hic ubi deficiet numerus, tunc summa relicta
In binas sortes adjecta parte locetur
Dimidia, reliquis tribuatur ut ordine signis.
In qua destituent te, justum Luna tenebit

partes in sestertios gradus, ut in methodo Solaris Dodecatemorii. Esto Sol in XIII Geminorum, Luna in XXIII Scorpii. Arcus est partium CLX, in quo sunt quinque Triacontades: quibus sublatis, supersunt decem, quæ in 2 ½ gr. divisa dant quatuor Dodecatemoria: quæ a Scorpio, ubi Luna est, in sequentia Dodecatemoria Zodiaci erogata desinent in fine Aquarii. Ita Lunæ Dodecatemorion est in fine Aquarii. Hæc omnia antea omnibus ignota erant. Recte autem Demophilus hanc methodum aliam dicit. Alia enim res est, neque ullam cum altera cognationem habet. Nam ex priore methodo Lunari multiplicentur 23 Scorpii in 12. Fient 276. In quibus triacontades sunt novem, partes reliquæ sex, quæ a Scorpio, in quo Luna est, putatæ desinunt in sextam partem Leonis. — *Proxima tricenas partes sententia ducit. Ducit* est *deducit*, per aphæresin. Sed manca est oratio. Non enim dicit unde illæ triacontades sint deducendæ. Plena esset oratio, si ita scripsisset: « Proxima tricenas partes sententia ducit, Luna quot a Phœbo distans per signa recessit ». Nostri insectatores numquam hujus loci sententiam consequuti fuissent: et tamen hoc non magis moverit illos, quam si nihil in Manilio præstitissemus. Qui ridere volet, legat Bonincontrii in hunc locum expositionem. Nos vero illi bono viro omnia condonamus, id est, ignorationem hujus antiquitatis. Σόλοικον autem orationis ab eo animadversum non esse, hoc vero non stomachum nobis, sed risum movet. Sed longe stolidius fecerint, qui eum sequentur. — *Sententia ducit.* Ita ratio postulat, ita Gemblac. ita Germanica et Lugdunensis editio. Textus Bonincontrii *ducunt*, et invenit patronos Bonincontrium ipsum et alios. Flagro hæc digna sunt. — *Tricenas pariterque sequentia ducunt* apud B. Clarus sensus: proxima et item sequentia signa triginta partes habeant, donec numerus exhauriatur. Ed.

732. *Hic ubi deficiet numerus.* Ubi absumptæ erunt, et deductæ omnes triacontades.

733. *In binas sortes adjecta parte locetur Dimidia, reliquis tribuatur ut ordine signis.* In sestertios gradus reliqua summa dividenda. Ut in exemplo nostro de 160 gradibus, triacontadas quinque deduximus. Reliqua decem in duo et semissem partiti sumus. Hæc egregie restituta sunt. Quod non pudebit dicere. Non enim adhuc æquos judices nostrarum vigiliarum et beneficii in hunc auctorem collati nacti sumus. Nos ipsimet in Olympico stadio nos victores prædicabimus. Ferat nos candidus lector non tam meriti nostri, quam ingratorum hominum caussa nos hæc παῤῥησιάζειν. Quamquam non deest stupor, tamen majorem partem vindicat sibi in illis cacoethia et ambitio. Miseret me eorum. Scal.

735. B. *destituent, ejus tum.* Bene.

Dodecatemorium signi : post cætera duces
Ordine quæque suo, sicut stant astra locata.
Hæc quoque te ratio ne fallat, perspice paucis.
Major in effectu, minor est : quod partibus ipsis
Dodecatemorii quid sit, quod dicitur esse
Dodecatemorium : namque id per quinque notatur
Partes : nam totidem præfulgent sidera cælo,
Quæ vaga dicuntur : ducunt et singula sortes
Dimidias, viresque in eis et jura capessunt.
In quocumque igitur stellæ quandoque locatæ

Nihil est enim, cur dicatur justum dodecatemorium; nam justum esse illud necesse est, ut dodecatemorium sit. Sensus est : Luna tum tenebit dodecatemorium ejus signi, in quo destituent partes, sive numeri. Ed.

737. Olim *sic constant astra locata*. Legendum : « Ordine quæque suo, sicut stant astra locata ». Similiter in secunda Institutione : « Ordine naturæ, sicut stant cuncta locata ». Gemblacensis hic nonnihil trepidat. Habet enim : « Ordine quæque velut stant astra locata ». Mendose.

738. *Hæc quoque te ratio ne fallat*. Aliud Dodecatemorii genus, quod dicitur Dodecatemorion Dodecatemorii. Unum Dodecatemorion est sestertius gradus, ut diximus, hoc est, quinque dimidii gradus. Singuli dimidii gradus singulis suis planetis adtribuuntur. Et hic quoque Bonincontrius graviter errat, qui clementius a nobis acciperetur, quam ab aliis acciperetur, si malum aliquod fatum miserum interpretem horum furori objecisset. Sed bene cum eo agitur, quod illi Bonincontrio harum rerum peritiores non sunt.

739. *Major in effectu minor est*. Quo particularior, eo certior. Atque adeo Dodecatemorion planetæ, quod est Dodecatemorion Dodecatemorii, est certius et pollentius ipso Dodecatemorio, cujus Dodecatemorion est. Atque id est, quod vult illis : « Major in effectu minor est : quod partibus ipsis Dodecatemorii quid sit, quod dicitur esse Dodecatemorion ». Est, inquit, Dodecatemorion quoddam in partibus ipsius Dodecatemorii.

741. *Namque id per quinque notatur*. Sestertius gradus respondet quinque dimidiis partibus. Singula earum singulis planetis adtribuuntur. Hoc est, quod dicit : « ducunt et singula sortes Dimidias ». Singula nempe quinque sidera, quæ jam dixit, hoc est, planetæ.

744. Olim *Dimidias vires quæ in eis et cura capessunt*. Hæc deplorata ita restituuntur in integrum : « ducunt et singula sortes Dimidias, viresque in eis et jura capessunt ». Perspice verum.

745. *In quocumque igitur... quandoque*, etc. Egregie hunc loc. restituit codex Gemblacensis : « In quocumque igitur stellæ quandoque locatæ Dodecatemorio fuerint, spectare

Dodecatemorio fuerint, spectare decebit.
Cujus enim stellæ fines in sidere quoque
Inciderint, dabit effectus in viribus ejus.
Undique miscenda est ratio, per quam omnia constant,
Verum hæc posterius proprio cuncta ordine reddam.
Nunc satis est, docuisse suos ignota per usus:
Ut quum perceptis steterit fiducia membris,
Sic totum corpus facili ratione notetur,
Et bene de summa veniat post singula carmen.
Ut rudibus pueris monstratur litera primum
Per faciem, nomenque suum: tum ponitur usus,
Tum conjuncta suis formatur syllaba nodis.

decebit». Ita enim habet scriptus ille codex. «Quocumque, quandoque, quæ quandoque», et similia, sunt Maniliana, ut alibi notamus.

747. *Cujus enim stellæ.* B. *stella in fines in... Inciderit*, ut solœcismus videtur. Supersunt et vestigia in Gembl. *Cujus enim stellæ in fine sint.* Fines quinque Planetarum intelligit: vulgus cum Firmico terminos vocat. Hæc est tertia methodus dodecatemorii inveniendi ab arithmeticis excogitata. Hanc apud Scalig. intricatam, sic evolvemus. Esto Luna in parte XIII Arietis. Divide numerum XIII in partes dimidias, fient XXVI. Ex his da V dimidias Arieti (quot nempe dimidiis singula dodecatemoria constant), V etiam Tauro, V Geminis, V Cancro, V Leoni. Jam dedisti XXV et ex XXVI restat una. Ergo hac methodo Luna incidit in primam dodecatemorii Virginis. Hanc methodum exponit Porphyrius, cujus locum adduxit Scal. ad h. vers. Ed.

748. *Dabit effectus in viribus ejus.* Dodecatemorion dabit effectus in viribus ejus stellæ, intra cujus fines et terminos suos deprehensum fuerit. Ne hæc quoque antea ab ullo capiebantur propter ignorationem vetustatis: ne mireris a Bonincontrio non capi.

749. *Undique miscenda est ratio.* Usus est proprio artis verbo: nam stellarum cum signis consideratio a peritis dicitur astrorum vis et mixtura. Contra sine stellis signorum per se consideratio dicitur siderum sine mixtura cognitio. In secunda Institutione: «Mox veniens mixtura suis cum viribus omnis».

750. Vett. editt. *verum hoc posterius.* Lege *hæc.* Adscutitur et Gemb. *Hoc* sæpe promittit: et de editione dubitare nos prohibet Firmicus, ut alibi aperuimus.

751. *Nunc satis est docuisse.* Platica informatio. Firmicus: «Debet is, qui instituitur, primum platice institui: ut, his apertioribus levioribusque compositus atque formatus, secretiora deinceps genituræ confidentius consequatur».

757. *Formatur syllaba nodis.* Nodos syllabæ dixit, qua notione Ausonius «trinodem dactylum».

Hinc verbis structura venit per membra legendi.
Tunc rerum vires, atque artis traditur usus,
Perque pedes proprios nascentia carmina surgunt,
Singulaque in summam prodest didicisse priora.
Quæ nisi constiterint primis fundata elementis,
Versis, quæ propere dederint præcepta magistri,
Effluat in vanum rerum præposterus ordo.
Sic mihi per totum volitanti carmine mundum,
Erutaque abstrusa penitus caligine fata,
Pieridum numeris etiam modulata canenti,
Quaque Deus regnat revocanti numen ab arce,
Per partes ducenda fides, et singula rerum
Sunt gradibus tradenda suis: ut quum omnia certa
Notitia steterint, proprios revocentur ad usus.
  Ac veluti, nudis quum surgunt mœnibus urbes,
Conditor et vacuos muris circumdare colles
Destinat, ante, manu quam tentet scindere fossas,
Vertit opus, ruit ecce nemus, saltusque vetusti
Procumbunt, Solemque novum, nova sidera cernunt:
Pellitur omne loco volucrum genus, atque ferarum,
Antiquasque domos et nota cubilia linquunt.
Ast alii silicem in muros, et marmora templis

758. B. optime *verbi:* quo enim pertineret gerundium *legendi?* — *Per membra* autem intelligit de syllabis. Ed. — *Per membra legendi.* Usus est et hic quoque technico verbo. Nam in oratione membra, ut etiam in corpore animalis.

766. *Obruta* reponit B. namque *Eruta* et *penitus* invicem repugnant. Pro *abstrusa*, alii *obstrusa*. Ed.

772. Vett. edd. *Ac veluti in nudis montibus.* Sc. sic mutat: « Ac veluti, nudis, etc. » Planissima sententia. Conditor urbis ante, quam mœnia circumdet, prius vertit opus, etc. Est hyperbaton in parabola usque ad illa, « Sic mihi cunctanti lautæ succedere moli ». In hac et superiore parabola multa luculenter dicta. Atque haud scio, an ab Ovidio meliora sperare possemus. — Hic vero displicet B. *mœnibus*. Quid enim *nuda mœnia?* Et sunt nc mœnia, antequam opus destinetur. Reponit *montibus*, et sic libri omnes. Confirmant hoc *vacui colles*. Ed.

773. *Muris circumdare colles.* Tangit morem Romanum: quo ut plurimum coloniæ in editioribus condebantur.

Rimantur, ferrique rigor per tempora nota
Quæritur : huc artes, huc omnis convenit usus.
Tunc demum consurgit opus, quum cuncta supersunt,
Ne medios rumpat cursus præpostera cura.
Sic mihi cunctanti tantæ succedere moli
Materies primum, rerum ratione remota,
Tradenda est, ratio ne sit post irrita, neve
Argumenta novis stupeant nascentia rebus.
 Ergo age noscendis animum compone sagacem
Cardinibus, qui per mundum sunt quatuor omnes
Dispositi semper, mutantque volantia signa.
Unus ab exortu cæli nascentis in orbem,

780. *Ferrique rigor per tempora nota. Tempora ferri* temperamentnm. Supra : « Permixtosque dies mediis hiemem inter et æstum Articulis uno servantia tempore utrimque ». *Tempora* ferri etiam mei Galli in suo idiotismo servant, *la trempe du fer*.

784. Vett. edd. *Sic mihi tractanti*. Tractanti succedere haud scio, an satis Latine dixerim. Gemblacensis veram, ni fallor, lectionem præfert: « Sic mihi cunctanti tantæ succedere moli ». Optime ad mentem ejus. Cunctanti, non, statim irrumpenti. Aratus ad verbum dixit ἐπέχοντι.

786. *Ne sit*. Alii, *sitne*, minus bene.

788. *Ergo age noscendis*. Tripliciter Manilins signa considerat. In *se ipsa*, ex figura sna, absolute; ex consensu et mutna illorum relatione; deinde ex locis quæ tenent. Primam jam absolvit partem: secunda in manus nostras non venit: tertiam nunc promittit. Doctrina quidem hæc a Græcis dicitur dodecatopi inveniendi. Platica est informatio ad XII locos genituræ: quorum primi sunt quatuor cardines : secundi sunt loci dejecti, seu pigri; tertii quatuor, vulgo succedentes. Sic Veteres. Manilius autem dodecatopon in duo membra dividit : 1° quatuor cardines; 2° eorum intermedia numero octo; unde *octotopus* dicitur. Arabes hos vocant *Turres*, quod est apud illos frequentissimum : Manilius ea quoque nuncupat *Castra*.

789. *Cardinibus, qui per mundum*. Hos numero quatuor alii cuspides vocant, alii etiam angulos. Sed omnes astrorum domus cuspides vocantur. Circulos hos nominat Pingræus, quamquam proprie semicirculi sint. Vulgo autem astrologorum sunt fusi quidem, quorum acumina ad puncta horizontis septemtrionale et meridionale junguntur. Maxima illis latitudo est 30 grad. si ordinem signorum sequeris, et a circulo cardinali numerare occipis. Horum autem fusorum sive domuum *prima*, est orientalis; *septima* occidentalis; quæ inferiora cæli tenet, *quarta* est : quæ superiora, est *decima*. Ed.

Qui primum terras æquali limite cernit.
Alter ab adversa respondens ætheris ora,
Unde fugit mundus, præcepsque in tartara tendit.
Tertius excelsi signat fastigia cæli,
Quo defessus equis Phœbus subsistit anhelis,
Declinatque diem, mediasque examinat umbras.
Ima tenet quartus fundato nobilis orbe;
In quo principium est reditus, finisque cadendi
Sideribus, pariterque occasus cernit, et ortus.
Hæc loca præcipuas vires, summosque per artem
Fatorum effectus referunt: quod totus in illis
Nititur æthereis veluti compagibus orbis.
Quæ nisi perpetuis alterna sorte volantem
Cursibus excipiant, nectantque in vincula, bina
Per latera, atque imum templi, summumque cacumen,
Dissociata fluat resoluto machina mundo.
  Sed diversa tamen vis est in cardine quoque,
Et pro sorte loci variant, atque ordine distant.
Primus erit, summi qui regnat culmine cæli,
Et medium tenui partitur limite mundum;
Quem capit excelsa sublimem gloria sede.
Scilicet hæc tutela decet fastigia summa,
Quidquid ut emineat sibi vindicet, et decus omne

792. *Qui primum terras æquali limite cernit.* Paullus Alexandrinus hinc vocat διμοιρίαν τῆς ἄνω μερίδος.

793. *Alter ab adversa.* Cardo est occidentalis, quæ septima domus.

795. *Tertius excelsi.* Summum cæli punctum: lineæ meridialis cuspis superior.

796. Vett. edd. *Phœbus subsistit habenis.* Melius Gemblac. *examinat umbris.* — B. repouit *mediam..... umbram.*

797. *Ima tenet quartus.* Imum cæli punctum: lineæ meridialis extremitas inferior.

799. *In quo principium est reditus, finisque cadendi.* In Sphæra mundi: « Qua caderet, subeat cælum ».

803. B. *nititur æternis*, haud male.

810. *Primus erit summi.* Horoscopo præfert medium cælum, ut Ptolemæus et alii. Tractat vero significationes quatuor cuspidum.

814. Olim *et Deus omnis Adferat.* Its Gemblac. et veteres omnes edi-

Adserat, et varios tribuendo regnet honores.
Hinc favor, et species, atque omnis gratia vulgi:
Reddere jura foro, componere legibus orbem:
Fœderibusque suis externas jungere gentes,
Et pro sorte sua cujusque extollere nomen.
Proximus ast, ima quamquam statione locatus,
Sustinet alternis nixum radicibus orbem.
Effectu minor in specie, sed major in usu,
Fundamenta tenet rerum, censusque gubernat.
Quam rata sint fossis, scrutatur, vota metallis,
Atque ex occulto quantum contingere possis.

tiones, præter Lugdunensem, quæ recte habet *et decus omne Adserat.* Sed ne sic quidem locus purgatus. Nam *Adserat* longe melius, auctore Gemblacensi.

817. *Componere..... orbem.* Hoc nimirum videtur; satis est, si *urbem* componat. Ed.

820. Rectius B. *Proximis, est ima quamquam. Ast* a Scal. venit.

821. *Sustinet alternis.* Confirmatur fide Gembl. in quo recte *alternis*, quia subinde cardines mutant. Supra: « Quæ nisi perpetuis alterna sorte volantem Cursibus excipiant ». — Sed quomodo unus et idem cardo *alternis radicibus* sustinet. Forsan auctor dederit *æternis*. Ed.

822. *Effectu minor in specie.* Quamquam ima statione locatus, atque ideo in specie minor videtur, non tamen propterea minor in effectu. — Magis ad stylum auctoris, «Effectu minor in speciem, sed major in usum». Sic V, 152: « nec in usum tegmina plantis, Sed speciem ». Ed.

823. *Fundamenta tenet rerum, censusque gubernat.* Fundamenta, id est, opes, etiam Græci hujus artis magistri θεμέλια vocant.

824. *Quam rata sint fossis scrutatur.* Firmicus: « Hic locus ostendit nobis parentes, patrimonium, substantiam, fundamenta, mobilia, et quidquid ad latentes vel repositas patrimonii pertinet facultates ». Ergo τὸ *quam rata vota sint fossis metallis*, est quævis de opibus et thesauris securitas. Atque haud scio, an *mobilium* nomine thesauri quoque comprehendantur. Nam Polybius eo nomine supellectilem tantum designat, et veteres glossæ. Vides etiam hic *fundamenta* eadem notione, qua Manilius, et Paullus Alexandrinus, immo et Ptolemæus θεμέλια capite περὶ τύχης κτητικῆς. — Hunc et sequentem versum Bentleius pro spuriis atque irreptitiis habet. Ed.

825. *Atque ex occulto quantum contingere possis.* Quantum possideas in confiscato, ut Suetonius, et Tertullianus, quod de pecunia recte dicitur. Sed annonariæ species, aut vina dicuntur condita, et in conditis ea habere aliquis dicitur.

Tertius æque illi pollens in parte, nitentem
Qui tenet exortum, qua primum sidera surgunt,
Unde dies redit, et tempus describit in horas :
Hinc inter Graias Horoseopos editur urbes :
Nec capit externum, proprio quia nomine gaudet.
Hic tenet arbitrium vitæ, atque hic regula morum est :
Fortunamque dabit rebus, ducetque per artes.
Qualiaque excipiant nascentes tempora prima,
Quos capiant cultus, quali sint sede creati,
Utcumque admixtis subscribent viribus astra.
Ultimus, emenso qui condit sidera mundo,
Occasumque tenens submersum respicit orbem,
Pertinet ad rerum summas, finemque laborum,
Conjungitque epulas, extremaque tempora vitæ,
Otiaque, et cœtus hominum, cultusque Deorum.
Nec contentus eris percepto cardine quoquam.
Intervalla etiam memori sunt mente notanda,
Per majus dimensa, suas reddentia vires.

826. *Tertius æque illi pollens.* De Horoscopo loquitur, quem æquipollentem Horoscopo dicit, quod fundamentum dicatur. Nam fundamentum non semel vocari a Manilio, et in eo mundum fundatum esse, notius est, quam ut repetatur. — Bene, ut puto, B. *Tertius æquali.*

828. Olim *una dies redit.* Inepte. Scribendum sane : « Unde dies redit, et tempus describit in horas ». Neque exemplo caret. Ita enim in prooemio sphæræ mundi : « Qua mundus redit, et nigras supervolat urbes ».

830. *Nec capit externum.* Usus vicit, ut Græcum nomen retineret. Nam si libuisset Latine vocare : non deerat nomen Græco respondens *horispex* : quid ni, ut cælispex Apollo Romæ apud Sext. Aurelium Victorem.

831. *Hic tenet arbitrium vitæ.* Propterea οἴαξ dicitur, hoc est, gubernaculum. Paull. Alex.

837. B. *Despicit*, et ita omnes. Virgil. Æn. I, 228 : « Despiciens mare velivolum ». Ed.

839. B. *Conjugia atque epulas :* et ita conjicit ex cod. Voss. Hic cardo Paullo Alex. dicitur γαμοστόλος, i. e. qui nuptias adparat.

841. *Nec contentus erit.* Lemma erat in Gemblacensi : *divisio ætatis in partes cæli.*

842. *Intervalla etiam.* Intercepta inter cuspides.

843. *Per quadruum* B. h. e. per partes quatuor æquales. Vid. sup. vs. 323. Ed.

Quidquid ab exortu summum curvatur in orbem,
Ætatis primæ, nascentisque adserit annos.
Quod summo premitur devexum culmine mundi,
Donec ad occasus veniat, puerilibus annis
Succedit, teneramque regit sub sede juventam.
Quæ pars occasus infra est, imumque sub orbem
Descendit, regit hæc maturæ tempora vitæ,
Et propria serie, varioque exercita cursu.
At qua perficitur cursus redeunte sub imo,
Tarda supinatum lassatis viribus arcum
Adscendens, seros demum complectitur annos,
Labentemque diem vitæ, tremulamque senectam.
Omne quidem signum sub qualicumque figura
Partibus inficitur mundi: locus imperat astris,
Et dotes noxamque facit. Vertuntur in orbem
Singula, et accipiunt vires, cæloque remittunt.
Vincit enim natura genus, legesque ministrat
Finibus in propriis, et prætereuntia cogit

844. *Quidquid ab exortu.* Arcus orientalis continet prima pueritiæ rudimenta, ac novellam infantiam.

846. *Quod summo premitur.* Occidentalis primam pubertatem.

849. *Quæ pars occasus.* Orientali oppositus statam ætatem.

852. Olim, *quæ perficitur cursu.* Occidentali oppositus senectam ætatem. Variat Gembl. a vulgata lectione: « At qua perficitur, cursus redeunte sub imo ». Quod verum est. Qua redeunte cursus cæli confectus est. Nam in fine ejus ortus mundi, i. e. Horoscopus constitutus. — Pro *redeunte* Bentl. et Pingr. *quadrante*, clarius.

856. *Omne quidem signum.* Repetit quæ supra exponebat de domibus signorum. Explicatis igitur quatuor cardinibus, nunc ad intervalla, hoc est, ad bina signa cardines interjecta progreditur. Sunt autem ea quidem a parte dextra adscensiones, a parte sinistra declinationes, quibus binis utrimque cardo cingitur. Et quia quatuor intervalla sunt, ideo octo sunt in summa.

858. *Partibus inficitur.* Supra ita loquitur: « Aeraque infectum nostras demittit in auras ». Firmicus libro VI: « Patrem etiam ipsum diligenter exquire, et vide quis sit patris dominus, et ubi positus. Ipse enim ex sua natura locum inficiet ».

859. *Et accipiunt vires cæloque remittunt.* Supra: « Ipsis dant fines castris, capiuntque vicissim ». — B. *ultroque remittunt*, ut IV, 505.

Esse sui moris, vario nunc dives honore,
Nunc sterilis; pœnamque ferentia sidera sæclis.
Quæ super exortum est a summo tertia cælo,
Infelix regio, rebusque inimica futuris,
Et vitio fœcunda nimis: nec sola, sed illi
Par erit, adverso quæ fulget sidere sedes.
*Juncta sub occasu: neu præstet cardine mundi,
Ut quæ præterita fertur dejecta ruina,
Porta laboris erit: scandendum est, atque cadendum.
Nec melior super occasus, contraque sub ortu

863. *Pœnamque ferentia sidera sedis.* Actum erat de hoc loco absque ope Gemblacensis, qui habet *seclis*, nimirum pro *sæclis*. Et Scal. ita exponit: Et nunc dives vario honore, nunc sterilis cogit sidera esse sui moris, et ferentia pœnam sæclis. — Bentleio autem inepta sententia et oratio barbara videtur. Reponit «vario nunc ditia honore, Nunc sterilis pœnam referentia sidera sedis». Sed forte malis pro *ferentia* legere *ferent ea sidera sedis*, quod sensum idoneum parit una tantum litera mutata. Ed.

864. Olim *Quæ super exortum est a summo sidere cæli.* Satis obscure, quamquam intelligimus quid velit. Gemblac. lucem reddidit: «Quæ super exortum est a summo tertia cælo».

866. *Et vitio.* Malim *Est vitio.*

868. *Neu præstet cardine mundi.* Cardo mundi horoscopus. Ne hanc prærogativam habeat occasus, quam habet ortiva, cujus declinatio super ortum scandit, quum hujus declinatio infra occasum sit. Unde dicta laboris Porta.

869. *Utraque præterita.* Loquitur de sexta domo, quam ait Portam laboris dici, non de utraque. Omnino legendum *Ut quæ*, utpote quæ; et sane non aliter scripsit Manilius. Utpote, inquit, quæ jam lapsa sit. Immergitur enim infra Horizontem præceps. — *Præterita fertur.* Gemb. *Prætenta*, male, si bene judico. Nam solenter peccat in ejusmodi. — *Ut quæ* Huetius non admittit, sed servat *præterita*. Quo tamen sensu? nam si ruina præterita est, quid restat metuendum, quo feratur dejecta? Quid quod si scandendum sit, non jam præteriit *ruina*, sed imminet. Rectius ergo vett. libri: *Utraque prætenta*, etc. quam lectionem B. et Pingr. probaverunt. Sic intellige: Utraque dejecta, i. e. demissa, humilis, tristis, fertur, prætenta et obversante oculis ruina: huic, ne scandendo cadat; illi, ne cadendo præceps ruat. Ergo non Gemblacens. sed Scalig. ipse peccavit. Ed.

870. *Porta laboris.* Bonincontrius non solum de XII domo intelligit, sed etiam *ortam* vocari dicit, quia Sol in eam, ait, ingreditur, quum exit de iis locis, quæ sub terra. Quis contineat risum hæc legens, inquit Scaliger? — *Porta laboris.* Gemb. *Ora laboris*, non male. Sed recta lectio *Porta.*

Sors agitur mundi : præceps hæc, illa superne
Pendens, aut metuit vicino cardine finem,
Aut fraudata cadet : merito Typhonis habentur
Horrendæ sedes, quem Tellus sæva profudit,
Quum bellum cælo peperit : nec matre minores
Exstiterunt partus : sed fulmine rursus in altum
Compulsi, montesque super rediere cadentes;
Cessit et in tumulum belli vitæque Typhoeus.
Ipsa tremit mater flagrantem monte sub Ætnæ.
  At quæ fulgenti sequitur fastigia cælo
Proxima, neve ipsi cedat, cui jungitur astro,
Spe melior; palmamque petens, victrixque priorum
Altius insurgit, summæ comes addita fini :
In pejusque manent cursus, nec vota supersunt.

875. B. *Horrendi*, scil. Typhonis.

876. B. *vix matre*, et vs. seq. *in alvum*, sc. matris.

879. *Cessit et in tumulum belli, vitæque Typhoeus.* Legit Scal. Typhoeo, ut Orpheo. Metaplasmus. Nam Typhoei dicendum esset, Τυφωεῖ. Ut Virg. Ecl. IV, vs. 57 : « Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo ». Venuste vero dictum : Terra sepelivit una et bellum, et Typhoeum.

880. *Ipsa tremit mater flagrantem.* Typhoea scilicet.

881. Olim, *Atque refulgenti.* Locus vitiosissimus, et qui in nugas præcipitem dedit Bonincontrium. Non multum laborabimus in corrigendo : « At quæ fulgenti sequitur fastigia cælo Proxima ».

882. *Neve ipsi cedat.* Sic supra ad eumdem sensum loquitur : « neu præstet cardine mundi ». Ne ipsi quidem horoscopo cedit.

883. *Victrixque priorum.* Persistit in tralatione. Dixit enim, *Palmamque petens.* Tandem præteribit priores ante se currentes. At Bonincontrius, *victrixque priorum*, id est, VIII, XII, VI, et secundæ domus. Nec hac hallucinatione contentus, interpretatur de tertia domo dictum, *Altius insurgens.* Tædet nugarum.

884. *Summæ comes addita fini.* Nam puncto medii cæli vicina est : a quo altius fastigium non est.

885. *In pejusque manent cursus.* Quia, inquit Bonincontrius, sunt domus cadentes. Itane? De tertia putat dictum. At undecima domus non est cadens domus. Quomodo igitur in pejus manent cursus, quum sit adscensus ad partem superiorem cæli, a qua ad feliciora cursus est, non ad pejora? Vide quæ superiori capite pronuntiat de felicitate, claritate, et eminentia medii cæli. Denique medium cælum reliquis omnibus

Quocirca minime est mirum, si proxima summæ,
Atque eadem interior veneranda sorte dicatur,
Quoi titulus Felix; censum sic proxima Graiæ
Nostra subit linguæ, vertitque a nomine nomen.
Jupiter hac habitat: Fortunæ crede regenti.
Huic in perversum similis dejecta sub orbe,
Imaque submersi contingens fulmina mundi,

omni caussa præstat. Profecto ab undecima domo, ad decimam, non in pejus, sed in melius processus fit. Ordo autem domuum non secundum consequentiam signorum censetur, prout dicitur prima, secunda: sed ex motu cæli. Horoscopus est prima domus, duodecima domus secunda, undecima est tertia, medium cælum est quarta. Ita Manilius non semel, non ut vulgus; cujus rei ignoratio imposuit Bonincontrio. Estne hoc in pejus progredi? Unde Se. corrigebat « Imperiisque manent cursus ». Ait omnium votorum summam ibi esse. Cursus in eo stadio est ad imperia. Nam persistit in metaphora stadii. In eo curritur ad imperia: neque votis ullus locus est, quia consequeris quod habes in votis. Vota locum non habent. Græce, τὸ ἐπιτυχεῖν πάσης εὐχῆς κρεῖττον. Quam inepta et nugatoria sit vulgata lectio, ex elegantia hujus advertere potes.

887. *Atque eadem interior.* Nulla enim est, quæ propior medio cælo. — B. hæc omnia aliter *Fortunæ sorte dicatur, Cui titulus forti.* Pingr. item, sed *Cui titulus felix.* Alterutrum recte: aliter enim nemo nominatur, cui domus hæc dicetur.

888. *Quoi titulus Felix.* Pro *Quoi* textus Bonincontrii et Gemblacens. habet *Quod:* neque aliter umquam reperias. Censum nomen virtutis nomine eleganter dictum, ut Jurisconsultus: *hoc jure omnes censemur,* et similia, quæ nec pueri ignorant. Sed lectio variat in Gemblacensi: « censum si proxima Graiæ Nostra subit linguæ, virtutique a nomine nomen ». Bonincontrii textus: « veterique a nomine nomen ». Procul dubio ex illis veram lectionem eruemus: « Quoi titulus Felix, si censum proxima Graiæ Nostra subit linguæ, vertitque a nomine nomen ». Census linguæ, vis linguæ, Manilianum est, utpote toties ab eo usurpatum. Siquidem, inquit, nostra lingua potest pedetentim sequi censum et vim Græcæ, et vertere nomen a nomine. Quibusdam hoc displicebit. Nobis vero doleret aliquid a nobis feliciter excogitatum, quod ipsis placeret.

889. *Vertitque a nomine nomen.* Ὀνοματοποιεῖ.

890. *Jupiter hac habitat.* Nam propterea Sex. Empiricus et Paullus Alexandrinus ἀγαθὸν δαίμονα dictum putant. — *Fortunæ crede regenti.* Propterea bona Fortuna dicta.

892. *Imaque submersi contingens fulmina mundi.* Quomodo tam sæpe nomen dixit pro momento, sic fulmen pro fulmento. Varro fulmen-

Adversa quæ parte nitet; defessa peracta
Militia, rursusque novo devota labori,
Cardinis et subitura jugum, sortemque potentem,
Nondum sentit onus mundi: jam sperat honorem.
Dæmonien memorant Graii: Romana per ora
Quæritur inverso titulus: sub corde sagaci
Conde locum, numenque Dei, nomenque potentis.
Quæ tibi posterius magnos revocantur ad usus.
Hic momenta manent nostræ plerumque salutis,

tam dixit genere feminino in illo proverbio: *Fulmenta lectum scandit.* Alibi docemus quid sit fulmentum in lecto, nimirum quod electrum vocabant. Celsus accipit non pro fulcro lecti, sed pro quovis fulcimento, quod pedi lecti, sive clinopodi subjicitur. Verba ejus ex libro II sunt hæc: « Si nihil horum est, suspendi lectus debet, et moveri. Si ne id quidem est, at certe uni pedi lecti fulmentum subjiciendum est ». Ita veteres Celsi manuscripti codices, pro quo inepte excusum est *funiculus.*—*Fulmina mundi.* Cælum axe suo, in medis sui ipsius parte, fultum etiam in sphæra mundi supra dixerat: « Cardine tam simili fultum, quam vertice fingit ». — Bentl. reponit *culmina.* Submersus enim mundus suum quoque culmen habet, ut Noster: ita supra vs. 806.

893. *Defessa peracta Militia.* Ait defunctam militia, ac quasi emeritam, quia est finis quadrantis proprii.

895. *Cardinis et subitura jugum.* Defuncta enim quadrante quæ orientali opponitur imum cælum videtur scandere. Ab occidente enim, ad imum cælum, et hinc ad horoscopum, domos numerat Manilius.

896. *Nondum sentit onus mundi.* Nondum ad cardinem imum pervenit, qui sustinet onus mundi. Hic, ut dixi, recte docet, non ab imo cælo ad occidentis cardinem: sed a quinta domo, ad imum cælum, ab imo cælo, ad horoscopum progressum fieri secundum cæli motum. Nam prima et secunda domus vulgo dicitur secundum consequentiam signorum, non autem secundum motum cæli. Hoc imposuisset peritioribus, ne dicam Bonincontrio. — *Jam sperat honorem.* Contrarium supra dixit: « nec vota supersunt ». Hic proponit imminentes honores: ibi invadendos objicit; nec voto aut spei locum esse.

898. *Quæritur inverso titulus.* Invertendo huic nomini Latine adhuc quæritur vocabulum: quasi dicat, Latine adhuc verti non potest. Et sane nescio, an Latinum sit, quod huic respondeat, nisi forte Genialis. — Rectius Pingr. et B. reponunt «Quæritur in versu titulus». Δαιμονίη enim latino quidem vocabulo exprimi potest; sed non tali quod stet in versu hexametro.

901. *Hic momenta manent.* In quinta domo ponit ægritudines et

Bellaque morborum cæcis pugnantia telis,
Viribus ambiguum geminis caussaque diei
Nunc huc, nunc illuc sortem mutantis utramque.
Sed medii post astra die, curvataque primum
Culmina nutantis summo de vertice mundi,
Æthera Phœbus amat : sub quo quoque corpora nostra
Decernunt vitia, et Fortunam ex viribus ejus
Concipiunt : Deus ille locus sub nomine Graio
Dicitur : huic adversa nitens, quæ prima resurgit
Sedibus ex imis, iterum reducit Olympum

salutis discrimina. At recentiores ea omnia sextæ adsignant.

903. *Viribus ambiguum geminis.* Hinc, inquit, surgunt discrimina vitæ nostræ, quod ambigo, an accidat duplicibus viribus et caussa diei pollentis duplici vi in utramque partem, nempe salutis et morbi. Adlusit ad proverbium : « Nescis quid vesper serus vehat », et illud Euripidis in OEdipode : Ἀλλ' ἡμέρα τοι μεταβολὰς πολλὰς ἔχει· quasi dies nunc aliud mane promittat, nunc diversum vespere. — Aliter B. *ambigua in geminis casusque Deique,* et explicat : *momenta salutis, bella morborum* ambigua in geminis viribus et casus et Dei, qui v. 899 huic sedi præsidet. Ovid. Metam. XIV, 163 : « Qui te casusve Deusve Servat, Achæmenide? » Ed.

905. *Sed medii post astra die.* Die ἀρχαϊκῶς pro diei. Virg. G. I, 208: « Libra die somnique pares ubi fecerit horas ». Ausonius in Rosis : « Ad primi radios interitura die ». — *Post astra.* Nam una quæque domus habet astrum suum, sive Zodion. Legebamus olim *post castra die*, quod sane puto verum esse : neque aliter scripserit Manilius. Suspectum tamen est quomodocumque legas. Nam ea quidem domus est undecima, et ex vulgari serie, sequitur medium cælum. Sed Manilius, ut diximus, contra signorum consequentiam domos numerat. Supra dixit de IX domo : « At quæ fulgenti sequitur fastigia cælo ». Quomodo igitur tam nona, quam undecima, sequuntur idem medium cælum ?

907. *Degere Phœbus amat* B. quia hæc est domus Solis. — *Sub quo quoque corpora nostra Decernunt vitia.* Quid est corpora nostra decernunt vitia? Deinde quod vitium in illo loco, qui Deo dicatus? Locum in medio reliqui. Nam nullam opem adferre possum. — Posset legi *Dotes et vitia*, unde clarus sensus. Ed.

909. *Deus ille locus.* Deus enim dicitur Phœbus, ipsomet Manilio interprete : « Aera Phœbus amat ». Firmicus de hoc loco : « Est autem diei ac Solis locus ».

911. *Iterum reducit Olympum Pars mundi.* In quo primam producit in *reducit*, ut solebant veteres illi, ut Lucretius *reducere* dixit prima producta. De hac re vide Porphyrio-

Pars mundi, fulvumque nitet, noctemque gubernat,
Et dominam agnoscit Phœben, fraterna videntem
Terga, per adversas cæli fulgentia partes,
Fataque damnosis imitantem finibus oris.
Huic parti Dea nomen erit Romana per ora:
Græcia voce sua titulum designat eumdem.

Arce sed in cæli, qua summa adclivia finem
Inveniunt, qua principium declivia sumunt,
Culminaque insurgunt occasus inter et ortus,
Suspenduntque suo libratum examine mundum;
Adserit hanc Cytherea sibi per sidera sedem,
Et veluti faciem mundi sua collocat ora,
Per quæ humana regit. Propria est hæc reddita parti
Vis, ut connubia, et thalamos, tædasque gubernet.

nem in illud Horatii, Epod. XIII, 9: « Reducet in aedem vice ».

911. B. *furvumque nitet, mortesque.* Scal. *mortisque gubernat*, non male, quia hæ aedes non temporum vices, sed fata hominum regunt. Ed.

912. *Et dominam agnoscit Phœben.* Idcirco vocatur Dea, ut oppositus ei locus Deus. Sed melius, meo judicio, secundam domum Dianæ dicassent, quam tertiam, propter diluculum, sive crepusculum matutinum, quod propius est orienti, sive horoscopo. Diana enim Phosphorus, Latine Lucina, aliter lux dubia vocatur, i. e. crepusculum.

914. Scal. *Regna*: sed *Regna* non fulgent. *Terga Phœbi* iterum v. 950. B. seq. versum pro spurio habet. Certe effictus videtur ex III, 197: « Consule tum Phœben imitantem lumina fratris ». Sed aliud est imitari lumina, aliud imitari fata.

915. *Finibus oris.* Sic ex Gemblacensi editum. Alii, *orbis.*

918. *Arce sed in cæli.* Medium cælum. — *Qua summa adclivia.* Ab horoscopo ad medium cælum.

919. *Qua principium declivia sumunt.* A medio cælo ad occasum.

920. *Suspenduntque suo libratum examine mundum.* A lance momentanea translatum. In sphæra mundi: « sextamque examinat horam ». Supra: « mediasque examinat umbras ». Sed Arabes verticale punctum Zenith, id est, exa-Themen vocant.

922. *Adserit hanc Cytherea.* Rursus redit ad quatuor cardines: quos supra consideravit, quatenus sunt cardines, nunc vero quatenus domicilia et ad rationem XII locorum. Præterea illis adtribuit suas tutelas, quod supra non fecerat. Tutela medii cæli Venus, imi cæli Saturnus, horoscopi Mercurius, occasus Dis pater. Atque ut supra, ita hic incipit a medio cælo propter excellentiam. Locus enim ille aliis pro-

Hæc tutela decet Venerem, sua tela movere.
Nomen erit Fortuna loco : quod percipe mente,
Ut brevia in longo compendia carmine præstem.
At qua subsidit converso cardine mundus
Fundamenta tenens, adversum et suspicit orbem,
Ac media sub nocte jacet, Saturnus in illa
Parte suas agitat vires, dejectus et ipse
Imperio quondam mundi, solioque Deorum;
Et pater in patrios exercet numina casus,
Fortunamque senum : prima est tutela duorum
Nascentum atque patrum, quæ tali condita parte est.
Asper, et attentus, titulum cui Græcia fecit

pterea præfertur, quia plenissimo lumine supra omnes illustratur.

927. *Quod percipe mente.* Hoc solet præcipere Manilius, quoties brevior esse vult. Supra : « sub corde sagaci Conde locum ». Interea, inquit, animo memori, hoc retinebis, ne pluribus te obtundam. Sed et sequentibus verbis confirmatur.

928. *Compendia carmine præstem.* Exstant vestigia in Gemblacensi, ubi legitur *præstent.*

934. *Et pater in patrios.* Vestigia hujus lectionis exstant in textu Bonincontrii. Ibi enim legitur *in primos.* Nimirum quia compendiose scriptum erat *prios.* Sic semper in illo textu Bonincontrii *primum*, *prima*, *primos* ex compendiosa lectione legitur *prium*, *pria*, *prios*, id est, *patrium*, *patria*, *patrios.* Sic etiam in aliis editionibus, ut in hoc loco ex *prios* factum *proprios.* Hoc moneo, ne joculariter putes scriptum *primos* casus a Manilio.

935. *Prima est tutela duorum Nascentum atque patrum.* Prima est, inquit, tutela duorum, natorum et patris. Nam et alia est tutela natorum, ut Horoscopus. Inf. 946: « In qua fortunam natorum condidit omnem Natura, eque illa suspendit vota parentum ». — Item quintus locus hic est ex doctrina Ægyptiorum; quod agnoverunt Græci, et sequitur vulgus astrologorum, qui ibi quoque adfectus paternos ponunt. Arabes hanc domum rebus patris præficiunt. Ptolemæus autem res paternas a positu Solis et Saturni, maternas vero a positu Lunæ et Veneris dijudicat. ED.

936. Olim *quæ cæli condita pars est.* Quis hæc intelligit, inquit Scaliger? Gembl. *quæ tali condita pars est.* Retinet vestigia prisci codicis, ex quo veternosa omnia illa hujus auctoris exemplaria descripta sunt : *quæ tali condita partest*, ex quo *pars est* reformatum. Ergo totus locus ita concipiendus : « prima est tutela duorum, Nascentum, atque patrum, quæ tali condita parte est ». Non opus interprete, sed æquo lectore, et minime livido. — *Quæ*

Dæmonium, signatque suas pro nomine vires.
Nunc age surgentem primo de cardine mundum
Respice, qua solido nascentia signa recursu
Incipiunt; udus gelidis ut Phœbus ab undis
Enatat, et fulvo paullatim accenditur igne,
Te tua templa ferunt, Maia Cyllenie nate.
O facies signata nota : quod nomen et ipsi
Auctores tibi dant artis, quæ ducit Olympum :
In qua fortunam natorum condidit omnem
Natura, eque illa suspendit vota parentum.
  Unus in occasu locus est super : ille ruentem
Præcipitat mundum terris, et sidera mersat,
Tergaque prospectat Phœbi, qui viderat ora.
Ne mirere, nigri si Ditis janua fertur,
Et finem vitæ retinet, mortique locatur.
Hic etiam ipse dies moritur, terrasque per orbem
Subripit, et noctis cælum sub carcere claudit.
Nec non et fidei tutelam vindicat ipsam,
Pectoris et pondus : tanta est in sede potestas,

tali condita parte est. In lib. III : « quæ prima condita parte est ».

938. *Signatque suas pro nomine vires.* Sup. 695 : «in titulo signantia caussas ». Si vocatur δαιμόνιον, quas vires pro nomine adsignare possit, equidem non video, et serio quærendum censeo.

939. *Nunc age.* Horoscopus.

940. *Solido*, vel *solito.* B. *solitos recursus.*

943. *Te tua... ferunt.* Alii, *Et tua... ferit.*

945. *Auctores tibi dant artis, quæ ducit Olympum.* Auctores artis, Astrologi : ut Jurisconsulti auctores juris. — B. hunc et præced. versum pro spuriis habet.

946. B. *In quis*, i. e. templis; et vs. seq. *illis.*

947. *Ex illo suspendit. Ex illa*, vel *eque illa.* Horoscopus partem fortunæ filiorum sibi vindicat, quia auctor vitæ est. Propterea ex eo vota parentum pendere ait.

950. *Tergaque prospectat Phœbi, qui viderat ora.* Horizon occiduus, qui Phœbi surgentis ora viderat, ejusdem occidentis terga prospectat. Clara lectio, et tamquam dicat orientis Solis ora videri, occidentis terga. In sphæra mundi dixerat, «Hinc ubi ab occasu nostros Sol adspicit ortus», ut occidens adspiciat nostros ortus.

953. *Terrasque per orbem.* B. ex-

Quæ vocat, et condit Phœbum, recipitque, refertque,
Consumitque diem. Tali sub lege notandæ
Templorum tibi sunt vires, quæ pervolat omnis
Astrorum series, ducitque et commodat illis
Ipse suas leges; stellæque ex ordine certo,
Ut natura sinit, lustrant; variasque locorum
Efficiunt vires, utcumque aliena capessunt
Regna, et in externis subsidunt hospita castris.
  Hæc mihi sub certa stellarum parte canentur.
Nunc satis est cæli partes titulosque notasse,
Effectusque loci per se cujusque, Deosque,

plicat: Dies morte sua subripit terras, ideo quo amplius conspici nequeunt, et similiter *cælum* claudit. Male Scal. *captum sub*.

957. *Quæ vocat et condit Phœbum recipit, refertque*. Itane Manili, occasus refert Phœbum? quid reliquisti horoscopo, quem ais, ut verum est, referre Phœbum? Aliud agebat Noster, quum hæc caneret. Hæc non probantur nobis.

958. B. *continuatque diem*. Scal. *Tali sub lege notandæ Templorum tibi sunt vires*. Dodecatopi, hoc est, octo locorum cum quatuor cardinibus diagramma in gratiam tironum subjecit, quod apud eum vide. — B. *sub sorte*.

963. *Utcumque aliena capessunt Regna*. Stellæ aliena capessunt regna, et subsidunt hospitæ externis castris, quando non sunt in suis domibus: ut quando Mars in alio signo, quam Ariete fuerit. Ita de aliis.

965. *Hæc mihi*. Non exstant illa, quæ tamen constat edidisse.

966. *Nunc satis est cæli partes titulosque notasse*. Tituli locorum sunt, decimæ domus τύχη, undecimæ ἀγαθὸς δαίμων, duodecimæ κακὸς δαίμων. Ita de aliis. Hoc enim vocat titulum, ut quum ait, vs. 916: « Huic parti Dea nomen erit Romana per ora: Græcia voce sua titulum designat eumdem ».

967. *Effectusque loci*. Effectus, ut quum gloriam, et honores in medio cælo ponit; patrimonia et thesauros in imo; mores et institutionem in horoscopo; epulas, convivia, otia in occasu. Nam hæc decreta eorum locorum ipsemet in quo de illis tractat, effectus vocat: ut quum de imo cælo loquitur: « Effectu minor in specie, sed major in usu Fundamenta tenet rerum, sensusque gubernat ». Paullo ante: « Hæc loca præcipuas vires, summosque per artem, Fatorum effectus referunt ». Quos effectus Manilius, vulgus Astrologorum significationes vocat.—*Deosque*. Nam quidam eorum, puta quatuor cardines, sunt tutela Deorum, ut horoscopus Mercurii, medium cælum Veneris, imum Saturni, occasus Ditis. Non enim, quum Saturnus præficitur imo cælo, ita intelligendum, quasi inimicum sit, quod

Quoi parti nomen posuit, qui condidit artem,
.Octotopos, per quos stellæ in diversa volantes,
Quos reddant motus, proprio venit ordine rerum.

perperam putavit vir illustris, Phœnix sæculi sui, Picus Mirandula, sed tamquam numen tutelare.

968. *Quoi parti nomen posuit, qui condidit artem, Octotopos.* Vocatur hæc octotopus, ut XII locorum dodecatopus. Mirum vero octotopon tantum dici, quæ omnino dodecatopus sit. Nam octotopon plane designat versiculus: « Græcia voce sua titulum designat eumdem ». Atqui et cardines quoque ipsos adjunxit. Est ergo dodecatopus. Sed non caret ratione. Nam cardines per se considerantur, octo topi autem sunt ad quatuor cardines κατά τι, quatenus cardinibus hini tropi adtribuuntur, quorum antecedens est ἀπόκλιμα, sequens ἐπαναφορά. Puta, nonus locus est ἀπόκλιμα decimi, undecimi ἐπαναφορά. Non immerito igitur doctrina quatuor cardinum antecedit doctrinam octo toporum: quod octo topi sint sequela quatuor cardinum, bini nempe singulis adtributi. — *Qui parti.* Vetus scriptura decepit semper librarios in hoc auctore *Qui* pro *Quoi*. Creberrimum hoc.

969. Ante Scal. *Octo tropos.* Puer emendaverit *Octotopos.* Nam *topos* sunt, quos tractat. At bonus Bonincontr. agnoscit modos. Quis de fæce horum Genethliacorum, quorum maxima pars omnium bonarum literarum et imperita et hostis est, non rideat, si duodecim *domos* quis vocaret duodecim *modos?* Dignus flagro esset, qui ita loqueretur. Sed duodecim *modus* etiam pro duodecim *domus* imperiti librarii scripserant apud Demophilum, qui tamen tractat duodecim modos. Quantum est imperitorum, et barbarorum, qui docere volunt, quod ipsi non intelligunt? — *Octo* posteriore brevi, ut Martialis, IX, 31: « Octo vides patulo pendere numismata rostro ». Ed. — Scal. adserit *volentes.* *Diversa volare* qui Latine scit neque usurpabit, neque probabit. Contra eleganter dictum stellæ diversa volentes, et decernentes. Sed Noster, I, 207: « In convexa volant ». Ed.

EXCURSUS I

AD MANILII ASTRON. LIB. II, vs. 191.

Mittunt in tempora signum. Male Gemblacensis : « nunc jamque in tempora signum ». Nisi sit *nuntiantque*, quod habet Vossian.. ut *nuntjant* sit spondeus; quemadmodum illud, *Ut Nasidieni juvit te cœna beati.* Sed recta est lectio *mittunt in tempora signum.* Tralatio a prætore, qui Circensibus signum mittendi currus dat, præeunte linea alba a carceribus ad metam. Cassiodorus : « Alba linea non longe ab ostiis in utrumque podium, quasi regula directa perducitur, ut quadrigis progredientibus inde certamen oriretur : ne, dum se præpropere conantur elidere, spectandi voluptatem viderentur populis abrogare ». Ex his verbis Cassiodori intelligis quid sit apud Ovidium, Am. III, II, 19 : « cogit nos linea jungi ». Et apud Martial. VIII, LXXVIII, 8 : « nec linea dives cessat ». (Vid. not. nostr. ed. t. II, p. 366.) Qui enim in suo novitio opere de Circensibus negat Martialis verba huc referenda, fallitur. Nam ea linea non solum committendis quadrigis, sed etiam reliquis omnibus, adhibebatur, quæ ad ludos spectabant : quid? an Sparsiones erant sine spectaculis? Ergo neque sine linea. Transenna vero dicitur funis ab uno extremo ad alterum protensus. Atque ita hæc linea vocabatur. Glossæ : *Transenna*, βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος. Item, *Transenna*, ὕσπληγξ, ἀπαλλαγὴ, μαππαρίου σημεῖον. Cedrenus : ἐφ' ἅρματος αὐτοῦ ἱσταμένου, καὶ τῆς ὕσπληγγος μελλούσης αἴρεσθαι. Quod a carceribus ad metas extenderetur, ὕσπληγξ declarat. Quod ἀπαλλαγὴ diceretur, docet Cassiodorus in iis, quæ ex eo jam produximus. Ad cuneos enim Theatri

tunc discedendum erat loci capiundi caussa. Propterea Ovid. dixit : *cogit nos linea jungi*. Signum, inquit, datum cogit ad spectaculum adtendere, et in cuneis nos densare. Densabant enim se, ne confusi ac permixti et sibi et aliis spectaculum eriperent. Simile legas περὶ σχοίνου μεμιλτωμένου Athenis. Sic τὸ μαππαρίου σημεῖον ostendit statim signum mappa a Prætore mitti. De ea mappa, hæc scribit Cassiod. « Mappa vero, quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem : quum Nero prandium protenderet, et celeritatem, ut adsolet, avidus spectandi populus flagitaret : ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulati. Hinc tractum est, ut ostensa mappa certa videatur esse promissio ». Omnino ex Ennio cognoscimus signum emittendis equis a Prætore mitti solitum. Hic igitur Manilius elegantissime dixit, Capricornum mittere signum venientis hiemis, tamquam Prætorem quemdam, qui, quod currus emittebat signo dato, ab eo ἀφέτης dicebatur, ut locus ipse ἀφετηρία, hoc est, carceres. Ἀφέτης est, qui Romæ editor Circensium, idem qui ludos committit. Ἀφέτης est ludorum curulium, ut Munerarius gladiatorum. Dicitur et κύριος τῆς ἀφέσεως. Cujus enim magistratus erat Circensium editio, ejusdem et signi missio. Ab eo Planetæ, ἀφέται, καὶ κύριοι τῆς ἀφέσεως apud Astrologos ab eadem tralatione : item potestatem ἀφέσεως sidera habentia. Ab eadem mente χρόνων ἄφεσιν Ptolemæus dixit, ut hic Manilius mittere signum in tempora. Sic et locus ipse, unde movetur Planeta, ἀφετηρία, et ἀφετικὸς τόπος, qui in Circo dicuntur carceres. Ac, ut factiones quatuor Circensium erant, ita et factiones quædam sunt stellarum, quæ dicuntur αἱρέσεις· ut qui sunt ejusdem factionis ἀστέρες συναιρέται· qui contrariæ, παραιρέται. Factiones proprie in ludo pilæ dicebantur, et factores. Plautus, in Curculione :

> Tum isti, qui ludunt datatim, servi scurrarum in via,
> Et datores et factores omnes subdam sub solum.

ut Latini in ludo pilæ Factiones vocabant, ita etiam Græci πράξεις. Pollux vocat ἑκατέραν τὴν πρᾶξιν, utramque factionem ludentium, quos factores dixit Plautus. Itaque toto cælo errant, qui αἱρέσεις in stellis conditiones vertunt, non factiones: ut ex Veteribus Firmicus, recentiores vero omnes, quod sciam. Sed longe ineptius ἀφέτην Prorogatorem vertunt; ἀφέτης nullam prorogandi significationem habet.

EXCURSUS II

AD MANILII ASTRON. LIB. II, vs. 468.

Inque vicem præstant visus. Quæ a quatuor punctis cardinalibus æqualiter distant, ea Veteres Antiscia vocabant: et quidem quæ æqualiter a punctis tropicis absunt, æquipollentia dicuntur, item videntia: æqualiter vero a punctis æquinoctialibus dimota, juxta posita et audientia. At quidem videntia, sive æquipollentia, æquales dies et noctes habent. Contra juxta posita et audientia æquales ortus et occasus habent. Nam ducta per puncta æquinoctialia linea circulum in duo hemicyclia, æstivum et hiemale, vel Septemtrionale et Australe secat: et semicirculum signorum septemtrionalium sese invicem juxta positorum semicirculum Australium audientium facit; quia ab Ariete dies noctem superant, a Libra superantur; ut hoc pulchro commento majores dies minoribus imperare debeant. Quæ igitur æqualiter a linea per centrum et puncta æquinoctialia ducta distant, ea et æqualia sunt inter se; utpote æqualiter a diametro distantia; et æquales ortus atque occasus habent: ut in hac inclyta urbe Lugdunensi Batavorum, Aries

et Pisces oriuntur hor. 0, 51′ 12″; Taurus, Aquarius hor. 1, 7′ 36″; Gemini, Capricornus hor. 1, 45′ 56″; Cancer, Sagittarius hor. 2, 31′ 40″; Leo, Scorpio hor. 2, 51′ 36″; Virgo, Libra hor. 2, 52′ 0″. Sed juxta posita tantum et audientia Antiscia vocat Firmicus in Institutione : « Antiscia sunt nobis Græcorum magisterio tradita. Nolo enim aliquis suspicetur, quod non sit apud Græcos iste tractatus. Nam si Ptolemæus nullam aliam rationem sequitur, nisi Antisciorum, et Antiochus, quum dicit, quod Libra Arietem propter terram, quæ media est, non videat, quasi per speculum quidem Antisciorum rationem tangit ». His verbis non innuit quidem Antisciorum nomen apud Ptolemæum exstare, sed juxta posita et audientia Ptolemæi nihil aliud esse, quam Antiscia : et immerito reprehenditur ab illustri viro Pico Mirandula, quasi voluerit nobis persuadere Antisciorum nomen apud Ptolemæum non exstare. At in hoc nullam culpam in se admisit Firmicus : nam diserte non expressum nomen Antisciorum esse dicit, sed per speculum eorum rationem tangi. Quod autem Antiscia Antiochi eadem cum Antisciis Ptolemæi facit, errat; non autem quod Libram et Arietem Antiscia facit. Hæc enim vetustiorum, non Ptolemæi sunt Antiscia. Nam non a punctis cardinalibus, sed ab integris Dodecatemoriis cardinalibus æqualiter distantia Antiscia vocabant. Demophilus : ὑπακούει ζώδιον ζωδίῳ Ζυγὸς Κριῷ, ὅτι ὁ μὲν Κριὸς αὔξει τὴν ἡμέραν, ὁ δὲ Ζυγὸς μειοῖ· Ἰχθῦς Ταύρῳ, ὅτι ὁ μὲν Ταῦρος πλειόνων ἐςὶν ἀναφορῶν, οἱ δὲ Ἰχθῦς μειόνων· ὁμοίως Ὑδροχόος τοῖς Διδύμοις, Αἰγόκερως τῷ Καρκίνῳ, Τοξότης Λέοντι, Σκορπίος Παρθένῳ. Plane sunt quæ Antiochus, non quæ Ptolemæus designabat : neque alia sunt Manilii Audientia et Videntia. Eadem etiam sunt Paulli Alexandrini, quum ait : ὁ Ταῦρος προςάσσει τοῖς Ἰχθύσιν· ὑπακούουσι δ᾽ Ἰχθύες αὐτοῦ. Sed ridiculum Virginem et Scorpionem, Leonem et Sagittarium, Geminos et Aquarium, Taurum et Pisces ὁμοζώνως capi, Libram autem, et Arietem ἐκ διαμέτρου, ut jam ex Antiocho apud Firmicum notavimus. At videntia et æquipollentia a Dodecatemoriis quoque Cardinalibus in-

tegris τῶν τροπῶν, non ab ipsis punctis Tropicis putabant, ita ut ὁμόζωνα signorum paria quinque, interjectis singularibus Cancro et Capricorno, acciperent. Ὁμόζωνα vocant, quæ æqualiter ab æquinoctiis aut solstitiis distant. Ἀζώνους θεοὺς ab eadem mente dixerunt, quorum nulla certa est sedes in cælo. Servius in illud Virg. Æn. XII, 118:

In medioque focos, et Dis communibus aras.

Post alia: *Dii communes sunt, qui* ἄζωνοι *dicuntur*, id est, *qui cæli certas Zonas non habent.* Sic Antiscia Manilii. Nam Signa Cardinalia in illis sunt ἄζωνα. Putabant enim Solstitium et brumam non in puncto λόγῳ θεωρητῷ inter finem et initium Cancri fieri, sed in toto Dodecatemorio. Geminus: Καρκίνον μὲν ἐξετίθεντο μηδεμίαν ἔχειν συζυγίαν πρὸς ἄλλο ζώδιον, ἀλλὰ καὶ ἀνατέλλειν βορειότατον, etc. Aliquanto post: τὴν δὲ τοιαύτην ἔκθεσιν παντελῶς διημαρτημένην εἶναι συμβέβηκεν· οὔτε γὰρ ἐν ὅλῳ τῷ Καρκίνῳ τροπαὶ γίνονται, ἀλλ' ἔστιν ἕν τι σημεῖον λόγῳ θεωρητὸν, ἐφ' οὗ γενόμενος ὁ ἥλιος τὴν τροπὴν ποιεῖται. An satis constat in toto Dodecatemorio solstitium committi illis Veteribus et quidem nimis ἀρχαίοις persuasum fuisse? Quod quum ante annos xv cuidam Mathematico probare vellem, non aliter exceptus sum ab eo, quam si testudines volare dixissem. Itaque minimo minus probris persequutus est me. Ea sunt ingenia horum, quorum Mathematice nihil est, quam omnis civilitatis et cultiorum studiorum abdicatio. Vetustissima vero est hæc opinio, et ut puto, auctore Eudoxo, qui solstitium et brumam non in principio Cancri et Capricorni, sed in mediis signis fieri putabat. De Tropico æstivo loquens, δεύτερός ἐστι κύκλος, ἐν ᾧ θεριναὶ τροπαὶ γίνονται· ἔστι δ' ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ Καρκίνου. De Tropico hiberno: τέταρτος δ' ἐν ᾧ χειμεριναὶ τροπαὶ γίνονται· ἔστι δ' ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ Αἰγόκερω. Similiter æquinoctia non in principiis Arietis et Libræ, sed mediis signis fieri: τρίτος δ' ἐστὶ κύκλος, ἐν ᾧ αἱ ἰσημερίαι γίνονται· ἔστι δ' ἐν τούτῳ τά τε τοῦ Κριοῦ μέσα καὶ τὰ τῶν Χηλῶν. Certe tam apertis argumentis caussæ non erat, cur Mathematicus ille nobis tam iniquus esset. Sed pace nationis

Mathematicorum hæc ita esse nos adfirmamus. Neque profecto nobis tam infensi esse debent, si aliquando ex antiquis monumentis ea depromimus, quæ ipsi in suis Theoriis aut elementis Sphæricis non viderunt. In Centricis igitur Dodecatemoriis longissimas epochas Solis adsignabant, et nullum signum altius et propius ad Aquilonem surgere putabant. Unde Lucanus dixit *circulus alti solstitii*: quod Mathematici isti non intelligunt: de quo alibi. Diagrammata Antisciorum Ptolemæi et Veterum posuimus: quæ Mathematici ignorabant: immo propter quam doctrinam cerrito Mathematico pæne vapulavi. Scal.

EXCURSUS III

AD MANILII ASTRON. LIB. II, vs. 509.

.... in Augusti felix qui fulserit ortum.

Suetonius: « In secessu Apolloniæ Theagenis Mathematici pergulam comite Agrippa adscenderat: quum Agrippæ, qui prior consuluerat, magna et pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec velle edere, perseverabat, metu, ac pudore, ne minor inveniretur: qua tamen post multas adhortationes, vix et cunctanter edita, exsiluit Theagenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit ». Germanicus Cæsar in ἀνικδότοις, de Capricorno:

Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Adtonitas inter gentes patriamque paventem
In cælum tulit, et maternis intulit astris.

Omnino Augustus Capricornum horoscopantem habuit. Rursus Sueton. cap. 5: « Natus est Augustus, M. Tullio Cicerone et Antonio coss. IX Kal. Oct. paullo ante Solis exortum». Si Augustus natus est oriente Sole, aut circiter, et quidem horoscopante Capricorno: ergo Sol erat in Capricorno: et proinde September Romani anni prisci incidebat in Decembrem Julianum, quem fingimus semper fuisse, in quo Sol obtinebat Capricornum a XXV Decembris Juliani. Atqui plus quam sexaginta annis ante Consulatum Ciceronis September Romanus conveniebat ex parte in Julium, sive Quintilem Julianum. Quid quod anno reformationis Fastorum adhuc pars Septembris Romani deprehendebatur in Quintili Juliano? Sed pauculis annis ante Consulatum Ciceronis, teste ipso Cicerone in Frumentaria, fruges demessæ in Sicilia jacebant in area Kalendis Sextilibus, Verre Prætore obtinente Siciliam. At messis in Sicilia fit in fine Geminorum, hoc est, in Junio Juliano. Ergo Sextilis antiquus conveniebat in Junium Julianum: et proinde September antiquus in Julium nostrum. Si igitur Augustus natus est Oriente Sole, ut vult Suetonius: ergo natus horoscopante Cancro. Falsum igitur horoscopante Capricorno editum. Si Capricorno horoscopante editus, ut vult Germanicus, qui Aratea sua Augusto dicavit: ergo falsum dixerit Suetonius, natum oriente Sole. Aut Suetonius hallucinatus est, aut Theagenes, et post eum Augustus et Germanicus. An vero simile est, Suetonium tam accuratum scriptorem, qui etiam omnia minima persequitur, tempus natalitium Augusti ignorasse? Non possumus defendere tantam ἀντιλογίαν, nisi dicamus Theagenem perperam thema designasse, aut potius Augustum perperam indicasse. Quomodo Agrippa et Augustus potuerunt tempus geniturarum suarum edere in tanta confusione anni Romani, qui quoties intercalatum sit a natalibus suis, ad cædem Cæsaris, omnino nesciebant: ne ipsos quidem Pontifices puto, qui non ex præscripto, sed ad libidinem intercalabant, potuisse adseverare in XX annis quo-

ties et quando intercalatum fuisset. Sed profecto ex iis, quæ perperam retulit Augustus Theageni, ipsum Theagenem ex conjectura, et tempore æstimato sub Capricorno Augustum editum pronuntiasse. Nam sub Capricorno editos, rerum potituros pronuntiat Firmicus: « Prima pars Capricorni, inquit, si in Horoscopo fuerit inventa, Regem faciet ac Principem, et cui maxima deferantur insignia potestatis ». Si hæc tam vera sunt, quam verisimilia, satis fuerint ad culpam a Suetonio in Theagenem derivandam. Sin aliter, parum cavisse videtur Suetonius. Hæc disputatio candidis viris ingrata non erit. Nam de Stellionibus non laboramus. Scal.

EXCURSUS IV

AD MANILII ASTRON. LIB. II, vs. 695.

Dodecatemoria in titulo signantia caussas.

In titulo, in nomine. Ut infra : *Quæritur inverso titulus*, id est, nomen. Ecce alius consensus signorum ex Myriogenesi Ægyptiorum ac eorum monomœriis petitus. Recte vero post amicitias hæc connectit. Nam et hæc quoque ad amicitias, concordiam, odia, et discordiam pertinent, ut infra testatur ad versus 707 et 708 :

> Idcirco quamquam signis nascuntur eisdem,
> Diversos referunt mores, inimicaque vota.

Signum habet partes xxx. Unaquæque in duodecim ducitur. Ita unumquodque Dodecatemorion Zodiaci habet duodena Dodecatemoria technica : et proinde duo gradus cum semisse Dodecatemorii Zodiaci respondent uni Dodecatemorio technico. Dodecatemorion duplex est : aut enim ipsorum

Signorum, aut planetarum. De signorum igitur prius; postea de planetarum Dodecatemoriis. Quæcumque signi pars proposita fuerit, eam in tot duodecimas ducito : deinde tricenas singulis secundum ordinem suum tribue : triginta nempe signo proposito, triginta sequenti, et sic deinceps, donec totum numerum partium consumpseris. In quo numerus te reliquerit, is erit locus Dodecatemorii. Esto proposita XIII pars, Geminorum puta, vel quia Horoscopus est in ea, vel quia centrum, vel propter aliam caussam. Volo scire ubi sit Dodecatemorium Geminorum signi propositi. Duc illas XIII partes duodecies. Prodeunt CLVI. Ex quibus da XXX Geminis signo proposito : XXX Cancro, XXX Leoni, XXX Virgini, XXX Libræ. Supersunt VI. Ergo Geminorum Dodecatemorion est in VI parte Scorpii. Idem efficies, si XIII partes in duo et semis distribueris. Habebis enim quinque Dodecatemoria, et quintam partem unius, id est, quintam de triginta, nempe VI, ut antea. Priorem methodum Dorotheus Sidonius vetus poeta in suo carmine tradiderat : posteriorem docet Ptolemæus in Institutione, id est, libro primo Tetrabibli. Omnem vero Dodecatemoriorum doctrinam Ptolemæus, ut vanam ac fallacem exagitat : et in genere omnia de Monomœriis ab Ægyptiis conficta ἀναιτιολόγητα καὶ περιττῶς ὑπὸ τῶν πολλῶν φλυαρούμενα καὶ μὴ πιθανὸν ἔχοντα λόγον dicit. Multum enim ejuscemodi commentis delusit ac luxuriata est veterum Ægyptiorum περιεργία· adeo ut Paullus Alexandrinus τρισκαιδεκατημόριον excogitaverit, et omnem de duodecimis doctrinam falsam, et inconstantem esse convicerit : quem consulas licet. Arabes, qui nihil eorum, quæ Veteres in otio ἐπολυπραγμόνησαν, relinquunt, hanc doctrinam retinuerunt: vocant *Dorogen*. SCAL.

M. MANILII
ASTRONOMICON
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM LIBRI TERTII.

Postquam de variis ac vulgaribus aliorum poetarum argumentis pauca præfatus est Manilius, (v. 31); materiem nulli priorum, ut ait, cantatam adgreditur; alteram nempe duodecim Athlorum rationem (in qua sors Fortunæ dux est cæterorum), mensura verborum metitur, carminumque vinculo constringit eleganter, (ad v. 159). Cunctis Athlorum sortibus breviter explicatis ex ordine, docet modum inveniendi Fortunæ locum per astra, quo cognito facile est cætera dignoscere. Neque enim ita immota stant duodecim Athla, sicut duodecim Stationes cæli sunt immobiles : sed varie moventur pro diverso Solis a Luna, aut Lunæ vicissim a Sole motu ac recessu. Quod quidem præcipue observandum est in genituris diurnis aut nocturnis, (ad v. 202). Rem longe difficiliorem adgreditur; docet enim varias signorum adscensiones ac descensiones, seu ortus et occasus per quamcumque terrarum regionem, pro vario Sphæræ situ ac habitu. Inprimis statuit duplicem temporis mensuram, horarum et stadiorum. Prius autem refutat veterem ac vulgarem opinionem de binis horis in ortum aut occasum cujusque signi, quam doceat modum inveniendi per quot horas ac stadia surgant aut cadant singula signa, (ad v. 246). Quibus explicatis demonstrat rationem, qua menses hiberni per horas crescant, æstivi vero decrescant. Docet et quomodo Solis annuos cursus signa quæque suos ducant : quomodo menstruos Lunæ motus quisque suos mensis adserat : et quomodo primam diem quodque suam, primamque horam diei quodque suam signum horoscopans vindicet, atque primum Solarem annum ejus esse signi, in quo Sol lucet : primum mensem ejus esse signi, in quo Luna lucet :

primum diem primamque diei horam ejus esse signi, quod horoscopans erit, dum quis nascitur, (ad v. 560). His autem absolutis aliam tradit rationem de annis vitæ, quos et signa quæque, et stationes quæque cæli dant, (ad v. 581). Quorum annorum per signa et stationes censum agit, quem exemplo Lunæ lucentis in prima statione, qui est ortus, confirmat inductionem præclaram agendo, (ad v. 617). Notat denique quot annos vitæ dent præcipue quatuor tropica signa; variasque refert opiniones de gradu, in quo cujusque signi tropici versura contingat, (ad finem).

In nova surgentem, majoraque viribus ausum,
Nec per inaccessos metuentem vadere saltus
Ducite Pierides: vestros extendere fines
Conor, et irriguos in carmina ducere cantus.
Non ego in excidium cæli nascentia bella,
Fulminis et flammas, partusque in matre sepultos,

1. Hic liber tamquam reliquum de ratiuncula alterum membrum institutionis absolvit. Nam duodecimæ domus reliquias in principio absolvit, post quam operam ad ephodum horoscopi inveniendi se confert. Ordo enim postulat ut post rationem duodecim domorum explicatam, ejus investigandi modum doceat.

3. *Vestros extendere fines Conor et irriguos.* Metaphora a fontibus et rivis, quos specu et incili per arva deducunt. *Inriguos* semper illos veteres scripsisse sciunt antiquorum codicum periti. *Irriguos cantus* dixit, ut Corn. Severus *Carmine irriguo*. Quid verius potest dici? Scribimus hæc doctis et veris criticis, quos statim veritatis lumen adflabit.

4. *Inriguos*. Ita scribebant, ut sciunt et mediocriter docti. Glossarium: *Endoribuum*, ἔνριθρον, κατάριθρον. Lege *Endoriguum*, ἔνρειθρον, κατάῤῥειθρον. — Olim editum *indignos*, *indictos*. — *Ducere cantus* displicet B. qui reponit *in gramina ducere fontes*. Fontes quidem non male, ut opinor: sed Manilius jam II, 9: « laticesque in carmina duxit » simili sane locutione. Ed.

6. *Fulminis et flammas partusque*. *Fulminis flammas partusque*, unum per duo. Familiarissimum schema Manilio, hoc est, partus sepultos in matre Semele fulminis flammis, vel Gigantes partus Terræ in Terra matre sepultos. Sed melius de Semele intellexero. — B. *Fulminis et flamma partus in matre sepultos*, sed non sine caussa contendit, hæc de Baccho non posse recte intelligi, et de Gigantibus accipienda esse. Non enim sepultus est Bacchus, sed pereunte matre servatus. Post hunc vers. B. alium dedit. Vid. not. 37 infra. Ed.

Hectora venalem cineri, Priamumque ferentem,
Colchida nec referam vendentem regna parentis,
Et lacerum fratrem stupro, segetesque virorum,
Taurorumque truces flammas, vigilemque draconem,
Et reduces annos, auroque incendia facta,
Et male conceptos partus, pejusque necatos.
Non annosa canam Messanæ bella nocentis,
Septenosque duces, ereptaque fulmine flammis
Mœnia Thebarum, et victam, quæ vicerat, urbem:
Germanosque patris referam, matrisque nepotes,
Natorumque epulas, conversaque sidera retro,
Ereptumque diem: nec Persica bella profundo
Indicta, et magna pontum sub classe latentem,
Immissumque fretum terris, iter æquoris undis:
Non reges magnos: spatio majore canenda,
Quam si tacta loquar; Romanæ gentis origo,

7. *Priamumque ferentem.* Priamum ex Achillis tentorio cadaver Hectoris referentem.

13. *Non annosa canam.* Post XIX annum belli Messeniaci excisa fuit a Spartanis Messana Peloponoesi. Propterea annosum bellum vocat. Bonincontr. male de Messanensibus Siciliæ hoc intelligit. Ed.

15. *Ereptaque fulmine flammis Mœnia Thebarum.* Fulminato Capaneo vindicata est Thebanorum urbs a flammis, quas ille minabatur Thebis. Inepta est scriptura Gemblacensis, et textus Bonincontrii, *ereptaque flumina flammis*, quæ quidem Bonincontrius interpretatur de Lerna palude ab Hercule flammis exsiccata. — *Et victam, quæ vicerat, urbem.* Cadmensem victoriam respicit; ideo B. reponit *victam quia vicerat.* Ed. — Propertius de eadem re: « et semper prælia clade pari ».

20. *Immissumque fretum terris, iter æquoris undis.* Pomponius Mela, II, 2: « Athon mons... perfossus transjugatusque est, factus freto navigabili pervius ». Plinius adposite, Epist. VIII, 4: « Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, etc. » Ed. — *Iter æquoris undis*, i. e. Hellespontum quem Xerxes ponte junxit. Ed.

22. *Quam si tacta loquar. Tacta* vocat res protritas, historias ab omnibus decantatas, quales jam recensuit. Horatius vocat publicam materiam. Origo, inquit, Romanæ gentis majore otio, quam res vulgatæ, canenda, a me in aliud tempus differtur. — Bonam lectionem hic ex Voss. Bentleius restituit: « Non regis magni spatio majore canenda, Quam sint acta loquar ».

Totque duces orbis, tot bella atque otia, et omnis
In populi unius leges ut cesserit orbis,
Differtur : facile est ventis dare vela secundis,
Fecundumque solum varias agitare per artes,
Auroque atque ebori decus addere, quum rudis ipsa
Materies niteat : speciosis condere rebus
Carmina, vulgatum est opus, et componere simplex.
  At mihi per numeros, ignotaque nomina rerum,
Temporaque et varios casus, momentaque mundi,
Quorum quæque vices, partesque in partibus ipsis,
Luctandum est: quæ nosse nimis: quid? dicere, quantum est?
Carmine quid proprio? pedibus quid jungere certis?
  Huc ades, o quicumque meis advertere cœptis
Aurem oculosque potes, veras et percipe voces!
Non ad juratos reges, Trojaque cadentes,
Intendas animum, nec dulcia carmina quæras:
Ornari res ipsa negat, contenta doceri.
Et si qua externa referentur nomina lingua,
Hoc operis, non vatis erit : non omnia flecti
Possunt, et propria melius sub voce notantur.
  Nunc age subtili rem summam perspice cura,
Quæ tibi præcipuos usus monstrata ministrat,

De Alexandro Magno accipe. Sic *Despréaux :* « Croit que l'on fait des vers comme l'on prend des villes ». Ed.

30. *Igaotaque nominn rerum.* Multa in hac arte Latinis vocabulis vix desigoari possunt.

33. *Quæ nosse nimis.* Ex Gembl. totus locus ita distinguendus, et fere sequutus est B. « quæ oosse nimis : quid? dicere, quantum est? Ordine quid proprio? pedibus quid juogere certis? » Multum variant a vulgatis, et quidem longe elegantius.

37. *Trojamque cadentem.* Gembl. *Trojaque cadentes.* Hunc versum B. post sextum reponit, et sic mutat : « Non conjuratos reges, Trojaque cadente » : sed solus Voss. adserit.

40. *Et si qua externa.* Excusat novitatem verborum. Sic Lucretius de patrii sermonis egestate conqueritur.

41. *Non omnia flecti.* Non omnia peregrina verba flexum Romani idiomatis admittunt. — *Monstrata ministrat Et dat.* Sic Gembl. B. autem *ministret*, et seq. versu *det.*

Et certas dat in arte vias ad fata videnda,
Si bene constiterit vigilanti condita sensu.
Principium rerum et custos natura latentum,
Quum tantas strueret moles per mœnia mundi,
Et circumfusis orbem concluderet astris
Undique pendentem in medium, diversaque membra
Ordinibus certis sociaret corpus in unum,
Aeraque et terras, flammamque, undamque natantem
Mutua in alternum præbere alimenta juberet,
Ut tot pugnantes regeret concordia caussas,
Staretque alterno religatus fœdere mundus;
Exceptum a summa ne quid ratione maneret,
Et quod erat mundi, mundo regeretur ab ipso:
Fata quoque et vitas hominum suspendit ab astris,
Quæ summas operum partes, quæ lucis honorem,
Quæ famam adsererent, quæ numquam fessa volarent:
Quæ quasi per mediam mundi præcordia partem

53. *Mutua in alterutrum. In alterutrum* vitiosum videtur. Nam de duobus tantum dicitur. At hic de quatuor elementis. Gemblacensis, *in alternum*, id est, in vices, ut in vanum. — *Mutua in alternum*. De conjunctionibus elementorum.

55. *Staretque alterno*. Mendum hic videtur esse: nam *alternum* jam habuimus altero abhinc versu. Non male legatur *æterno religatus fœdere mundus*, et sic quoque habent Pingr. et B. Ed.

59. *Quæ summas operum partes*. Opera Græci vocant πράξεις. Unde ζώδια δίπρακτα, μονόπρακτα veteribus Astrologis. Ea Manilius vocat Athla: quod nomen apud alium artis magistrum non invenies. Nam ejus neque Ptolemæus, neque alii, Firmicus, Arabes, recentiores meminerunt. Sed ne doctis quidem suboluit de istis Athlis Manilianis. Nam πράξεων Græcis tantum, Latinis recentioribus Magisteriorum nomine nota sunt: quod ab Arabibus acceperunt. Athla Manilius vocat, quæ aliter ἐπιτηδεύματα. Latinis studia, artes. Vulgo professiones in idiotismo dicimus. Sallustius pluribus circumscripsit: « Quæ homines arant, navigant, ædificant ». Horum Athlorum peculiare thema editurus est nunc Manilius; cujus Horoscopus est Sors Fortunæ: de quo suo loco. Res hactenus etiam doctissimis ignota.

61. *Quæ quasi per mediam mundi præcordia partem*. Præcordia mundi Zodiacum vocat: ut in lib. I, vs. 16 seq. « impensius ipsa Scire juvat magni penitus præcordia mundi ».

Disposita obtineant, Phœbum, Lunamque, vagasque
Evincant stellas, nec non vincantur et ipsa.
His regimen natura dedit, propriasque sacravit
Unicuique vices, sanxitque per omnia, summam
Undique uti fati ratio traheretur in unam.
Nam quodcumque genus rerum, quodcumque laborum,
Quæque opera atque artes, quicumque per omnia casus
Humana in vita poterant contingere sorte,
Complexa est : tot et in partes, quot et astra notarat,
Res posuit, certasque vices : sua momina cuique
Adtribuit, totumque hominis per sidera censum

63. *Evincant stellas.* Quia nempe eveniat et stellas signis, et vicissim signa stellis inferiora esse.

64. *His regnum natura dedit.* Gemblacensis, *His regimen.* Ita etiam Bouincoutrius, et sequitur Bentl.

65. *Sanxitque per omnia.* Ita hæc legenda sunt : « sanxitque per omnia, summam Undique uti fati ratio traheretur in unam ». Nam Gemblacensis etiam habebat *undique uti fati.* In unam summam, id est, in aliquam duodecim cælestium domuum. Quod sequentia declarant : omnium operarum rationem in unam summam duodecim locorum conjecit.

67. *Nam quodcumque genus rerum.* Non erat alius interpres quærendus. Ipse his tribus versiculis rem summam complexus est. Docet enim, quid sit Athlon, et quid ejus adpellatione contineatur, ut melius doceri non potuerit.

69. Olim *Humana in vita poterant contingere sortem.* Gemblac. *sorte. Humana sorte*, i. e. humanitus.

70. *Complexa est in tot partes.* Gemblacensis : « Complexa est tot et in partes, quot et astra vocarant ». Sed legendum : « Complexa est : tot et in partes, quot et astra notarat ». Nam *vocandi* verbum nullum locum hic habere potest.

71. *Res posuit.* Totus locus contaminatus est. Ita legit B. « Nam quodcumque genus rerum, quodcumque laborum, Quæque opera atque artes, quicumque per omnia casus Humanæ in vitæ poterant contingare sorte, Complexa est : tot et in partes, quot et astra locarat, Disposuit ; certasque vices, etc. » — *Sua nomina cuique.* Lege *momina*, quæ in Sphæra mundi vocat pondera : « signorum pondera vires ». Nam ridiculum esset nominare ea, quibus jam nomina sunt. Ni cui tamen videtur retinendum *nomina*, poterit similitudine loci, qui sequitur : « nomenque genusque ». Quamquam alia ratio est. — Hanc emendationem non probat B. et reponit *Munia.* Sic infra, 161, idem adfert *Muniaque in numerum*, ubi omnes libri habent *nomina.* Et IV, 307 : « Mentiturque suas vires et munia celat » eadem mutatione. Ed.

Ordine sub certo duxit, pars semper ut eidem
Confinis parti vicinis staret in arvis.
Horum operum sortes ad singula signa locavit,
Non ut in æterna cæli statione manerent,
Et cunctos hominum pariter traherentur in ortus
Ex iisdem repetita locis; sed tempore sedes
Nascentum acciperent proprias, signisque migrarent,
Atque aliis alio sors quæque accederet astro,
Ut caperet genitura novam per sidera formam,

73. *Pars semper ut idem.* Scribe: « pars semper ut eidem Confinis parti vicinis staret in arvis », auctore Gemblacensi. Elegans metaphora ab agris vicinalibus. Hic sensus est: Ut pars eidem parti confinis hæreret, ut ager confini suo agro vicinus est.

75. *Horum operum partes. Horum operum sortes*, Gemblac. — *Horum operum sortes ad singula signa locavit.* Divisio genethliologiæ. In hominis genitura duo præcipua considerantur: corporalia et externa. Quum dico corporalia, etiam intellectualia complector. Et, ut melius mentem Manilii aperiam, duo themata hominis præcipua instituit: alterum genituræ, alterum actionum. In genitura naturalia, hoc est, corpora et animæ continentur: in actionibus quæ extra nos sunt. In genitura primus locus datur Horoscopo: in actionibus Sorti Fortunæ, qui est veluti actionum quidam Horoscopus. Hæc ita clara sunt, ut aliis demonstrationibus munienda non sint: in qua tamen re admodum pueriliter lapsus est Phœnix, deliciæ Musarum, atque alumnus Philosophiæ Picus Mirandula. Is putat ea, quæ Manilius mox expositurus est de themate actionum, ad thema genituræ referenda esse: neque aliud præter thema γενέσεως proponi a Manilio. Atqui longe differunt ista, ut dixi, tam mehercule, quam Horoscopus et Sors Fortunæ. Nam Bonincontrio semper ignoscimus si ei nihil horum subolnerit, quum ante nos nullus Mathematicus, ne gloriosuli quidem inter illos, quid essent Athla, sciverint; quod dicimus inviti: non quod tanti res sit: sed propter contemptores bonarum literarum, qui eas Grammaticam vocant.

76. *Non ut in æterna cæli.* Non semper Sors Fortunæ omnium geniturarum eidem parti hæret. Non semper a simili parte deducitur. Quia enim a Sole interdiu, a Luna noctu deducitur: illa autem duo sidera non semper in omni genitura eumdem locum obtinent, ita neque Sors Fortunæ in omni genitura eumdem locum obtinebit.

80. *Atque aliis alio.* Atque aliis nascentibus ab alio signo Sors Fortunæ deduceretur, aliis ab alio. Sed Gemblacensis habet *alius*. Puto esse vestigium emendationis nostræ prioris, *alias*, quam sequutus videtur B. *Atque alias alii.* Ed.

Nec tamen incerto confunderet omnia motu:
Sed quum pars operum, quæ prima condita parte est,
Accepit propriam nascentis tempore sedem,
Cætera succedunt, signisque sequentibus hærent.
Ordo ducem sequitur, donec venit orbis in orbem.
Has autem facies rerum per signa locatas,
In quibus omnis erit fortunæ condita summa,
(Ut fit) quum stellæ septem læduntve juvantve,

82. *Nec tamen incerto.* Ita tamen ne confunderet omnia: tum ordinem servavit, ita tamen ne confusionem admitteret. Quot enim geniturarum Horoscopi, tot Sortes Fortunæ. Nova Sorte Fortunæ et novæ quoque actiones exoriuntur. Sortem enim Fortunæ tamquam ducem sequuntur. Nam, uti diximus, in genitura interiora, in Athlis autem exteriora considerantur. Atque horum utique Horoscopus dominus est, illorum Sors Fortunæ. Aliter Hermes ἐν καρπῷ. Nam Horoscopo corporalia, externa autem Sorti Fortunæ; intellectualia Lunæ, actiones astris medium cælum obtinentibus subjicit. Ut quum hæc sint quatuor in nascente consideranda, tot etiam nova themata instituenda sint: primum corporalium, alterum externorum, tertium intellectualium, quartum actionum.

83. *Quæ prima condita parte est.* B. *sorte est.* Hoc enim Nostro frequens; infra, 96: « Fortunæ sors prima data est », et 138: « Præcipua undecima pars est in sorte locata ». Ed.

87. *Facies.* Alii dant, *series rerum.*

88. *In quibus omnis erit natura et condita summa.* Repone ex Gembl. « In quibus omnis erit Fortunæ condita summa ».

89. *Ut quum jam stellæ.* Locus deploratissimus. Gembl. *ut sit quum stellæ.* Præit viam toti loco restituendo, qui pessime acceptus erat: « Has autem facies rerum per signa locatas, In quibus omnis erit Fortunæ condita summa, (Ut fit) quum, etc. quæ sic Scal. explicat: Quum has facies rerum per signa locatas, id est, duodecimam domum Sortis Fortunæ septem stellæ, ut fit, lædunt aut juvant, aut varia potentia cardinum mundi movet, prout, inquam, læduntur aut juvantur a stellarum suffragiis, aut factionibus, perinde erit felix aut triste fatum: perinde quoque erit aliter atque aliter tale negotium. Obscurissimos erat locus, et quem olim non capiebamus bonorum codicum ope destituti. B. dat *Utcumque aut stellæ*, ex cod. Vossiano, et sic habet Pingr. Ed. — *Quum stellæ septem læduntve juvantve.* Non omnibus obvium, quid velit Manilius. Constituto themate Sortis Fortunæ, perinde septem stellarum Sortes ducebantur, ut Sors Fortunæ in genitura. Sors Saturni dicebatur ultio, Jovis pugna, Martis audacia, Solis bonus genius, Veneris amor, Mercurii necessitas, Lunæ bona fortuna. De quibus omnibus egerat in libro suo illi rei dicato Trisme-

Cardinibusve movet divina potentia mundi:
Sic felix, aut triste venit per singula fatum,
Talis et illius sors est speranda negoti.
Hæc mihi solenni sunt ordine cuncta canenda,
Et titulis signanda suis rerumque figuris:
Ut pateat positura operum, nomenque, genusque.
Fortunæ sors prima data est: hoc illa per artem
Censetur titulo, quia proxima continet in se
Fundamenta domus, domuique hærentia cuncta:
Qui modus in servis, qui sit concessus in arvis,
Quaque datum magnas operum componere moles;
Ut vaga fulgentis concordant sidera cæli.
Post hanc Militiæ locus, qua quidquid in armis,
Quodque peregrinas inter versantibus urbes

gistus, cui libro nomen fecerat πανάρετος. Prout igitur bonum locum maleficæ stellæ sors, aut malum benevolæ contigerit, ita erit fatum felix, aut triste, ita erit sors illius negotii speranda. Quomodo autem Sortes septem errantium ducendæ sint, docerem nisi supervacuum existimarem.

90. *Divina potentia mundi.* Videtur Manilius scripsisse *divisa potentia.* B. reponit *mundum* pro *mundi.* Vid. infra v. 141. Ed.

91. *Sic felix, aut triste.* Vel, *Si felix.* Utrumque bene. Malim tamen, *Si felix.*

92. B. *Talis et ullius.*

95. *Ut pateat positura operum.* Positura, thema ad verbum.

96. *Fortunæ Sors prima data est.* In Gemblacensi hic adpositus erat in margine titulus: *Fortunæ locus.* Tenet autem Sors Fortunæ vicem Horoscopi in positura operum.

98. *Fundamenta domus.* Opes. Ptolem. Paullus Alexandr. — *Domuique hærentia cuncta.* Male, meo judicio, codex Gemblacensis: «dominoque hærentia canta». Monui, quod qui pruritu correctionum tentantur, possent hanc lectionem admittere, et invita Minerva interpretari.

99. *Qui sit consensus in arvis.* Legebamus olim *contentus*, non male. Bene enim nobis suspectus fuit locus de vitio. Sed melius Gemblac. *qui sit concessus.* Eamdem lectionem habet alter manuscriptus. — *Qui sit concessus in arvis.* Ad verbum τὰ ἔγγαια. Paull. Alex.

102. B. *Posthinc*, ut Virg. Æn. VIII, 546: «Posthinc ad naves graditur». Ed.

103. *Quoque peregrinas.* Gemblacensis: *Quæque peregrinas.* Neutrum bene: optime olim emendavimus: «Quodque peregrinas inter, etc.» B. dat *quodve.* Hæc secunda sedes est militiæ et peregrinationis.

Accidere adsuevit, titulo compreuditur uno.
Tertia ad urbanos statio est numeranda labores.
Hoc quoque militiæ genus est civilibus actis
Compositum, fideique tenet parentia vincla:
Format amicitias, et sæpe cadentia frustra
Officia; et, cultus contingant præmia quanta,
Edocet, adpositis quum mundus consonat astris.
Judiciorum opus in quarto natura locavit,
Fortunamque fori, fundentem verba patronum,
Pendentemque reum lingua, rostrisque loquentem

104. *Titulo comprehenditur uno.* Duæ res uno titulo, militia et omnis peregrinatio. Vide quam stolide facerem, si alterum membrum de militia acciperem. Quam ineptum geous loquendi, Militia accipere adsuevit versantibus ioter urbes. Omnem stultitiam vinceret, militiam versari inter nrbes. Tantum abest, ut potius militiam urbanam sequenti loco ponat. Vides absurditatem. Quidquid igitur obveuit nobis tam militiæ, quam inter peregrinas urbes versantibus, hoc omne comprehenditur uno hoc loco: quæ est secunda sedes thematis Sortis Fortonæ.

105. *Tertia ad urbanos.* Titulus in Gemblacensi: *militia togata.*

107. *Fideique tenet parentia vincla.* Fidei vincla. Jura clientelæ in legibus Atticis, quæ fidei nomine comprehenduntur. Terentius, Eunuch. act. V, scen. 9, vs. 9 seq. « Thais patri se commendavit: in clientelam et fidem Nobis dedit se ». Vincla jure Romano dixit, de necessitodine inter clieotes et patronos. Posteriores Græci voce Romana hoc jus πατρωνείαν, patrocinium, vocant, in quibus Paullus Alexand.

110. *Quum mundus consonet.* Scribe *consonat:* quandocumque favent astra: familiare Manilio. Iof. 119: « utcumque regunt dominaotia sidera ». Item, v. 141: « moveot ut mundom sidera cumqoe ».

111. B. *opus in quarta*, statione scil. ut v. 105. Ed.

113. *Rostrisque loquentem Impositum.* Si mendo locus vacat, *loquentem* nove dixerit, pro oratore. Ῥήτωρ ad verbum est loquens, loquutor. Et in Teutonismo Germanico ita vocatur. Sed videtnr exulceratus locus. Gemblacensis suspicioοem auget. Ita enim babet: « rostroque loquentis Imposita ». Numquam probavi « loquentem Impositum rostris ». Sed proba est sententia ex vestigiis Gemblacensis, quam sequimur, et sic explicat Scal. Patronum oraotem, et ejus lingua peodentem reum, atque adeo tribunum plebis aut alium quempiam popularem magistratum e Rostris perorantem in jura posita, et vetus jus ac jam conditum ac receptum populo explicantem, pota Ciceronem agrarias leges propositas antiquantem, et veteres explicantem. Opponit posita jura conditis, id est, pro-

In posita, et populo nudantem condita jura,
Atque expensa sua solventem jurgia fronte,
Quum judex veri nihil amplius advocat ipso.
Quidquid propositas inter facundia leges
Efficit, hoc totum partem concessit in unam,
Atque, utcumque regunt dominantia sidera, paret.
Quintus conjugio gradus est per signa dicatus,
Et socios tenet et comites, atque hospitium una
Jungitur, et similes conjungens fœdus amicos.
In sexta dives numeratur copia sede,
Atque adjuncta salus rerum : quarum altera, quanti
Contingant usus, monet : altera quam diuturni,
Sidera ut inclinant vires, et templa gubernant.
Septima censetur sævis horrenda periclis,
Si male subscribunt stellæ per signa locatæ.

mulgatam legem receptæ. In lib. IV, vs. 209 sq. « Hic etiam legum tabulas, et condita jura Noverit ». — B. autem *voltuque loquentis Composito. Pendentem vultu*, ut Ovid. Fast. I, 18 : « Ingenium vultu statque caditque tuo ». Vultus compositus passim, et oratori inprimis convenit.

114. *In posita. Posita jura*, leges trinundino promulgatas. Infra plane idem extulit : « Quidquid propositas inter facundia leges Efficit ». — *Condita jura*. Leges antiquas. Locus erat intricatissimus.

115. *Atque expensa. Expensa* examinata. — Cicero pro Rab. Post. 43 : « Hæc mira laus est, quæ non poetarum carminibus... sed prudentum judicio expenditur ». Ed.

116. *Quum judex vero*. Scribe ex Gembl. *Quum judex veri*. Quum, inquit, judex veri ad verum tuendum nullum aliud externum auxilium advocat, præter ipsum verum. Nam veritas ipsa satis est per se ad se ipsam defendendam.

119. Olim, *Atque utcumque gerunt*. Manifesto legendum : « Atque utcumque regunt ». — Vulgo, *Dominantia sidera, manant*. Gemblacensis optime : « dominantia sidera, parent ». Non opus habet doctore. Ineptissime hæc reformavit Bonincontrius : « Atque utcumque manent dominantia sidera, ducunt ». — Scalig. *parent*, mendose : nam præcedit *quidquid*. Ed.

121. *Et socios tenet et comites atque hospitium una*. Non probo lectionem Gemblacensis : « Et socios tenet et comitantes hospitis una ». Vulgatæ accedimus. — Sed neutrum B. vult, et restituit : « socios tenet et consortes, hospitiisque Fuugitur, et similes conjungit fœdere amicos ». Ed.

123. *In sexta dives*. Boninc. stolide interpolavit, *In sexta servum*.

Nobilitas tenet octavam, qua constat honoris
Conditio, et famæ modus, et genus, et specioso
Gratia prætextu. Nonus locus occupat omnem
Natorum sortem dubiam, patriosque timores,
Omniaque infantum mixta nutritia turba.
Huic vicinus erit, vitæ qui continet actum,
In quo sortimur mores, et qualibus omnis
Formetur domus exemplis, quoque ordine certo
Ad sua compositi discedant munera servi.
Præcipua undecima pars est in sorte locata,
Quæ summam nostri semper, viresque gubernat,
Quaque valetudo constat, nunc libera morbis,
Nunc oppressa, movent ut mundum sidera cumque.
Non alia est sedes, tempusve genusve medendi

131. *Nonus locus occupat omnem Fatorum seriem.* Scribe *Natorum seriem.* Ait enim eo puerorum educationem et disciplinam omnem contineri.

133. *Omniaque intrantum.* Qui nascuntur, non intrant, sed prodeunt in lucem. Unde genitura ab Astrologis dicitur exitus; ut etiam vertunt Arabes. Ineptum ergo *intrantum*, quod procul dubio falsum. Manilius enim scripsit *infantum*.— *Omniaque infantum mixta nutritia turba.* Omnia nutritia mixta infantum turba. Continet enim ea quæ ad filios alendos pertinent. Nam τὰ τροφεῖα, ἤτοι θρεπτήρια dicuntur nutritia. Alibi: » Et pretium cælo sua per nutritia ferre ». Sed procul dubio hic per nutritia intelligitur non solum quod ad alimenta, sed quæ ad disciplinam spectant. Igitur, inquit, continetur educatio liberorum simul cum infantibus ipsis.

136. *In quo servorum mores et qualibet omnis.* Atqui de servis in officio continendis postea dicit. Bis ergo idem dixisset. Ne igitur tautologiam auctori nostro imputemus, consulamus Gemblacensem. In eo scriptum fuit: « In quo sortium rumores æqualibus omnis ». Textus Bonincontrii: « In quo sortitur mores et qualibet omnis ». In utroque aliter atque aliter exstant vestigia veri. Scripsit Manilius: » In quo sortimur mores, et qualibus omnis Formetur domus exemplis ».

141. *Nunc oppressa movent.* Vitiosam interpunctionem restituo: « Quaque valetudo veniat nunc libera morbis, Nunc oppressa, movent ut mundum sidera cunque ». — *Movent ut mundum sidera cunque.* Paullo ante: « Sidera ut inclinant vires, et templa gubernant ». Ter aut quater in hoc tractatu habes similem clausulam.

142. *Non alias sedes.* Vestigia

Quæ sibi deposcat, vel cujus tempore præstet
Auxilium, et vitæ succos miscere salubres.
Ultimus et totam concludens ordine summam
Rebus apiscendis labor est, qui continet omnes
Votorum effectus, et quæ sibi quisque, suisque
Proponit studia atque artes, hæc irrita ne sint :
Seu ferat officium, nutus blanditus in omnes :
Aspera sive foro per litem jurgia tentet,
Fortunamve petat pelago, ventisque sequatur :
Seu Cererem plena vincentem credita messe,
Aut repetat Bacchum per pinguia musta fluentem.
Hac in parte dies, atque hæc momenta dabuntur,
Si bene convenient stellæ per signa sequentes,
  Quarum ego posterius vires in utrumque valentes
Ordine sub certo reddam, quum pandere earum
Incipiam effectus : nunc ne permixta legentem
Confundant, nudis satis est insistere membris.
  Et quoniam toto digestos orbe labores,

priscæ scripturæ, « Non aliast sedes », ut supra : « quæ condita partest ». Ergo : « Non alia est sedes, tempusve genusve medendi Quæ sibi deposcat ». — *Non alia est sedes.* In ea est, quam vulgo electionem vocant : cujus operæ prope ad insaniam studiosi sunt Arabes.

144. B. *Auxilium in vitæ :* sed male nostram lectionem carpit, quæ intelligi bene potest.

149. *Nutus blanditur in omnes.* Melius Gemblacensis : « nutus blanditus in omnes ».

152. *Seu Cererem plenam, vincentemque horrea messem.* Mendosum tinniunt. Gembl. et alterum manuscriptum sequimur : « Seu Cererem, etc. » Ed.

157. *Quum pandere earum,* scilicet Stellarum. Sed utinam comparerent ea.

158. *Incipiam effectus. Pandere incipiam*, archaismus, id est, pandam. Catull. Carm. LXXXI, vs. 2 : « quem tu diligere inciperes », i. e. diligeres. (Vid. in nost. ed. p. 361.) Infra, v. 176 : « Et ne forte vagus Fortunæ quærere sedem Incipias », i. e. quæras.

160. *Et quoniam toto digestos.* Ita interpungit Scal. « Et quoniam toto digestos orbe labores Nominaque in numerum, viresque exegimus omnes (Athla vocant Græci) quæ cuncta negotia rerum In genera et partes bis sex divisa cohærent : Nunc quibus adscendant signis quandoque canendum est ». — *Toto digestos orbe. Orbe*, circulo

Nominaque in numerum, viresque exegimus omnes;
Athla vocant Graii quod cuncta negotia rerum
In genera, et partes bis sex divisa cohærent:
Nunc,quibusadscendant signis quandoqne,canendum est.
Perpetuas neque enim sedes, eademque per omnes
Sidera nascentes retinent: sed tempore mutant,
Nnnc huc, nunc illuc signorum mota per orbem;
Incolumis tamen ut maneat, qui conditus ordo est.
Ergo age, ne falsa variet genitura figura,
Si sua quemque voles revocare ad fata laborem,
Fortunæ perquire locum per sidera cuncta,

Zodiaci; cujus divisione fiunt XII domicilia. Hactenus thema Athlorum. Primus igitur locus est Sors Fortunæ, et continet in se quæ ad opes, agriculturam et œconomiam spectant. Dupliciter Fortuna consideratur. Aut enim circa animum, et vocatur cum adjectione τύχη ἀξιωματική· aut circa corpus, et dicitur κτητική, de qua nunc agimus.

161. *Nominaque in numerum.* Malim *Momina.* Sæpe hæc duo conjungit, momina et vires. Sed quidam dicent excusari posse. Maneat ergo securum in sede sua.

162. *Athla vocant Graii.* Quot Herculis Athla, tot vitæ humanæ adtribuunt. Sunt autem omnia, quæcumque homines facere, aut pati possunt. Apud unicum Manilium rei hujus memoria servata; ne miremur hactenus ignoratam fuisse.

163. B. *divisa coercent.* Certe apud Scal. solœca est oratio: « illi enim: Athla vocant Graii: quæ cuncta ... cohærent ». Intellige autem: Athla, ex XII laboribus Herculis, quia hæc loca coercent, continent, complectuntur omnia negotia sub sedibus duodecim.

164. *Nunc quibus adscendant signis quandoque canendum est. Quibus quandoque, Quod quandoque* Manilianum. Infra: « Quod quandoque vadis emissum redditur orbi ». De quo genere loquendi supra monuimus.

165. *Perpetuas neque enim sedes.* Satis supra idem inculcarat: « Non ut in æterna cæli statione maneant ». — B. *eademve*, ex vett. quatuor.

166. *Sed tempora mutant.* Scribe, « sed tempore mutant ». Jam dixit in illis: « sed tempore sedes Nascentum acciperent varias ».

168. *Incolumis tamen ut maneat.* Sufficiebat, quod dixerat supra: « Nec tamen incerto confunderet omnia motu ». Quamvis, inquit, ambulatoria sunt, tamen salvo ordine variant. Sequuntur enim ducem Sortem Fortunæ, qui, ut toties diximus, alter Horoscopus est.

169. Olim, *ne falsa varia.* Scribo, *ne falsa variet.*

170. *Si sua quemque voles revocare ad fata laborem.* Ut extremo

Quæ primo pars est numero sic dicta sub Athlis.
Qui tibi quum fuerit certa ratione repertus,
Cætera prædicto subeuntibus ordine signis
Conjunges, teneant proprias ut singula sedes.
Et ne forte vagus Fortunæ quærere sedem

priore libro, invento Horoscopo, domus duodecim instituere docuit: sic in hoc, invento loco Fortunæ, quomodo XII Athla collocanda sint, et quid quæque sedes, sive domicilium cujusque Athli significet, indicabit. Unde constare potest quam falsi sint duo illustres viri, Picus Mirandula, et Johannes de Rojas Hispanus, quibus hæc Athla Maniliana nihil aliud esse videntur, quam thema genituræ, quæ longe inter se differunt; quum prima sedes themati genituræ adsignata sit Horoscopus: prima sedes autem inter Athla sit sors Fortunæ, qui est alter Horoscopus Athlorum. Quia igitur omnes docti, ut video, ignoratione Athlorum, rei antiquissimæ, hunc locum Manilii non adsequuntur, nos quemadmodum primi doctrinam Athlorum ab oblivione vindicavimus, ita ejus thema infra subjecimus cum Dodecatopo genituræ, ut lectores manifestum utriusque rei discrimen animadvertere possint. Vid. Scal. ad h. l. Inscitiam Bonincontrii, qui hic putat de themate genituræ agi, excusat error illorum duorum summorum virorum, de quibus jam mentio a nobis facta. — B. *Si sua quemque voles revocare ad signa*, i. e. si quemque *laborem* voles revocare ad sua signa. Omnes codices ita habent; et Scal. nihil in notis, unde illum mutasse consulto putes. Ed.

172. *Quæ primo pars est numerosis dicta sub Athlis*. Parvo discrimine legendum: « Quæ primo pars est numero sic dicta sub Athlis ». Quæ, inquit, pars ita cognominata, nempe *pars Fortunæ*, vel, quod idem est, *sors Fortunæ* est primo numero sub Athlorum Dodecatopo. — *Quæ primo pars est numero sic dicta sub Athlis*. Primo igitur investiganda sors Fortunæ: quo invento, cætera disponenda, ut in themate genituræ fit. Ex his videmus, tempore Manilii majorem rationem fuisse thematis Athlorum quam genituræ: et quidem thema genituræ ad Sortem Fortunæ indagandam, thema autem Sortis Fortunæ ad apotelesmata institui solitum. Quod accurate notandum.

174. *Cætera prædicto*. Aperte jubet thema Athlorum a Sorte Fortunæ numerare, ac novum thema instituere. Neque profecto aliter sensit Ptolemæus. Nam sane prima sedes, quæ est Sors Fortunæ, apud Manilium continet « Fundamenta domus, domnique hærentis cuncta». Aperte æqualem modum instituendi thematis intelligit, a simili parte, ad similem. Nam nullum alium novit Manilius, neque pleraque omnis vetustas.

176. *Et ne forte vagus naturæ*. Res ipsa cogit legere « Fortunæ quærere sedem ». Sic supra: « In quibus omnis erit naturæ condita

Incipias, duplicem certa ratione capesse.
Quum tibi, nascentis percepto tempore, forma
Constiterit cæli, stellis ad signa locatis,
Transverso Phœbus si cardine celsior ibit,
Qui tenet exortum, vel qui demergit in undas,
Per tempus licet adfirmes natum esse diei.
At si subjectis senis fulgebit in astris
Inferior dextra lævaque tenentibus orbem
Cardinibus, noctis fuerit per tempora natus.
Hæc tibi quum fuerint certo discrimine nota,
Tunc si forte dies nascentem exceperit alma,

summa'», perperam legi *naturæ* pro *fortunæ* tam ratio, quam vetus codex docet. *Quærere incipias*, archaismus, id est, quæras.

177. *Duplicem certa ratione capesse.* Duplex Sors Fortunæ, diurna et nocturna : quod et ex verbis Petosiridis et Necepso, quæ infra producemus, patebit. Vide infra ad vs. 187.—B. *duplici certam*, clarius.

178. *Percepto tempore forma Constiterit.* Nascentis forma, Horoscopus.

179. *Cæli stellis ad signa locatis.* Instituto themate. Thema est positus stellarum, et constellatio geniturae. Glossæ, θέμα ἀνθρώπου, constellatio. Suetonius: «Tantam mox fiduciam fati habuit, ut thema suum vulgaverit». Inde figura geneseos dicitur etiam thema.

180. *Transverso Phœbus.* Si Sol erit in supremo hemisphærio, ab oriente per meridiem, ad occidentem, erit diurna genitura : sin ab occidente, per imum cælum, ad orientem, erit in infimo hemisphærio, et proinde erit nocturna genitura.

183. B. *Phœbus fulgebit*, quia *subjectis senis* durum est. Ed.

187. *Tunc si forte dies.* In diurna genitura hoc modo progredere. A Sole ad Lunam per signa consequentia numera. Eas partes abjice ab Horoscopo, id est, numera per signa consequentia, initio facto ab Horoscopo. Hoc enim Manilius vocat *deducere*, et Græci ἐκβάλλειν. In quo te destituet numerus, ibi erit Sors Fortunæ. Adscendat 17, 4' Tauri. Locus Lunæ sit in 13, 6' Cancri, Solis in 4, 9' Capricorni. Distantia Solis a Luna per signa consequentia, grad. 188, 57', quam si ab Horoscopo numeravero, numerus destituet me in 26, 1' Scorpii. Itaque grad. 26, 1' Scorpii est locus Sortis Fortunæ. Petosiris et Necepso docent : «Numerandos dies a Sole ad Lunam, et partes æquales ab Horoscopo per signorum consequentiam detrahendas». Recentiores Magistri faciliorem viam insistunt. Locum Solis a loco Lunæ detrahunt. Reliquum est distantia Solis a Luna : quæ distantia ad Horoscopum adjecta desinit in loco

A Sole ad Lunam numerabis in ordine partes
Signorum : ortivo totidem de cardine duces,
Quem bene partitis memorant Horoscopon astris.
In quodcumque igitur numerus pervenerit astrum,
Hoc da Fortunæ : junges tum cætera signis
Athla suis, certo subeuntibus ordine cunctis.
At quum obducta nigris nox orbem texerit alis,
Si quis erit, qui tum materna excesserit alvo,
Verte vias, sicut naturæ vertitur ordo.
Consule tum Phœben imitantem lumina fratris
Semper, et in proprio regnantem tempore noctis.
Quoque ab ea Phœbus partes et signa recedit,

Sortis Fortunæ. In nostro exemplo : Locus Lunæ, grad. 103, 6' ; Solis, 274, 9'. Abjicio locum Solis a loco Lunæ, a commodato asse circuli. Relinquuntur grad. 188, 57', distantia Solis a Luna, ut antea.

188. *A Sole ad Lunam*, scil. per consequentiam signorum. Hoc enim addiderunt Theoremati Petosiris et Necepso.

189. *Ortivo totidem de cardine duces*. Abjicies ab Horoscopo secundum signa consequentia, infra horizontem imum cælum versus. In nostro exemplo distantia Solis a Luna gradus 188, 57'. Is arcus ab Horoscopo per signorum consequentiam putatus desinit in gradu 26, 1' Scorpii. Ibi est Sors Fortunæ. Itaque Sors Fortunæ est veluti Lunaris Horoscopus, ut scribit Ptolemæus.

190. B. *Horoscopon Athlis*, quod ita probo, ut in textum fere admiserim ; sed in *astris* conspirant codd.

192. *Junges tum cætera signis*. Cætera signa sequuntur ordine Sortem Fortunæ, tamquam Horoscopum. Tauro primam sedem obtinente, secundam habebunt Gemini. In exemplo nostro Sors Fortunæ cecidit in 26, 1' Scorpii. Igitur in positura Athlorum prima domus incipiet a 26, 1' Scorpii. Secunda 26, 1' Sagittarii. Tertia 26, 1' Capricorni, et ita deinceps secundum æqualem distributionem, quam faciebant Veteres illi, ut supra copiose demonstravimus.

194. *At quum obducta nigris*. Mirum hunc versiculum longe aliter concipi in textu Bonincontrii : « At quum subfectis orbem nox tinxerit aliis ». — *At quum obducta nigris*. Aliud exemplum. Duas enim Sortes Fortunæ dixit, diurnam et nocturnam. Vid. sup. vs. 177. Quomodo in diurna genitura consequeris Sortem Fortunæ, docuit. Nunc docet in nocturna genitura quomodo habeas.

195. *Qui tum materna excesserit* (alii *cesserit*) *alvo*. Τροπὴν excessum ab alvo vocant magistri artis.

196. *Verte vias*, etc. Quod igitur illi Ægyptii dicunt ἀνάπαλιν, hoc

Tot numerare jubet fulgens Horoscopus a se.
Hunc Fortuna locum teneat subeuntibus Athlis
Ordine naturæ, sicut sunt cuncta locata.
Forsitan et quæras agili rem corde notandam,

Manilius dicit *Verte vias*, i. e. ordine contrario procedere jubet. In diurna genitura sumebatur distantia Solis a Luna. In nocturna contra sumitur distantia Lunæ a Sole. In diurna genitura rejiciebatur ab Horoscopo in consequentia. Recte igitur ἀνάπαλιν, et *Verte vias*. Esto igitur 561 in 21, 49' Leonis. Luna in 26, 31' Virginis. Horoscopus in 1, 0' Leonis. Distantia Lunæ a Sole 325, 18', quæ detracta de Horoscopo, hoc est, in antecedentis signorum putata relinquit gradus 155, 42', h. e. 5, 42' Virginis. Ex hoc fortasse mansverit character vulgaris Sortis Fortunæ, qui figura circuli in quatuor partes secti designatur, nisi sit thema ipsum Athlorum in quatuor cardines sectum; vel, quod omnino verum puto, quia sortes omnes ligneæ, vel eburneæ, ita scalperentur.

200. *Tot numerare jubet fulgens Horoscopus a se.* In signa antecedentia, non in consequentia. Nam Manilius domus quidem ipsas primam, secundam, tertiam secundum signa consequentia vocat, ut vulgus solet. Sed tamen ordinem domorum eum esse censet, non qui a numero secundum signorum consequentiam, sed qui a motu cæli censetur, secundum antecedentia: quod in significationibus Dodecatopi geniture in fine superioris libri: item in Dodecatopo Athlorum, non semel profitetur. In diurna igitur genitura Manilius jubet distantiam Solis a Luna putari: nocturna autem distantiam Lunæ a Sole. Atqui idem est. Quid enim interest distantiam Solis a Luna per signa consequentia sumptam ab Horoscopo in consequentia numerare, aut distantiam Lunæ a Sole per antecedentia, ab Horoscopo in antecedentia quoque putare, si eadem res, methodus diversa? Itaque frustra sunt Petosiris et Necepso, qui rem diversam putarunt, et Manilium nostrum fugit ratio, qui diversas Sortes Fortunæ censet, nocturnam et diurnam. Sat enim est tam in nocturna, quam diurna genitura loco Solis detracto a loco Lunæ, reliquum ab Horoscopo in consequentia numerare. Ergo Ptolemæus optimo jure diurnam et nocturnam eamdem esse Sortem Fortunæ dicit, atque una tantum methodo indagandum. Non enim duæ sunt Fortunæ Sortes, ut ridicule vult Noster, sed duæ methodi unius Sortis hujus requirendæ, quæ eodem recidunt.

201. *Hunc Fortuna locum teneat.* *Fortuna* Sors Fortunæ. Prima sedes, inquit, detur Sorti Fortunæ. Cætera sedes cæteris Athlis secundum ordinem signorum. Vides manifesto æqualem modum intelligi. Idem supra: « Cætera prædicto subeuntibus ordine signis Conjunges, teneant propriis ut singula sedes ».

203. *Forsitan et quæras.* Neque Athla sine Sorte Fortunæ, neque Sors Fortunæ sine Horoscopo inda-

Qua ratione queas a tali tempore nati
Exprimere immenso surgentem Horoscopon orbe.
Quod nisi subtili visum ratione tenetur,
Fundamenta ruunt artis, nec consonat ordo:
Cardinibus quoniam falsis, qui cuncta gubernant,

gari potest. Nam Athlorum Sors Fortunæ, et Sortis Fortunæ Horoscopus dux est. Necessario igitur prius Horoscopus habendus, deinde Sors Fortunæ, quæ sine eo frustra indagatur.

204. *Qua ratione queas natalis.* Ineptissime, ut et cæco paret. Felicissime olim nobis succurrit legere: « Qua ratione queas a tali tempore nati Exprimere immerso surgentem Horoscopon orbe ». Quo nihil verius excogitari potuit. *A tali tempore*, scil. ex tempore dato. Sic infra ad eumdem modum, ad eamdem sententiam : « variosque referre Sub tali regione dica », i. e. in dato climate. Auson. Ep. LXXVI, 6 : « Et quidquid vocum bellua talis habet », id est, τὸ δεῖνα θηρίον. Innuit quoque Scalig. legendum *a talis*. Ephodus ad Horoscopum indagandum.

205. *Exprimere immenso.* Lege *immerso*, quia sequitur *surgentem*. *Immensum orbem* adserit F. ob vs. 215 : « ac tantæ molis minimum deprendere punctum ». Ed.

206. *Quod nisi sub stellis visus ratione tenetur.* Ita habent manuscripti duo Gemblacensis, et alter, item textus Bonincontrii. Solennis error veterum librariorum *substelis* pro *subtilis*. Sciunt hoc qui veteres libros triverunt. Itaque olim non absurde legebamus : « Quod nisi subtilis visus ratione tuetur ». Quod sane rejici non poterat, nisi Gemblacensis partim juvaret, partim reclamaret. Ibi enim conceptum est : « Quod nisi substellis visum ratione tenetur ». Itaque minimum laborem reliquit ad verum eruendum. Legendum enim : « Quod nisi subtili visum ratione tenetur, Fundamenta ruunt artis, nec consonat ordo ». Ita vetus conjectura nostra adjuta nec codicis Gemblacensis veram sententiam hujus loci restituit. Quam ineptum sit sub stellis Horoscopum indagare, sciunt qui sine risu hæc audire non possent. Quod, inquit, visum et consideratum subtili ratione nisi tenetur, fundamenta ruunt artis.

207. *Fundamenta ruunt artis.* Quid enim Horoscopus aliud, quam fundamentum? Immo, ut diximus, βάσις καὶ πρωτοςάσιον a Paullo Alexandrino vocatur. Corruente igitur artis fundamento, artem quoque ipsam corruere necesse. Græci aiebant omnium principium et radicem Horoscopum esse : quo falso, omnia falsa : recto autem, omnia necessario vera esse : quæ quid aliud quam Manilium interpretantur?

208. *Cardinibus quoniam falsis.* Falsos cardines, hoc est, fallaces vocat, nimirum propter mobilitatem. Nam τὸ *falsum* hoc significat apud hunc Nostrum, ut : « falsi fallacia mundi »; quemadmodum versu seq. mundum *mentiri faciem* dixit. Neque tantum ob mobilita-

Mentitur faciem mundus, nec constat origo,
Flexaque momento variantur sidera templi.
Sed quanta effectu res est, tam plena laboris,
Cursibus æternis mundum per signa volantem,
Ut totum lustret curvatis arcubus orbem,
Exprimere, et vultus ejus componere certos,
Ac tantæ molis minimum deprendere punctum :
Quæ pars exortum, vel quæ fastigia mundi
Aut ferat occasus, aut imo sederit orbe.
Nec me vulgatæ rationis præterit ordo,

tem falsos vocat ; sed etiam quia fere semper inæquales, ut supra notavimus. Nam circulus magnus per punctum Eclipticæ transiens et Meridianum ad angulos rectos in polo mundi secans inæquales tetrantes Zodiaci facit nunc majores xc graduum, nunc minores. — *Qui cuncta gubernant.* Invento Horoscopo tamdiu Sphæram solidam volvebant, quoad punctum Eclipticæ datum ortivo horizonti admoverent. Unde fiebat, ut circulus magnus, qui ad polos mundi Meridianum ad rectos angulos secat ad contactum ortivi horizontis tetrantes, ut dixi, quatuor faceret cum Meridiano. Illi quadrantes Manilio dicuntur gubernare cuncta, quia ex eorum intervallis octotopus exornatur.

209. *Mentitur faciem. Mentitur*, variat.

213. *Ut totum lustret curvatis arcubus orbem, Exprimere.* Curvatos arcus circulos solares parallelos intelligit.

214. *Exprimere, et vultus*, etc. *Exprimere* etiam in eamdem sententiam sup. v. 204 : « Qua ratione queas a tali tempore nati Exprimere immenso surgentem Horoscopon orbe ». Textus Bonincontrii : « Exprimet et vultus ». Sunt vestigia priscæ scripturæ in archetypo, ex quo propagata sunt ista, quæ exstant hodie inferioris notæ et mendosissima exemplaria. Nam in archetypo scriptum erat « Exprimeret cultus », ut supra « partest », et alibi « Et Capitex uno ».

215. *Deprendere punctum.* Gembl. habet *comprendere*, quod sequitur Bentl. Ed.

217. *Aut ferat*, etc. Libri vett. *Auferat*, unus *Aufferat;* omnes *orbem*. B. reponit *Aut seros obitus*, *aut imum obsederit orbem*. Ed.

218. *Nec me vulgatæ.* Circulus ille magnus cum Meridiano Zodiacum in quatuor partes inæquales dividit, nisi Horoscopus in alterutrum punctum æquinoctiorum aut tropicorum inciderit. Atque adeo invento Horoscopo non admodum difficile illos tetrantes constituere. Signorum vero anaphorica tempora colligere, hic vero labor est. Non placet, inquit Noster, hæc vulgata methodus, quæ binas horas signis adscendentibus adtribuit. Tricenarum, inquiebant, partium est

Quæ binas tribuit signis surgentibus horas,
Et paribus spatiis æqualia digerit astra :
Ut parte ex illa, qua Phœbi cœperit orbis,
Discedat numerus, summamque adcommodet astris,
Donec perveniat nascentis tempus ad ipsum :
Atque ubi substiterit, signum dicatur oriri.
Sed jacet obliquo signorum circulus orbe,

signum. Quinæ denæ horam constituunt. Ergo unum signum constans bis quinis denis gradibus binarum horarum est. Hinc illi partes, quæ in Zodiaco accipiendæ sunt, confundentes cum temporibus Æquinoctialis, in CCCLX partes sectus est circulus Zodiacus : in totidem χρόνους Æquinoctialis : illæ sunt mensura adscensionum. Isti mensura horarum : XV enim χρόνοι horam constituunt. Sed horum opinio locum habuerit, siquidem signorum adscensiones æquales essent. Nunc vero sunt inæquales, aliæ plurium, aliæ pauciorum, quam triginta graduum. In hac Lugdunensi Batavorum inclyta urbe Aries cum Piscibus adscendit graduum 12, 48'; Taurus cum Aquario grad. 16, 54'; Gemini cum Capricorno 26, 29'; Cancer cum Sagittario 37, 8'; Leo cum Scorpione 42, 54'; Virgo cum Libra 43, 0'. Non igitur sunt tricenarum partium, et consequenter neque binarum horarum, atque id quidem, quatenus Dodecatemoria considerantur, non quatenus ζώδια κατηστερισμένα. Tunc enim longe magis discrepabunt. Quædam enim κατηστερισμένα minora sunt, quam Dodecatemorion : ut verbi gratia, Cancer ne tertiam quidem partem obtinet Dodecatemorii. Virgo autem vindicat portionem de Leone et Chelis. Piscium denique australis totus propemodum in Dodecatemorio Aquarii situs est. Scorpio duo Dodecatemoria occupat.

220. *Et paribus spatiis.* Inæquales sunt eorum adscensiones. Ergo etiam inæqualia. Quomodo igitur paribus spatiis?

221. *Ut parte ex illa.* Locus Solis esto 13, 25' Libræ. Natus est aliquis de die, hora VII absoluta. Horarum numerus III signa cum semisse, hoc est, partes CV. Eas ego numero consequenter a 13, 25' Libræ. Numerus consistit in 28, 25' Capricorni. Ita colligebant illi. Neque alia Ærusscatorum illorum Chaldæorum Horoscopi indagandi methodus erat. — *Ut parte ex illa.* A loco Solis detrahebant horarias illas partes, seu tempora. Ubi summa consistebat, ibi Horoscopum sistebant. Hæc quamquam puerilia, tamen non adsequitur Bonincontrius, et valde ridiculus est.

222. *Summamque adcommodet astris.* Quot signa ab ortu Solis ad tempus genituræ adscenderint, tot binas horas distribuunt. Ista non capit bonus Bonincontrius.

225. *Sed jacet obliquo.* Τὸ *jacet* etiam pertinet ad obliquitatem Zodiaci. Inf. 230 : « Quam brevis illa jacet, tam longus circulus hic est ». Item, 345 : « Quod quamquam per

Atque alia inflexis oriuntur sidera membris :
Ast illis magis est rectus surgentibus ordo,
Ut propius nobis aliquod, vel longius astrum est.
Vix finit luces Cancer, vix bruma reducit.
Quam brevis illa jacet, tam longus circulus hic est.
Libra Ariesque parem reddunt noctemque diemque.
Sic media extremis pugnant, extremaque summis.
Nec nocturna minus variant, quam tempora lucis :
Sed tantum adversis idem stat mensibus ordo.
In tam dissimili spatio, variisque dierum
Umbrarumque modis, quis possit credere, in auras

tres signorum circulus arcus Obliquus jaceat ». Adscensiones rectæ et obliquæ dupliciter intelliguntur : prout sphæra recta aut inclinata est. In sphæra recta ortus omnium signorum improprie recti dicuntur, quum quatuor tantum in ea oriantur recte, nimirum quæ ambo puncta tropica æqualiter interjacent, Gemini, Cancer, Sagittarius, Capricornus. Reliqua oblique oriuntur. De hoc sphæræ situ non intelligit Manilius. Is enim situs proprius est eorum qui sub æquinoctiali habitant. Superest igitur, ut de inclinata sphæra intelligatur : in qua sex recte adscendunt, sex oblique. A principio Cancri, ad principium Capricorni, recte omnia adscendunt : oblique autem a principio Capricorni ad principium Cancri. Hæc satis nota et tironibus ex elementis sphæricis. Quæ oblique adscendunt, minus habent de arcu æquatoris : quæ plus habent de arcu æquatoris, recte oriuntur. Ita alia signa sunt minora binarum horarum æquinoctialium, alia majora. Falsa igitur ratio, quæ paribus spatiis æqualia digerit astra.

227. *Ut propius nobis.* Pront nobis signa sunt propinquiora, aut remotiora, eo oblique magis, aut recte magis oriri. Cancrum remotiorem, Capricornum terræ propiorem. Ideo tardiores adscensiones a Cancro ad Capricornum, et contra.

230. *Quam brevis illa jacet.* Et digito ostendit, a Brumæ puncto, ad punctum Solstitii, obliqua computari : a puncto Solstitii ad Brumam, recta. Codex Ven. et B. ex illo : *quam brevis ille. — Tam longus circulus hic est. Circulus*, id est, semicirculus, arcus, ut vulgo loquuntur, est inferior semicirculus, qui est recte orientium. Alter semicirculus est superior, qui est oblique orientium.

232. B. habet *postremaque primis.*

233. *Nec nocturna minus.* Nec minores sunt noctium, quam dierum variantiæ, immo æquales, sed in diversis signis.

234. *Sed tamen adversis.* Gembl. *Sed tantum adversis.* Et sic B. longe melius, et sententiæ Manilii convenientius. Nam adversis mensibus, id est, septenis quibusque mensibus tenorem eumdem alternæ die-

Omnia signa pari mundi sub lege meare?
Adde quod incerta est horæ mensura, neque ullam
Altera par sequitur : sed sicut summa dierum
Vertitur, et partes surgunt, rursusque recedunt:
Quum tamen in quocumque dies deducitur astro,
Sex habeat supra terras, sex signa sub illis.
Quo fit, ut in binas non possint omnia nasci,
Quum spatium non sit tantum pugnantibus horis,
Si modo bissenæ servantur luce sub omni,
Quem numerum debet ratio, sed non capit usus.

rum et noctium diversitatis constare ait. Cancri dies longissimæ : adversi vero signi sive Capricorni noctes pari mensura. Jam clara omnia.

237. *Pari sub lege manere. Manere in auras* barbarum est. Opus est enim non quietis, sed motus verbo, ut loquuntur Grammatici. Sed omnino scripsit Manilius : *sub lege meare*. Etiam alibi *manent* pro *meant* legebatur. Meare in auras, est oriri. Lucanus de signorum ortu : « Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit Rectior ». Quis inquit, possit credere, pares adscensiones esse, quum jam probaverim alia longo, alia brevi tempore efferri.

238. *Adde quod incerta est*. Si dies sunt incerti, et diurnæ quoque duodecimæ sunt incertæ. Hora est duodecima diurna. Ergo horæ diurnæ sunt incertæ. De noctibus idem concludas licet. Dierum magnitudo incerta est. Ergo senum signorum adscensionales mensuræ inæquales. Recte. Rursus aliud argumentum. Horarum sunt magnitudines incertæ. Ergo adscensiones non semper binarum horarum esse possunt. Separat hoc argumentum, quod pendet a priore.

239. B. *Altera pars*. Sic inf. v. 532 : « Horaque non ulli similis producitur horæ ». Mirum quidem videtur si nullam horam altera pars horæ sequitur.

244. *Quum spatium non sit tantum*. Quum omnibus non sit tantum spatium, ut eorum adscensio binas horas compenset. Pugnantes horas etiam infra dixit, v. 264 : « Donec ad ardentis pugnarunt sidera Cancri ». — B. pro *pugnantibus* habet *brumalibus*, quia hæ breviores sunt.

245. *Si modo*. Τὸ *modo* abundat, ut τὸ *tamen* apud Horat. Carm. I, III, 23 : « Si tamen impiæ Non tangenda rates transiliunt vada ».

246. *Quem numerum debet ratio, sed non capit usus*. Si non est mendum in hac lectione, hæc horum verborum mens fuerit : Ratio, inquit, postulabat, ut singula signa essent binarum horarum : sed experientia aliter docet. Ratio colligit, si signum est tricenarum partium, hora quinarum denarum, sequi necessario, ut signum sit binarum horarum. Hæc recte colliguntur. Sed usus docet, non se-

Nec tibi constabunt aliter vestigia veri,
Ni lucem noctemque pares dimensus in horas,
In quantum vario pateant sub tempore noris,
Regulaque exacta primum formetur in hora,
Quæ signetque diem sedes, perpendat et umbras.
Hæc erit in Libra, quum lucem vincere noctes
Incipiunt, vel quum medio concedere vere.
Tunc etenim solum bis senas tempora in horas

cundum longitudinem Zodiaci tempora putanda, sed secundum adscensiones signorum.

247. *Nec tibi constabunt.* Vid. n. ad v. 328. Mox v. 475 jubebit : « Principio capienda tibi est mensura diei, Quam minimam Capricornus agit ». Quam viam insistes? Non aliter potes, nisi prius indagaveris diem ipsum æquinoctii : et cur non potius præcipit indagare diem brumæ, a qua incipit et dierum incrementum, et incrementorum diurnorum consideratio? quia observationes brumæ aut solstitii non sunt tutæ propter longum Solis transitum, qui per quadraginta fere dies videtur in punctis tropicis immorari, ut testatur Geminus, quum revera non moretur, sed ita nobis videatur. Propterea observatio alterutrius, vel utriusque æquinoctii tutior, quam vel solstitii, vel brumæ. Nam observato æquinoctio utroque tunc facile incrementorum excessus colligitur, qui a bruma ad æquinoctium distribuitur eo, quo supra inceptum est, modo : quamquam falsa sunt illa incrementa : quæ neque veris arcubus diurnis conveniunt, neque iis, quas methodus Maniliana colligit, adscensionibus.

250. *Regulaque exacta.* Gnomonicis rationibus investigationem faciendam præcipit. Regulam vocat, ut Græci canonem horarium. — Alii, *exactas... in horas.*

251. *Quæ segnemque diem.* Gembl. *Quæ signemque diem.* Munit viam ad veram lectionem. Trajectio : quæ sedes signet diem, et perpendat umbras. — B. habet : « Quæ sub lance dies æqua perpendat et umbras », ex conjectura.

252. *Hæc erit in Libra.* Horologium æquinoctiale. Sic Vitruvius : « In quibuscumque locis horologia erunt describenda, eo loci sumenda est æquinoctialis umbra ». Horologii nomen posterius est. Prius enim polus dicebatur, quod postea horologium. Vid. Athen. lib. V; Aristoph. et Herodot. lib. II. Erantque prius horologia brumalia, ut Romæ. Primus omnium æstivum horologium in Pnyce statuit Meton. Erant autem tam nocturna, quam diurna in usu jam tempore Menandri; cujus lepida verba exstant de quodam invitato ad cœnam hora XII, ex fabula, cui titulus ὀργή. Nam quum invitatus esset tunc adesse, quando ad duodecimum pedem porrigitur umbra, ipse experrectus noctu plenilunio, et clarissimo lumine, putavit non solum diem esse, sed duodecimam horam diei confectam, conspecta umbra in duodecima li-

Æqua patent, medio quod currit Phœbus Olympo.
Hic quum per gelidas hiemes submotus in Austros
Fulget in octava Capricorni parte biformis,
Tunc angusta dies vernales fertur in horas
Dimidiam atque novem : sed nox oblita diei
Bis septem, adposita, numerus ne claudicet, hora
Dimidia : sic in duodenas exit utrimque,
Et redit in solidum naturæ condita summa.
Inde cadunt noctes, surguntque in tempora luces,
Donec ad ardentis pugnarunt sidera Cancri.
Atque ibi conversis vicibus mutantur in horas
Brumales : noctemque dies, lucemque tenebræ
Hibernam referunt : alternaque tempora vincunt,
Nunc huc, nunc illuc gradibus per sidera certis
Impulsæ : quarum ratio manifesta per artem

nea : quod plane plenilunio accidit.

255. *Medio quum currit Phœbus Olympo.* Repone ex Gemblac. *quod currit.* Medium Olympum vocat Æquinoctialem in duo æqualia hemisphæria Mundum dividentem.

258. *Vernales vertit in horas. Vertit* vertitur Propert. Sed Gemblacensis habet : *fertur in horas.*

259. *Sed nox oblita diei.* Quatenus nox detrahit diei, videtur ab eo dici oblivisci diei, *oblita diei.* Sed nox oblita diei, ne summa claudicet, compensat quod die defuerit. Diurno de asse circuli deducto, remanet arcus nocturnus, et contra. In exemplo Manilii proposito, arcu nocturno 9, de solida conversione horarum 24 detracto, remanet arcus diurnus horarum 15.

261. *Sic in duodenas exit utrimque.* Singuli arcus numquam duodenas horas æquinoctiales restituere possunt, nisi tempore æquinoctii. Alias aut plurium, aut pauciorum horarum sunt. Sed uterque arcus conjunctus est semper bis duodenarum horarum. Hoc est, quod vult. Non leviter autem mirati sumus in Kalendario rustico Romano quod est in ædibus Vallensibus per omnes menses noctem cum die compositam constare horis XIV, non XXIV. In Januario *dies hor.* VIII, s. *Nox hor.* XIV, s. quæ simul componunt horas XXV. Sic in mense Martio : *dies hor.* XII, s. *nox hor.* XII, s. Ergo dies cum nocte est horarum XXV. Sic per omnes menses. Et tamen nullus antiquarius hæc monuit.—*Donec ad ardentis pugnarunt.* Alii, *pugnarint.* Pugnare est vicissim mutari. Jam indicavimus.

269. *Quarum ratio manifesta per artem Collecta est.* Quarum diversitatum ratio collecta est per artem supra a nobis traditam, et exemplo illustratam.

Collecta est, venietque suo per carmina textu.
Atque hæc est illas demum mensura per oras,
Quas rigat æstivis gravidus torrentibus amnis
Nilus, et erumpens imitatur sidera mundi
Per septem fauces, atque ora fugantia pontum.
Nunc age quot stadiis, et quanto tempore surgant
Sidera, quotque cadant, animo cognosce sagaci,
Ne magna brevibus careant compendia dictis.
Nobile Lanigeri sidus, quod cuncta sequuntur,
Dena quater stadia exoriens, duplicataque ducit,
Quum cadit : atque horam surgens ejusque trientem

270. *Venietque suo per carmina textu.* Statim subjiciet. Intelligit enim exemplum horarum adscensionalium cum stadiasmis : de quibus mox. Ex illo enim exemplo colligitur horarum et temporum variantia.

271. B. *Atque hæc Niliacas demum est.* Sed vid. Excursus I ad calcem hujus libri. Ed.

273. *Imitatur sidera Mundi.* Septem planetas.

275. *Nunc age quot stadiis.* Supra in doctrina temporum adscensionalium docuit quot surgant in quoquo loco cedantque per horas signa : hic vero ejus doctrinæ unicum adfert exemplum. Et quemadmodum ibi doctrinæ horarum adscensionalium subjecit doctrinam stadiasmi, quæ eadem est, ita etiam hic uni exemplo horarum Cnidii tractus subjicit exemplum stadiasmi ejusdem tractus. Neutrum enim est Ægyptiaci soli, quod ipse putat, sed Cnidii. Nam hora maxima, quam nunc retulit, ad minimam, eam rationem habet, quam 19 ad 29, ea enim est ratio 14, 30', ad 9, 30'. Est autem in stadiasmi exemplo ratio maximæ diei ad minimam, quæ trium ad duo. Sic fere est 29 ad 19. Nam sunt pæne 30 ad 20. Quare idem est. In exemplo horario dies maxima est horarum 14, 30'. Hic vero est, 14, 24'. Neque tam exacta harum rerum fides ab hoc auctore exigenda est. Sic etiam Firmicus, loco supra a nobis adducto, Ægypti climati, et Babylonio maximam diem ex ratione adscensionum hor. 14, 24' assignat.

276. *Sidera quoque cadant.* Scribe *quotque cadant :* quot stadia. Infra, 413 : « Quot surgant in quoque loco cedantque per horas ».

277. *Ne magna in brevibus* Tollo τὸ *in*. *Ne magna brevibus.* Positio syllabæ committitur in sequenti. Sup. II, 338: « Quæque loca triplici signarit linea ductu ». Compendia ne careant brevibus dictis. Hoc est, quod superius dixerat: « Ut brevia in longo compendia carmine præstem ». Sed Bentl. versus scaber et sensus perversus videtur. Reponit : « Ne magna in brevibus pereant compendia dictis ».

279. Vid. Excursus II ad calcem hujus libri. Ed.

Occupat : occiduus geminat : quum cætera signa
Octonis crescunt stadiis orientia in orbem,
Et totidem amittunt gelidas vergentia in umbras.
Hora novo crescit per singula signa quadrante:
Tertiaque in quartas partes inducitur ejus.
Hæc sunt ad Libræ sidus surgentibus astris
Incrementa : pari momento damna trahuntur,
Quum subeunt orbem, rursusque a sidere Libræ

281. *Quum cætera signis Octonis crescunt stadiis.* Alii dicerent *quum crescant.* Sed probum est *quum crescunt.* Ennius : « quum volito vivn' per ora virum ».

283. *Et totidem amittunt.* Adscensionibus accedunt octona stadia : occasibus decedunt. Patet ex diagrammate. — *Gelidasque rigentia.* Legendum baud dubie *vergentia in umbras.* Gelidum solet vocare, quod Solis aut stellarum lumine privatum est. In lib. I, 652 : « Et gelidum extremo lumen sentimus ab igue ». H. e. languens a luce. Sic frigidum est obscurum, I, 416 : « Frigida cæruleo contorquet lumina vultu ».

285. *Tertiaque in quarta parte si ducitur ejus.* In Gemblacensi nihilo sanior est locus : « in quarta parte sic ducitur ejus ». Sed non magnæ molis est veram lectionem ex illis vestigiis odorari : « Tertiaque in quartas partes inducitur ejus ». Quadrans boræ, inquit, accedit reliquis quinque adscensionibus, et præter quadrantem illum, tertia pars ejus quadrantis inducitur in quartas, id est, in quadrantes ipsos. Nam quadrans boræ sunt xv scrupula : tertia pars quadrantis quinque scrupula : quæ in singulas quartas in sequentibus erogantur. Ergo quum scrupula singula accedant singulis quartis, sive quadrantibus, jam non quadrans erit, id est, xv scrupula, sed xvi, excessus accrescens singulis borariis temporibus adscensionum. Obscurus locus antea, nunc, ni fallor, illustratus est. Sed Bonincontrio et bic quoque ignoscimus. Hanc veniam illi impetrarunt ii, qui bæc ignorant, et tamen omnia videri volunt scire. — B. reponit : « Tertiaque in quinas partes pars ducitur ejus », h. e. tertia pars ejus quadrantis in quinas partes dividitur.

288. *Quum subeunt orbem.* Hic τὸ *subire* est occidere. Alioqui in lib. I, vs. 181, subire est adscendere, quod Hispanicum idioma retinuit : « Qua cadat, et subeat cælum, rursusque resurgat ». Plinius lib. II : « Decidunt imbres, nebulæ subeunt ». Inde *subjices nubes*, quia subeunt sublimia, ut exprimant Græcum μετέωρα. Difficile est constituere utram significationem vindicet in illo vs. I, 651 : « Distat enim surgantne eadem, subeantne cadantne ». Nam utrumque et quidem contrarium designare potest. Est enim medium constitutum inter surgere et cadere ; ut alterutrius extremi esse possit. Non est novum in Latinitate ejuscemodi compositorum duas contrarias notiones es-

Ordine mutato, paribus per tempora versa
Momentis redeunt : nam per quot creverat astrum
Lanigeri stadia, aut horas, tot Libra recedit.
Occiduusque Aries spatium tempusque ruendi
Quod tenet, in tantum Chelæ consurgere perstant.
Ejus in exemplum se signa sequentia vertunt.
Hæc ubi constiterint vigilanti condita mente,
Jam facile est, si quod quandoque horoscopet astrum,
Noscere, quum liceat certis surgentia signa
Ducere temporibus, propriisque adscribere in horas
Partibus, ut ratio signis ducatur ab illis,
In quîs Phœbus erit : quorum mihi reddita summa est.

se, ut *immixtum* pro *mixtum in*, et *non mixtum*. Et alia, quæ studiosi adolescentes melius meminerint quam ego. — *Rursusque ad sidera Libræ*. Scribe : « rursusque a sidere Libræ ». Eumdem errorem supra in doctrina horarum castigavimus.

292. Olim editum fuit, *Occiduusque Aries spatium tempusque oriendi*. Quomodo autem convenire possunt hæc duo, *occiduus* et *oriendi?* Contraria enim sunt, tamquam occidere et oriri. Sed Manilius scripsit : « tempusque ruendi Quod dabat ». Ruere diem aut noctem Oceano, solemnis poetarum locutio : « ruit Oceano nox ». Alii eodem sensu legunt, *cadendi*.

293. *In tantum Chelæ quum surgere perstat*. Emendavimus olim : « in tantum Chelæ consurgere perstant ». Adsentitur Gemblacensis. Signa in conjunctione, hoc est, æqualiter a punctis æquinoctialibus distantia, sunt ἰσοανάφορα· hoc est, æquales ortus et obitus habent; quibus scilicet contingit recte oriri, et oblique occidere, aut contra. Virgo et Chelæ, sive Libra æqualiter a punctis æquinoctialibus absunt. Ergo ἰσοανάφορα sunt.

296. *Jam facile est, si quod quandoque. Quod quandoque, quæ quandoque*, Maniliana sunt, redundante τὸ *quandoque*. — B. ait hoc *si* supervacuum esse : reponit *Jam facile est tibi*.

298. Olim *propriasque adscribere in horas*. Lege, « propriisque adscribere in horas Partibus ». Idem alibi plane eademque sententia, inf. 468 : « In nulla fallet regione Horoscopus umquam, Quum poterunt certis numerari singula signa Temporibus parte ex illa, quam Phœbus habebit ».

300. Ante Scal. *In qua Phœbus erit*. Archaismus, *in qua erit*. Ulpianus : « in pubertatem decesserit ». Cicero : « in senatum dixi ». Sed Gemblac. habet *In quos*. Manifesto legendum *In quîs*. — *Quorum mihi reddita summa est*. Quorum signorum anaphorica summa et epilogismus redditus est. Gembl. *quarum*, id est, horarum : utrum melius, delibero. Ex longissima disputatione tandem pervenimus ad

Illa etiam poterit nascens via ducere ad astrum,
Quod quandoque vadis emissum redditur orbi.
Nam quota sit lucis, si luce requiritur, hora,
Adspicies : atque hanc numerum revocabis in ipsum
Multiplicans decies, adjectis insuper eidem

methodum Horoscopi, quo nomine instituta fuit disputatio. Esto igitur aliquis natus in Rhodo insula, Sole initium Geminorum obtinente, hora nona æquinoctiali absoluta. Consule diagramma adscensionum. Ab initio Geminorum ad finem Virginis colliguntur horæ 9, 4'. Respondeo igitur Horoscopum esse in fine Virginis. Hoc est igitur, quod dicit : « quum liceat certis surgentia signa Ducere temporibus ». Ortus Geminorum, Cancri, Leonis et Virginis suis temporibus horariis collegimus, et propriis adscripsimus in horas partibus. Et rationem, sive sententiam, deduximus ex illo signo, in quo Phœbus est, nempe ex Geminis. Quantum igitur hallucinetur Bonincontrius, qui usitato modo Horoscopum apud Manilium venatur, hinc æstimare licet : sed ne alius quidem hactenus hæc odoratus erat. Nos vero omnia infra plene exsequemur, si prius doctrinam totam Manilii præmiserimus.

301. *Illa etiam poterit nascens via ducere ad astrum.* Cæcum esse oportet, qui non videat hæc nunc recte cohærere, quæ tam longo spatio dissita erant : ut in multis locis videres humano capiti cervicem equinam. Non leviter de Manilio et ejus studiosis meriti sumus, qui textum ex tam fœda luxatione in suos artus restituimus. Non deerunt et improbi et invenusti, qui aliter censebunt, aliter deblaterabunt. Duas igitur methodos Horoscopi investigandi proposuit : illam, quam modo periclitati sumus, et hanc, quæ omnibus illius ævi et retro mathematicis vel potius planis in usu fuit, estque ea, quam supra vulgarem vocavit, v. 218 : « Nec me vulgatæ rationis præterit ordo Quæ binas tribuit signis surgentibus horas ». Horas in gradus redactas a loco Solis computabant. Ubi desinebat numerus, ibi erat Horoscopus. Hæc erat illorum Æruscatorum methodus. — *Nascens via ducere ad astrum.* Ita olim emendavimus. Ita etiam habet Gemblacensis. At corrupta vulgatæ editionis lectio, quæ habet *austrum,* decepit bonum Bonincontrium, adeo ut meridionales et australes horas somniarit : quod monstri quid sit, nescio. Nascens astrum esse Horoscopum et pueri dixerint.

303. *Nam quota sit lucis, si luce requiritur, hora, Adspicies.* Aut enim genitura est diurna, aut nocturna. Prius de diurna.

305. *Multiplicans deciesque.* Corrupta hæc ita restituere jubet sententia : « atque hunc numerum revocabis in ipsum Multiplicans decies, adjectis insuper eidem Quinque tamen summis ». Ipsum numerum horarum multiplicabis decies et quinquies. Esto aliquis natus Sole initium Geminorum obtinente, hora inæquali nona absoluta. Multiplicatis horis IX inæqua-

Quinque tamen summis : quia qualicumque sub hora
Ter quinas mundi se tollunt sidera partes.
Hic ubi constiterit numerus, conjungere et illas,
Quæ superent Phœbo partes per signa, memento.
Ex hac tricenas summa per sidera partes
Distribues : primamque vicem, quo Phœbus in astro
Fulserit : hinc aliis, Solem quæcumque sequentur.
Tum quo subsistet numerus consumptus in astro,
Quave in parte suam summam, momenve relinquit,

libus in xv, fiunt gradus 135, quæ sunt signa quatuor, gradus xv, et putata ab initio Geminorum, desinunt in 15 ♎. Ita Horoscopus erit in 15 ♎ Geminorum secundum hanc ridiculam methodum, quæ erat propria illorum Agyrtarum. Sed et Demophilus vetus scriptor, quum de methodo signi seminalis ageret, qui est alter Horoscopus conceptionis, ut ille alter nascentiæ, jubet ab Horoscopo non a Sole numerari; item non in xv, sed in quasvis partes signi horas multiplicari; tamen utraque methodus multum habet inter se adfinitatis, et vetustatem præfert.

306. *Quia qualicumque sub hora Ter quinas mundi sex tollunt.* Lege *se tollunt.* Jubet ergo binas horas signis adtribui. Atqui hanc opinionem furcillis supra exagitaverat. Quæ hæc est levitas? Bonincontrius agnoscit τὸ *sex*, hoc est, solens traducit sese. Et sane rarum est, quum illi homini aliquid boni excidit. *Se tollunt*, ἀναφέρονται.

307. *Ter quinas mundi se tollunt sidera partes.* At ubi sunt illæ superiores censoriæ notæ in eos, qui binas horas signis orientibus tribuunt? ut taceam horas civiles Veterum inæquales fuisse. At xv gradus Æquinoctialis horam æqualem constituunt.

308. *Conjungere et illas, Quæ superent Phœbo partes per signa, memento.* Esto homo natus, Sole xvi Tauri obtinente, hora viii inæquali. Horis 8 in 15 ductis fiunt signa quatuor. Addo partes xv absolutas, quas perfecit Sol in Tauro, ut præcipit Manilius. Numero igitur a principio Tauri. Numerus desinit in xv Virginis, qui erit locus Horoscopi.

313. *Tum quo subsistet numerus consumptus in astro.* Recte Gembl. Sic supra, 224 : « Atque ubi substiterit, signum dicatur oriri ».

314. Olim *Quave in parte suam summam numerive reliquit.* Qua in parte numerus relinquet suam numerive partem. Elegantia profecto digna Bonincontrii auditoribus, quibus persuadebat hæc Latina esse : quid Latina? Satis erat, si aliquo sensu essent. Nobis olim feliciter succurrit legendum *momenve relinquit.* Scriptum fuerat vitiose *mumenve.* Sic alibi : « qui munera summis Imposuit ». Perperam pro *mumina* hoc est, momina. Quod momen apud hunc auctorem creberrime positum sit pro summa et numero, sat suis locis patuit.

Hæc erit exoriens et pars, et forma. Per ignes
Continua partes : ubi summam feceris unam,
Tricenas dabis ex illa per singula signa,
Donec deficiat numerus : quaque ille sub astri
Parte cadat, credas illam cum corpore natam
Esse hominis, pariterque orbem vidisse per ignes.
Sic erit ipse tibi rapidis quærendus in astris
Natalis mundi, certoque horoscopus ortu :

315. *Hæc erit exoriens et pars et forma.* Exoriens pars et forma est signum vel pars horoscopans. Alibi, sup. 178 : « Quum tibi nascentis percepto tempore forma Constiterit ». Sic dixit signa formantia ortus, id est, horoscopantia. — *Per ignes*, per stellas. Infra : « pariterque orbem vidisse per ignes ». In sphæra : « quibus ille supervenit ignis », id est, stella. — *Per ignes.* Noctu. Nocturnæ genituræ inveniendæ methodum docet. Hæc omnia quis antea intelligebat? Nam Bonincontrio ne minima quidem hujus loci suspicio mentem perstrinxit. Non magis Latine sciens ejus expositionem in hunc locum intellexerit, quam ille locum istum. Nos quid esset *per ignes* ostendimus.

316. *Continua partes.* Nihil novi dicit. Hodie astronomi putant omnia sua ratiocinia a meridie : veteres Chaldæi, sive Genethliaci ab ortu Solis. Utroque modo ratiocinia sunt 24 horar. Si igitur genitura inciderit per ignes, id est, noctu, non a nocte novum ratiocinium instituere debet, sed horas diurnas, id est, duodecim horas ab ortu Solis cum horis nocturnis connectere. Esto aliquis natus hora septima noctis. Illa hora erit decima nona ab ortu Solis. Hoc est, quod vult. Hujus autem rei dabimus illustre exemplum in themate mundi, quamquam nugatorio ab illis priscis Ægyptiæ matheseos antecessoribus prodito. Ponunt mundum conditum Sole in quinta decima Leonis posito, hora xi noctis ineunte. Ab ortu Solis ad horam xi ineuntem noctis, putantur horæ absolutæ xxii quæ in gradus xv multiplicatæ ex hac methodo fiunt gradus 330, quibus adjice a principio Arietis, ad partem 14 Leonis absolutam, gradus 134. Fient omnes gradus 464. Detracto asse circuli, remanent gradus 104, qui ab initio Arietis putati desinunt in gradum absolutum 14 Cancri. Ergo Horoscopus est in gradu xv ineunte Cancri, ut erat propositum. Itaque non ab ineunte nocte putanda sunt ratiocinia genituræ nocturnæ, sed continuanda cum tempore diurno, ut præcipit Manilius. Nam bene hoc monuit, quamquam, ut diximus, nihil novi edicit. Hoc enim facit, quia ineunte nocte putatur hora prima, non tertia decima. In hoc themate recte est apud Firmicum Sol in xv Leonis, non in ιθ, ut apud Paullum Alexandrinum ; ubi legendum ιέ, errore satis proclivi.

322. *Natalis mundi.* Horoscopus. Infra cæli nascentis hora dicitur.

Ut, quum ex hoc sedes steterit sub cardine primo,
Fallere non possit summi fastigia cæli
Signifer obliquus : stent fundamenta sub imo :
Stent veri stellarum ortus, verique subortus.
Denique ut in proprias vires sortesque recedant.
Sed neque per terras omnes mensura dierum

325. Ante Scal. *Non feret oblitus.* Nusquam felicius conjectura nobis cessit olim, quam in hoc inquinatissimo loco. Manilius enim scripserat *obliçus;* unde *oblitus* scripsit librarius. Non, inquit, imponet nobis signifer propter obliquitatem suam. — Sed hanc conjecturam carpit Bentl. negat nusquam *Signiferum* Manilio nominari; denique sic locum refingere tentat : « Ut quum exacta fides steterit sub cardine primo; Fallere non possint summi fastigia cæli, Non seri te obitus; stent fundamenta sub imo ». Hoc est : Ut quum certus sis de horoscopo, tres reliqui cardines non possint te fallere : nam invento primo qui in summo cælo est, certa fit cæterorum statio. Conf. vs. 216 seq. Ed.

326. *Verique sub ortus.* Conjunctim legendum : « verique subortus ». Suboriri dicit pro occidere.— *Stent fundamenta sub imo. Ut* communi sensu. Ut, ait, neque signifer obliquitate sua veram regionem summi cæli auferat ; et ut imum cælum sibi constet, constet etiam occasus. Itaque vero Horoscopo deprehenso, reliqui tres cardines constabunt.

327. Vid. Excursus III ad calcem hujus libri. Ed.

328. Hoc loco B. habet 54 versus: « Nec tibi constabunt ... quorum mihi reddita summa est », quæ infra Scaliger inserit post v. 428. Sic autem hujus trajectionis reddit rationem : Hi versus pertinent ad partem hinc multis versibus submotam, quæ est de horarum mensura. Itaque illam necessario hæc sequi debebat. Nam post doctrinam horarum horologium instituendum, et quidem ut præcipit, ab æquinoctio. At quid hæc ad argumentum longitudinis temporariæ signorum, et adscensionum ipsorum? Deinde quod sequitur exemplum stadiasmi signorum, quam inepte post sequitur, ut longe multis versibus et paginis antecedat doctrinam stadiasmorum, quam postea docet. Deinde, quod maximum telum est, caput longum, quod post stadiasmorum exemplum sequitur, pertinet ad continuationem nostri argumenti, quo confutatur opinio de binis horis signorum adscensioni adtribuendis. Valde huic optimo scriptori nocuit importuna scriptorum curiositas, qui ejus libros in capita secuerunt, quum auctor perpetua oratione scripserit, ut Lucretius et Empedocles. Hinc tam facile fuit membra suo ordine luxari, quam proclive fuit, libros in membra secare. Isti igitur viginti octo versiculi cum toto capite sequenti, qui sunt summa versus LIV, quo transferendi sint, suo loco docebitur. Itaque mirus est consensus totius contextus ita eo ordine resti-

Umbrarumque eadem est, simili nec tempora summa
Mutantur : modus est varius : ratione sub una
Numquam Phryxæi ducuntur vellera signi,
Chelarumque fides, justæque examina Libræ,
Omnia consurgunt binas si signa per horas.

toto, qui pristino servato nullus erat. Egregia est hujus trajectionis restitutio : neque emendationi huic adversari possunt, nisi Simioli et Zelotypi.—*Sed neque per terras*. Duobus argumentis confutat vanitatem opinionis, quæ binas horas adscensionibus signorum adtribuit. Prius est inæquales esse adscensiones in eodem loco. Nam Alexandriæ Aries oritur gradib. 20, 23', Taurus 24, 9'. Ergo non sunt æquales adscensiones : neque igitur binarum horarum. Posterius adscensiones eorumdem signorum in hoc loco non esse æquales adscensionibus eorumdem in alio. Alexandriæ Aries oritur grad. 20, 53', Romæ grad. 17, 21', Taurus Alexandriæ gradib. 24,9', Romæ gradib. 21,6'. Unde illa diversitas? a positu regionum, quod ab æquinoetiali ad polum pergentibus semper obliquæ adscensiones decrescunt, rectæ autem crescunt : dies æstivi majores sunt, hiberni breviores. Hæc igitur omnia argumenta ex positu globi terræ instructa sunt ad evertendam sententiam de binis horis adscensionum. Quam ineptum erat disputationem hanc interrumpi, interjecta materia valde dissimili de horologiis et stadiasmis signorum, tam absurdum post illam materiam iterum ex abrupto disputationem eamdem repeti. Mentio horarum fecit, ut huc caput de horologiis conjiceretur, quum, ut diximus, horarum mentio facta sit, quod sit membrum sive sequela prioris argumenti. Nam si dies sunt incerti, et duodenæ quoque partes eorum, id est, horæ, sunt incertæ : rectissime. Pergit : sed noli putare signorum adscensiones inter se variare in eodem loco, quod jam diximus, unde et horæ variant : variant etiam per omnes terras : quæ enim oblique adscendunt, eo magis illa oblique adscendunt, quo magis ad polum pergitur : et contra magis recta, quæ recte adscendunt.

329. *Simili nec tempora cursu*. Gemblaeensis : « Simili nec tempora summa ».

330. *Modus est varius : ratione sub una Numquam Phryxei*. Æquinoctiorum una ratio est semper. Nam ubique terrarum eodem modo et mensura æquinoctia conficiuntur. Si, inquit, signa sunt binarum horarum, ergo nullum æquinoctium conficitur neque vernum neque autumnale : sed semper erit nullo discrimine æquinoctium. Atqui modus est varius. Ergo, etc. — B. aliter at distinguit : modus est varius statione sub una : *Namque Phryxæi*. Una enim statio est Zodiaci, sed varius dierum est modus.

333. *Omnia consurgunt binas si signa per horas*. Si, inquit, omnia signa consurgunt per binas horas, nulla est dierum inæqualitas. Atqui est. Ergo non consurgunt per binas horas. Minorem probat, quia æquinoctia duo sunt in anno. Ergo in

Quo medius recto præcingitur ordine mundus,
Æqualisque super transversum vertitur axem,
Illi perpetua junguntur pace diebus
Obscuræ noctes : æquo stat fœdere tempus.
Nec manifesta patet falsi fallacia mundi
Nec similis simili toto nox redditur ævo.

toto reliquo anno inæqualitas est dierum et noctis. Non enim æquinoctium dictum esset, nisi essent et dies non æquinoctiales. Nam æquale dictum est respectu inæqualis. Æquinoctium igitur dictum contemplatione reliquarum dierum cum noctibus inæqualitatis. Hæc ita clare Manilius, quæ antea ne OEdipus quidem intelligebat. — *Omnia consurgunt.* Ita duo manuscripti, Gemblacensis et alter : item veteres editiones, præter textum Boniucontrii, ubi ineptissime est, « Omnia quin surgunt binas sibi signa per horas ». Quod homini tenebras offudit, ne posset ne minimum quidem in sententia horum versuum videre.

334. *Quos medius recto ... Illis perpetua junguntur pace diebus Obscuræ noctes.* Est principium descriptionis climatum ab æquinoctiali ad polum. Per quos homines transiens mundus percingitur recto ordine. Sed in Gemblacensi legitur *Illi* non *Illis*. Tunc τὸ *illi* esset *illic* : et retinendum esset *Quo* : « Quo medius recto præcingitur ordine mundus Illi perpetua junguntur pace diebus Obscuræ noctes »; quod magis placet. *Illi* Cicero dixit non semel pro *illic*, ut alibi notamus. Verissima est ea lectio. — *Quo medius recto præcingitur.* Dies æstimantur a circulis parallelis, quos Sol numero CLXXXII describit, e quibus medius est æquinoctialis. Illi circuli, ubi in arcus æquales dividuntur, æquales dies faciunt. In sphæra recta horizon æquinoctialem ad angulos rectos, proinde et in arcus æquales dividit. Ergo æquales dies facit. Sub sphæra igitur recta æquales semper dies sunt, quia per polos mundi transiens Horizon idem semper est : « Ac bene diviso mundus patet orbe, latetque ». — *Recto præcingitur orbe.* Unde recta sphæræ positio. — B. habet *Quod medius*, ut vs. 341 *Una quod æquali.* Caussam reddit, cur sub Ariete et Libra signa omnia in binas horas surgant.

338. *Nec manifesta*, etc. Fallaciam mundi anomaliam dierum dicit.

339. *Nec similis simili toto nox vertitur orbe.* Gemblacensis longe melius : « Nec similis simili toto nox redditur ævo ». Similis simili per Hellenismum. Aristophanes : Οἴμοι κύλικος ἴσης ἴσῳ κεκραμένης. Est autem simile pro æquali dictum : quod in Sphæra Mundi notamus. — *Nec similis simili.* In obliqua sphæra multi dies sunt inter se æquales, et multæ item noctes : quæ nimirum æqualiter a punctis tropicis distant, modo summatim, non exacte accipiantur. Nam alioqui intervallum dierum a solstitio, ad æquinoctium autumni, minus est eo, quod ab æquinoctio veris ad solstitium. Sed hoc non sensu, sed

Omnibus autumnus signis, Ver omnibus unum,
Una quod æquali lustratur linea Phœbo.
Nec refert tunc quo Phœbus decurrat in astro,
Litoreumne coquat Cancrum, contrane feratur
Sideribus mediis, an quæ sint quatuor inter.
Quod quamquam per tris signorum circulus arcus
Obliquus jaceat, recto tamen ordine zonæ

ratione tantum percipi potest. Itaque non rem exacte, ut est, sed mentem Manilii interpretamur, qui dicit habitantibus sub sphæra recta non id contingere quod nobis. Nos dicimus quintam decimam diem, puta, ante solstitium esse æqualem quintæ decimæ diei post solstitium. At habitantes sub sphæra recta nihil tale dicere possunt, ut pote quibus omnes dies æquales sint. Nobis omnibus annis multi dies multis diebus æquales sunt, et multæ noctes multis noctibus. At illis ne toto quidem ævo, id est, ne unquam quidem hoc accidit : quare? « Una quod æquali lustratur linea Phœbo ». Alii, *Et... non vertitur.*

340. *Omnibus autumnus signis, ver omnibus unum.* Æquinoctium quidem sempiternum esse sub recta sphæra, verum est. Perpetuum ver et autumnum ibi florere, falsissimum. Simile argutabatur supra de longissimo die sub Cancro, quum dicit habitantibus sub Tropico vix Solem occidere. Quod et Ausonius somniabat in Technop. (vid. inf. t. VII, p. 539) : « Semper ubi æterna vertigine clara nitet Lux ». Quomodo ibi æterna lux, aut longissimæ moræ Solis, ubi dies est tantum horarum 13, 8′?

342. *Nec refert.* Nihil refert scire, utrum solstitium sit, an bruma. Nam semper æquinoctium est.

344. *Sideribus mediis.* Versus irreptitius B. videtur.

346. *Obliquus jaceat.* Miseret me Bonincontrii, quem vulgata lectio in nugarum casses induit. Quid indignius Mathematico, quam putare circulum Zodiacum jacere per tres circulos obliquos? Itane Tropici et æquinoctialis, ut uno verbo dicam, paralleli circuli, obliqui sunt? Τὸ *jaceat* de obliquitate circuli dictum etiam alibi tetigimus : « Sed jacet obliquo signorum circulus orbe ». Sed magis ludibrium debet, quum legit *jaciat* non *jaceat.* — *Recto tamen ordine Zonæ Consurgunt.* Quantum quidem ad situm pertinet, recto ordine : quantum vero ad signa ipsa inter se, alia recte, alia oblique. Sed Manilius vult omnino omnia signa in sphæra recta recte oriri : quod satis illis testatur : « Et paribus spatiis per singula lustra resurgunt ». Quæ fuit Veterum opinio. Nam et ita Lucan. IX, 533 : « Non obliqua meant, nec Tauro Scorpius exit Rectior, aut Aries donat sua tempora Libræ, Aut Astræa jubet lentos descendere Pisces. Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinus ardens, Humidus Ægoceros : nec plus Leo tollitur Urna ». Omnia signa sub sphæra recta pari tempore surgere, quod iste

Consurgunt, supraque caput terrasque feruntur,
Et paribus spatiis per singula lustra resurgunt,
Ac bene diviso mundus latet orbe, patetque :
Et simul ex illa terrarum parte recedas,
Quidquid ab extremo temet præverterit axe
Per convexa gradus gressum fastigia terræ,
Quam tereti Natura soli decircinat orbe
In tumidum, et mediam mundo suspendit ab omni.

canit, tam falsum, quam quod subjicit : « At tibi, quæcumque es Libyco gens igne dirempta, In Noton umbra cadit, quæ nobis exit in Arcton ». Ait sub Cancro positis umbras semper in Austrum jaci, falso. Hoc enim illis, qui extra Capricornum habitant, accidere necesse est. At illis, qui intra Tropicos habitant, pro diversitate conversionum Solis, nunc Austrina, nunc Aquilonia est. Sed de hoc in Prolegomenis.

347. *Supraque caput.* Verticaliter, ut vulgus loquitur. *Zonæ* Zodiaci, aut simpliciter circuli cujusvis. — Pro *terrasque feruntur* B. *subterque feruntur.* Et hanc emendationem sic adserit : *Consurgunt*, mane : supra caput feruntur interdiu ; subter noctu ; resurgunt postridie. Hæc verisimilia sunt. Ed.

348. *Per singula lustra resurgunt. Lustra* simpliciter periodos quascumque ; *lustrum Solis*, ut infra, v. 580, « vertens annus ». — B. autem habet *puncta*, quia *lustrum* pro quinquennio absolute sumit. Ed.

350. *Et simul ex illa.* Gemblacensis male : *At simul ex illa.* Et simul ab æquinoctiali recedas, quacumque te tulerit gressus in Septemtrionem.

351. *Præverterit axe.* Axem adscensum, clivum vocat. Propert. « Scandentisque axis patriæ de vertice muros ». Juven. IV, 117 : « Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes ». Ergo clivum vocat summum globi sub æquinoctiali. Nam ab æquinoctiali ad polum pergentibus descenditur ; vel simpliciter extremum axem, remotum clima. Sic Lucanus : « Calida medius mihi cognitus axis Ægypto ». — Huetius *extremum axem* polum interpretatur et *præverterit* adparere inceperit. Sed et Scaliger et Huetius Bentleio errasse videntur. Reponit : « Quidquid ad extremos temet deverteris axes » : extremi axes polus uterque : recte, nam de utroque æque verum est. *Devertere*, a via recta sub æquatore : *quidquid*, i. e. quantumcumque vel quantulumcumque. Ed.

352. *Per convexa gradus gressum vestigia terræ.* Ordo : quidquid gradus præverterit te gressum per fastigia terræ. Hæc fuerit sententia hujus loci, siquidem vitio caret, quod valde dubito. Τὸ *quidquid* est quantum, ὅσον. Ita plane Lucan. III, 294 : « Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris ». *Quidquid patet*, quantum patet. Item libro VIII, 179 : « Quidquid descendet ab arbore summa. Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur In Syriæ portus tendit ratis ». Quod

Ergo ubi conscendes orbem, scandensque rotundum
Degrediere, simul fugiet pars altera terræ,
Altera reddetur : sed quantum inflexerit orbem,
Tantum inclinabit cæli positura volantis.
Et modo quæ fuerant surgentia limite recto
Sidera, curvato ducentur in æthera tractu :
Atque erit obliquo signorum baltheus orbe,
Qui transversus erat : statio quando illius una est,
Nostræ mutantur sedes : ergo ipsa moveri
Tempora jam ratio cogit, variosque referre
Sub tali regione dies, quum sidera flexo

sane eodem modo dictum, ut hic quidquid te præverterit gradus. B. autem *Per convexa trahens... fastigia*, sensu quidem planiore.

355. *Ergo ubi conscendes orbem.* Gemblacensis *consedes* depravato ex *consides.* — *Stridensque rotundum.* Nemo dubitaverit vitiosam esse scripturam. Succurrit Gemblacens. *scandensque.* Quod sine dubio verum est, et probavit Bentl. et ipse F. Scalig. autem : « Ergo ubi consides, etc. » cujus sic rationem reddit : Ab æquinoctiali ad Septemtrionem pergentibus polus adtollitur : quia ab æquinoctiali Septemtrionem versus descenditur, quod ipse vocat desidere, tralatione a ponderosis, quæ pessum eunt. Hoc est enim desidere, tamquam qui ab æquinoctiali ad Septemtrionem pergunt, perinde ac qui a summo deorsum devolvuntur.

356. *Degrediere.* Hoc est, descendes. Aliud enim est *Digredi.* Glossæ. *Degreditur* καταβαίνει. Non erat locus emendando huic loco sine codice. — *Simul fugiet pars altera terræ.* Horizon quidem orbem in duo hemisphæria æqualia dividet, quia magnus circulus est, sed non ad rectos angulos, quia per polos ejus non transit. Simul igitur facta fuerit poli elevatio, obliqua intersectio sequetur.

357. *Sed quantum inflexerit orbe,* vel *orbem.* Prima fuit hæc differentia ab habitu sphæræ : quod aut obliquus, aut rectus. Altera hæc, quod inter se diverse obliqui. Atque hæc quidem est, de qua loquitur. — B. *sed quantum inflexerit orbis,* intransitive, pro si inflexerit, ut v. seq. inclinabit pro, se inclinabit, non male. En.

358. *Tantum inclinabit cæli positura.* Ab hac igitur varia positura et variæ umbræ, et ab illis horarum varietas colligitur. Quæ enim recte oriebantur, ea hic oblique oriuntur : et quidem obliqua alia aliter : quia positura alia atque alia.

362. *Qui transversus erat. Transversum* dicit quod ad angulos rectos stat. *Obliquum* ad angulos acutos.

363. *Nostræ mutantur sedes.* Nostræ sedes mutantur : hoc est, noster Horizon variat, et prout a polis eclipticæ discedit, obliquiores

Ordine conficiant cursus obliqua malignos :
Longius atque aliis aliud propiusve recumbat.
Pro spatio mora magna datur : quæ proxima nobis
Consurgunt, longos cæli visuntur in orbes.
Ultima quæ effulgent, cæcis merguntur in umbris.
Et quanto ad gelidas propius quis venerit Arctos,
Tam magis officiunt oculis brumalia signa,
Vixque ortus occasus erit : si longius inde
Procedas, totis condentur singula membris,
Tricenasque trahent connexo tempore noctes,

ejus intersectiones facit. — *Erga ipsa moveri Tempora*. Argumenti conclusio. Horæ habitum sphæræ sequuntur. Habitus sphæræ mobilis est. Ergo mobiles horæ, seu tempora.

366. *Cursus obliqua malignas*. Cursus malignos dicit, ut in lib. I, 589, *invida munera :* « Invidaque obliqua radiorum munera flamma Dat per iter minimum nobis ». Utrumque enuntiatum eadem et tralatione et notione.

368. *Pro spatia mara langa datur*. Interpunge post *datur*. Quo propiora nobis, eo majores oriendo moras interponunt. Hoc est, quod dicit : « quæ proxima nobis Consurgunt, longos cæli visuntur in orbes ». Sup. 226 : « Atque alia inflexis oriuntur sidera membris : Ast illis magis est rectus surgentibus ordo, Ut propius nobis aliquod, vel longius astrum est ». Ita fiet, ut borealia signa eo magis supra terram exstent, quo longior sit in latitudine distantia ; et contra australia magis deprimantur, quæ ipse vocat ultima : quamquam non omnia signa borealia recta sunt ; ut neque omnia australia obliqua : quod ipse tamen omnino sentit. Siquidem vult ea, quæ supra terram magis exstant, esse recta. Sic fieret, ut arcus ille a principio Arietis ad finem Virginis totus rectorum signorum esse debuerit : quod falsum. Sed hæc est illorum priscorum astronomia, quam Manilius et Lucanus sequuti sunt. — B. habet : *Pro spatio mora cuique datur ;* mora enim æqualis æqualibus spatiis datur. En.

370. Bentl. *Ultima quæ fulgent, citius merguntur in umbras*, rectius, ut videtur.

372. Aliter B. *Tam magis effugiunt oculas*, ut infra 405.

373. *Vixque artus accasus erit*. Aratum de his intellexisse volunt : quidam Veterum, in quibus Hyginus, ad Phænomen. Sed Aratus intelligit de contactu Horizontis et circuli Arctici. Ibi enim mutuo ortus, et occasus miscentur : quod in eo puncto stella oriatur et occidat. Non igitur de illis intelligebat Aratus, de quibus hic Manilius, quum potius de his nostris intelligat Homerus : de quibus interpretantur quoque illud Homeri ex X Odysseæ : Ἔνθα κ' ἄϋπνος ἀνὴρ, etc.

374. *Si langius inde Procedas*. Si fiat longior in latitudine distantia.

375. *Triccuasque trahent*. Hoc ac-

Et totidem luces adiment; sic parva dierum
Efficitur mora, et adtritis consumitur horis:
Paullatimque perit statio fulgentibus astris,
Pluraque per partes subrupto tempore signa
Terræ quærentur medio celata tumore,

eidit sub elevatione poli ad LXVI grad. scrup. XXX, in septemtrionalibus partibus Islandiæ, quam primus omnium Pytheas Thulen esse dixit: item in Scrifinia et Boddia regionibus Suetiæ conterminis, sub polo eclipticæ, quo neoterici magna inscitia Arcticum definiunt. Nam eas regiones babitantibus vertex a polo mundi 23, 30′ grad. distat: polus mundi 66, 30′ adtollitur. Tropicus illis tangit pulsum Horizontis, obtinetque eum locum, quem in Hellesponti tractibus pes prior majoris Ursæ. Et quia illis polus Zodiaei est pro vertice, necessario eisdem Zodiacus erit pro Horizonte secundum ea, quæ libro primo diximus. Semel vero in die polus Zodiaei eorum Zenith stringit. Sed subito transit Zodiacus, atque elevatur, et Horizontem ad majores, quam antea, angulos intersecat. Unde altera pars supra terram exstat, altera tecta subtus latet. Quia autem subita fit conversio: fit quoque, ut puncto temporis sex signa subito existant, altera vero nascantur tardissime, quantum XXIV borarum spatium est. Tanta est obliquitas eclipticæ. Contra accidit, quum occidunt. Quum igitur Cancer sit omnium signorum polo vicinissimum, propterea non occidit: sed simul ac pulsum Horizontis tetigit, iterum resurgit. Contrarium imaginare in Capricorno. Quare quum Sol in puncto solstitii fuerit, necesse est diem viginti quatuor horarum esse, quia noctis interjectum momentum brevissimum est. De hoc igitur interpretamur illud principis poetarum: Ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι. —*Tricenasque trahet.* Quia nimirum minimum noctis momentum interjicitur, adeo ut pæne sensum fugiat: propterea ait integrum mensem continuari die uno, vel diem esse unius mensis. Quod sane quindecim diebus ante, et totidem post confectum solstitii sidus accidere debet. Nam tanta est nox, quantum satis est, temporis primo puncto Cancri, ut Horizontem tangat: quod pæne in jactu visus, ut ita dicam, contingit. Hoc in Islandia, ut supra tetigi, et illi parallelis tractibus accidit.

377. *Et adtritis consumitur horis.* Recte. Nam etiam in die, quæ unius scrupuli fuerit, XII horæ considerantur.

378. *Paullatimque perit statio.* Hunc et duos præcedentes B. pro spuriis habet: certe quid sit *statio perit astris* intelligere nequeo.

379. *Pluraque per partes subrupto.* *Subrupto*, subrepto ἀρχαϊκῶς, ut infra: « Mensibus eruptis », hoc est, ereptis. Paullus libro primo Sententiarum de extraord. criminib. *fimo corrupto*, id est, correpto. Et Plautus dixit *subruptum* pro *subreptum*. Neque aliter fere scribebant illi. Quod dicit *per partes*, id est, paullatim ut jam dixerat: « Paullatimque perit statio fulgentibus astris ».

380. *Terræ quærentur.* Locus vi-

Abducentque simul Phœbum, texentque tenebras,
Mensibus eruptis donec sit debilis annus.
Si vero natura sinat sub vertice cæli,
Quem gelidus rigidis fulcit compagibus axis,
Æternas super ire nives, orbemque rigentem
Prona Lycaoniæ spectantem membra puellæ:
Stantis erit cæli species; laterumque meatu

tiosus. Tò *tempore* formatum ex eodem in antecedenti verbo. Major pars astrorum celebratur terræ tumore. Ita procul dubio scripsit Manilius.

381. *Adducentque simul Phœbum, texentque tenebras*. Plane est, quod ex Homero adduximus: Ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι. Ubi vides Periegesin Homeri et Geographiam eorum temporum: quum tractum oræ Campaniæ ac Magnæ Græciæ adeo longe in septemtrionem submoverent, ut, si eam thesin sequimur, sub polo eclipticæ Læstrygonas et Lami oppidum ponendum sit. Itáque Strabo et alii veterès Homeri studiosi multum æstuant in Geographia Homeri explicanda. — Ex Huetio in textum admisimus *Abducent*, nam hic de longis noctibus agitur.

383. Vid. Exc. IV ad calc. hujus lib. Ed.—*Si vero Natura sinat sub vertice cæli*. Ne hodie quidem ad ea loca navigationes penetrarunt. Nuper nostri Hollandi ad LXXXI usque gradum velificati sunt. Inclementia cæli et mare concretum ultra pergere vetuit. Tamen illi strenui Argonautæ naturæ et incommodorum omnium victores hanc gloriam reportarunt, ut primi omnium ea loca adiisse ausi sint, nullis fortasse postea eamdem gloriam, ne dicam majorem adepturis.

384. *Quem rigidis fulcit*. Axis fulcire videtur eos, quia illis stans et rectus est subjectus: ad angulos rectos stat.

385. *Æternas super ire*. Probum esset et *superare*. — *Orbemque*. B. reponit *Boreamque*.

386. *Prona Lycaoniæ spectantem membra puellæ*. Puellæ quidem prius, sed postea in ursam mutatæ. *Prona membra*, ad illos respicientia, qui directo sub polo siti sunt. Nam nobis non ita, qui remotiores. Et prona, id est, in terras respicientia constellationum membra facit contra Theonis sententiam, qui imagines cælestes in cælum, non in terram conversas esse scribit. Sic idem Theo Cancri pectus et os in cælum, testam autem et dorsum in nos conversa esse.

387. *Stantis erit*. Τὸ κεῖσθαι trifariam exponitur: jacere, sedere, stare. Tot habitus sunt Sphæræ: primus jacentis, qui dicitur rectæ sphæræ, propter rectos angulos Horizontis cum æquinoctiali: alter sedentis, inclinatæ. Stantis, molæ similis. Tunc enim Æquinoctialis, qui in Horizontis vicem est, ac in ambitum rectum circumvertitur, omnino molæ trusatilis et habitum et conversionem refert. Minus autem proprie sphæra recta dicitur propter rectos angulos, quos cum Æquinoctiali facit, quia per ejus

Turbinis in morem recta vertigine currit.
Inde tibi obliquo sex tantum signa patebunt
Circuitu, nullos unquam fugientia visus,

polos transit, quum ea adpellatio stantis sphæræ magis propria sit, in qua Æquinoctialis idem cum Horizonte et circulo arctico. Axis autem stat ad rectos angulos : ideo mundum fulcire dicitur paullo ante. Is enim rectus situs est, proinde ut hominis rectus situs, quum stat, non quum jacet. Nam homo dicitur stare, sedere, jacere, κατὰ τὸ κεῖσθαι, non κατὰ τὸ ἔχειν. Sic sphæræ situs denominatio παρὰ τὸ κεῖσθαι esse debebat: quæ tamen recta vulgo dicitur non κατὰ τὸ κεῖσθαι, sed κατὰ τὸ ἔχειν· quia scilicet situs ejus respectu Horizontis rectus est. Et sane vetus Ptolemæi scholiastes ὀρθὴν σφαῖραν vocat τὸ ἔξαρμα, ad librum II Τετραβίβλου, cap. de Eclipsibus : quod accurate notandum. Porro utraque stans et recta sphæra immutabilis. Quam minimum enim aut ex recta adtolletur polus, aut ex stante deprimetur, statim rectæ et stantis nomen perit. At contra diversitates inclinatæ sphæræ mutationes multas esse nemo dubitat. Recta sphæra una est; quia unus Æquinoctialis. Stantes duæ; quia poli duo. — *Laterum meatu*. Alii exhibent, *meatus*.

388. *Turbinis in morem*. Mola superior dicitur meta. Paullus de instructo et instrumento legato, lib. XVIII : « Est autem meta inferior pars molæ, catillus superior ». Falsum. Jurisconsultus scripsit : « Est autem meta superior pars molæ, catillus inferior ». Apud Veteres enim superior mola κωνοειδής fuit : inferior cava instar catini : unde illi nomen. Meta autem instar turbinis inversi conveniebat in catillum, ut mas in feminam, qua parte basis est, non qua mucro. Nam mucrone superne pendebat, basis autem in catillo vertebatur. Sunt et hodie ejusmodi molæ trusatiles hordeo, olyræ, sinapi pinsendis. Meta igitur, turbo et conus : et proinde turbo est superior mola. Quia igitur in morem metæ molaris sphæra circumvertitur, ab eo dicta sphæra μυλοειδής, i. e. molæ similis. Quibus ad eum modum polus adtollitur, illi periscii dicuntur, i. e. umbram circum se habentes: quamvis initium perisciorum incipit ab iis, quibus Arcticus aut idem cum Tropico, aut major est.

389. *Inde tibi obliquo*. Habitantibus sub polo vertex est polus ipse. Igitur Æquinoctialis est Horizon. Necesse ergo sex signa septemtrionalia semper super terram esse, sex contraria sub terra : item a principio Arietis ad finem Libræ, quamdiu Sol in illis signis, unum tantum diem sine ulla interpellatione continuari : contra in signis Australibus unam tantum noctem perpetuari. Hæc vel indoctus e sphæra petere potest.— *Sex tantum signa patebunt*. A principio Arietis scilicet ad principium Libræ. Nam profecto excusari non potest Plinius, qui refragatur, libro IV, capite 12 : « Ibi creduntur esse cardines mundi, extremique siderum ambitus, semestri luce, et una die Solis aversi: non ut imperiti dixere, ab æquinoctio verno in autumnum. Semel

Sed teretem acclini mundum comitantia semper.
Hic erit una dies per senos undique menses,
Dimidiumque trahens contextis lucibus annum:
Numquam erit occiduus quod tanto tempore Phœbus,
Dum bis terna suis perlustrat cursibus astra;
Sed circumvolitans recto versatur ab orbe.
At simul e medio præceps descenderit orbe,
Inferiora petens dejecto sidera cursu,
Et dabit in pronum laxas effusus habenas,
Per totidem menses junget nox una tenebras.
Vertice sub cæli nam quisquis spectat, ab omni
Dimidium et toto mundum videt orbe rotundo:
Pars latet inferior : neque enim circumvenit illum
Recta acies, mediaque tenus distinguitur alvo.
Effugit ergo oculos summo spectantis ab orbe,
Dum sex submersis vectatur Phœbus in astris:
Adducitque simul luces, tenebrasque relinquit,
Sideribus donec totidem, quot mensibus actis,
Cesserat unde, redit, geminasque adscendit ad Arctos.

in anno oriuntur iis Soles brumaque, semel occidunt ».

391. *Sed teretem adclini.* Male apud Fayum *adclivi.* Nam adclivis est, qui collem aut clivum scandit. Hoc non vult Noster. Non enim ibi Sol scandit, ut in nostra inclinatione, ad Cancrum usque: sed semper incumbit Horizonti. Itaque *adclini* optime, id est, circuitu incumbente in Horizontem et ipsum stringente. — B. autem, quid sibi velint hæc, rogat. An sex signa circuitu suo incumbent in horizontem, qui in hac sphæra parallela æquator est? Nonne finis Geminorum et initium Cancri (si in ejus initio solstitium ponitur) aberunt ab horizonte gradus 23, 30'. Igitur reponit : « sed teretem inclini mundum comitantia spira ». *Inclini*, h. e. non inclinante, sed semper horizonti parallela. Versus autem fit durior vocali correpta ante *sp.* etsi non desint exempla. Ed.

396. *Recto versatur ab orbe.* Circumvertitur ut turbo, ait Scal. quod immerito impugnat B. et reponit *visetur ab. axe* contra codd. Sequentes versus, atque adeo totam hanc tractationem supra omnes elegantias Scaliger esse ait. Ed.

401. *Ab omni dimidium et toto.* B. *e toto tantum videt orbe rotundi.* Gembl. quoque *rotundi*, ut sit orbis rotunditas, non rotundus orbis. — B. dicit *rotundi* substantive et neutrius generis, et ita explicat locum :

Hic locus in binas annum noctesque diesque
Per duo partitæ dirimit divortia terræ.
  Et quoniam quanto variantur tempora motu,
Et quibus e causis, dictum est : nunc accipe, signa
Quot surgant in quoque loco, cedantque per horas,
Partibus ut prendi possint orientia certis,
Ne falsus dubia ratione horoscopus erret.
Atque hoc in totum certa sub lege sequendum,
Singula quod nequeunt per tot distantia motus
Temporibus numerisque suis exacta referri,
A me sumat : iter positum sibi quisque sequatur,
Perque suos tendat gressus : mihi debeat artem.

Sub cæli vertice, i. e. polo, nox erit per sex menses. Verum hoc est, sed ratio quæritur. Quisquis enim, inquit Noster, ab axe sive a vertice cæli spectat, dimidium tantum videt e toto rotundi orbe.

412. Vid. Excursus V ad calcem hujus libri. Ed.

413. *Nunc accipe signa Quot surgant in quoque loco cedantque per horas.* Postquam signa non binarum horarum esse convicit : nunc reliquum est, ut quot horis quæque adscendant, ostendat. Non enim aliter Horoscopus haberi poterit. In Gemblacensi codice adpositus erat titulus : *quomodo in omni inclinatione mundi opus inveniatur;* ubi opus decurtatum est ex *Horoscopus*. Atqui istis non tractatur de Horocopo inveniendo, sed de horis et stadiasmis adscensionum. Ridiculus titulus. Adposui tamen, ut omnes videant, non esse Manilii has sectiones et capita : quæ unica caussa fuerunt textus perturbandi. Nam duo capita, ut ostendimus, hanc pragmatiam antecedebant, quæ sequi debent. Qua in re non leviter Manilii studiosos promereri speramus.

415. *Ne falsus dubia ratione Horoscopus erret.* Nam totius Horoscopi adipiscendi caussa hæc explicatio instituta.

416. *Atque hoc in totum certa sub lege sequendum est.* Generatim, inquit, regula hujus doctrinæ instituenda, quod singulorum nulla potest esse certa propter diversitatem inclinationum Mundi. Sed non cohærent sequentia idque propter τὸ *est* infultum. Totum locum ita concipies : « Atque hoc in totum certa sub lege sequendum, etc. » Liquida sententia : Atque aliquis, inquit, a me discat hoc in genere quidem sequendum, quia sigillatim omnia persequi non possumus.

420. *Iter positum sibi quisque sequatur.* Institutam a nobis methodum sequatur.

421. *Perque suos tendat gressus.* Et tendat iter per suos gressus. Eamdem viam gressibus suis insistat, quam ego illi indicavi, et me auctorem hujus artis, id est, methodi agnoscat. — B. *meos*, male.

Quacumque hoc parti terrarum quisque requiret,
Deducat proprias noctemque diemque per horas;
Maxima sub Cancro minimis quæ cingitur umbris:
Et sextam summæ, fuerit quæ forte, diurnæ
Vicino tribuat post Cancri templa Leoni.
At quæ nocturnis fuerit mensura tenebris,
In totidem partes simili ratione secanda est:
Ut, quantum una ferat, tantum tribuatur ad ortus
Temporis adverso nascentis sidere Tauri.
Has inter, quasque accipiet Nemeeius, horas
Quod discrimen erit, per tres id divide partes,

422. *Quoque modo hoc parat.* Inepta hujus loci scriptura valde sensum impediebat: Gembl. nost. lect. optime habet. — *Parti, Jovi, Sorti*, pro parte, Jove, Sorte familiare Manilio. Ita etiam Plautus. Notat Priscianus. Sic quoque Lucret.

423. *Deducat proprias noctemque diemque per horas, Maxima sub Cancro minimis quæ cingitur umbris.* Exemplum. Romæ maxima dies horarum xv, minima ix, quæ æqualis est minimæ nocti. Propterea jubet habere maximam diem et minimam noctem.

425. *Et sextam summæ.* Sexta de quindecim horis, hoc est, scrupula 150, tribuantur Leoni, ut habes in hoc diagrammatio. Simili modo sexta minimæ noctis, nempe novem horarum, quæ est scrupulorum 90, excipiatur Tauro.

429. *Ut quantum una ferat*, i. e. quantum trahit una sexta minimæ noctis vel minimæ diei: et quidem ea est, ut diximus scrup. 90. Potest etiam dici, quantum temporis una sexta fert, tantum temporis tribuatur nascenti Tauro.

430. Olim *Temporis adverso nascentia sidera Tauro.* Depravatissima erant. Emendavit Scal. et explicat: Quantum una sexta feret temporis, tantum temporis tribuatur ad ortus Tauri nascentis adverso sidere. — Male F. *nascenti.*

431. *Has inter quasque accipiet Nemeæus in horas.* Inepta sunt hæc: Lege: « Has inter, quasque accipiet Nemeeius, horas ». Nemeeius, Νεμεήϊος. Ionice pro Νεμέειος, ut Φοίβειος, Φοιβήϊος. *Phœbeæ lampadis instar:* ibi Phœbeæ est Φοίβειος. At « Phœbeia virgo ... Phœbeius oscen ». Ibi est Φοιβήϊος. Hæc omnia perperam per diphthongum etiam a doctis viris scribuntur: Nemeæus, Phœbæus. Nam sunt Φοιβήϊος, Νεμέειος, etc. Neque ignarus sum tam Νεμεαῖον, quam Νεμέειον, agnosci a Stephano. At tamen Νεμεήϊος non potest esse nisi a Νεμέειος, non autem a Νεμεαῖος. — B. *Nemeæus in ortus*, et explicat: Has inter, scil. partes, non has horas ut Scaliger. Et ut antea vs. 348 *tribuatur ad ortus* Tauri, ita nunc Leo accipiet in ortus. Ed.

432. *Quod discrimen erit.* Discrimen inter Leonis et Tauri adscen-

Tertia ut accedat Geminis, quæ tempora Tauro
Vinciat, atque eadem Cancro, similisque Leoni :
Sic erit ad summam ratio perducta priorem,
Quomodo divisis Nemeæus duxerit horis.
Inde pari Virgo procedat temporis auctu :
Sed certa sub lege, prioris semper ut astri
Incolumem servet summam, crescensque novando.
His usque ad denas horarum partibus auctis

sionem, nempe inter 150 et 90 sunt 60; quorum tertia pars, nempe 20, erit excessus progressionis arithmeticæ in his ratiociniis adscensionum : quod et oculus ipse docet in Diagrammate.

433. *Tertia ut accedat Geminis.* Nempe ut tertia illa cum adscensione Tauri componat adscensionem Geminorum scrup. 110. Fallitur in his omnibus Bonincontrius. Quid mirum? Nam quis antea vel minimum hæc odorabatur? — *Quæ tempora Tauro vinciat.* Tempora, scilic. adscensionis.

434. *Vinciat*, quia in omni progressu arithmetico excessus est vinculum prioris summæ et sapientiæ. — *Atque eadem Cancro similisque Leoni.* Idem excessus compositus cum adscensione Geminorum, nempe cum 110', dabitur Cancro, atque erit scrupulorum 130. Similis quoque detur Leoni. Hoc est, similis compositus cum 130 dabit adscensionem Leonis 150'. Simile noster auctor non semel sumit pro æquali : de quo in sphæra mundi, et supra.

435. *Sic erit ad summam ratio deducta priorem.* Gemblacensis optime *perducta*, quod omnino necessarium erat. Nam excessu ad adscensionem Cancri adposito, conflatur adscensio Leonis 150, quæ, inquit, est prior summa a nobis proposita, nempe sexta pars arcus diurni maximi. Sic est ratio perducta ad priorem summam, h. e. ad sextantem arcus diurni maximi.

436. Sc. *Quomodo divisis Nemea si duxerit horis. Si* truncum est pro *sibi.* Nemea autem pro Leone capit Scal. et adducit v. 572, male. — B. *Quam modo... duxerat.*

437. *Inde pari Virgo procedat temporis auctu.* Pari excessu.

438. *Sed certa sub lege, prioris semper ut astri Incolumem servet summam.* Ea lege omnia hæc crescant per adjectionem accessus, ut semper antecedentis signi adscensio incolumis servetur, et illi adjectus excessus sequentis signi adscensionem componat.

440. *His usque ad denas horarum partibus auctis.* Hic et infra Manilius usurpat augere pro multiplicare. Ad commodiorem computi usum jubet partes horarias per dena multiplicare : puto, quia 90 cœpit pro quindecim, 54 pro novem : assem, id est, totum tempus 144. Nam hora est duodecim unciarum, ut habes apud Plinium. Sic duodecim horæ sunt duodecies duodecim unciarum : quæ in rationem quinque ad tria divisa dant 90 pro maximo

Per totidem a Libræ decrescent sidere partes,
Et quantis in utrumque modis tolluntur ad ortus,
Diversam in sortem tantis mergentur ad umbras.
Hæc erit horarum ratio ducenda per orbem,
Illa quot stadiis oriantur quæque cadantque:

arcu diurno, 54 pro minimo diurno aut nocturno. Ergo sexta pars maximi arcus 15, minimi 9. Ad commodiorem calculum jubet adsumi 1440 pro 144, et quidem 144 pro 288. Nam nocturno integro sunt 288 unciæ, non 144. Sed omnia ad compendium et commoditatem computationis. Quod autem de die maxima xv horarum loquatur, non de alia, mox infra ex ratione stadiasmi patebit: quæ omnia ne Sibylla quidem intelligebat, et tamen qui hæc tam facili genere tradita percipient, quidvis molientur, ut persuadeant aliis, se hæc ante nos scivisse, immo si possint, a se nos didicisse.

441. *Per totidem Libræ decrescent sidera partes.* Quam insigne mendum, quam facile etiam oculatissimis imponere posset? Legendum enim: « His usque ad denas horarum partibus suetis Per totidem a Libræ decrescent sidere partes». Sic inf. de Libra, et de eadem re, v. 461: « Ex illa totidem per partes sic breviantur». Nam a Libra incipiunt decrescere per totidem partes, quot creverant, ut habes in diagrammate. — F. *a Libra decrescent sidera*, non male. Ed.

442. *Et quantis in utrumque modis tolluntur ad ortus.* In utrumque modum, oblique et recte. Quantis modis, id est, mensuris temporum oriuntur oblique, tantis mensuris recte occidunt. Hoc est, quod dicit *diversam in sortem*. Nam quæ oriuntur recte, occidunt oblique, et contra. A Libræ sidere contrario modo oriuntur et occidunt oppositis suis. Libræ ortus est æqualis occasui oppositi ejus, nempe Arietis; occasus Libræ æqualis ortui Arietis. Aries oritur oblique horariis scrupulis 70'; occidit recte scrup. 170. Contra Libra oritur recte scrup. 170; occidit oblique scrup. 70'. — *Quantis modis.* Quot modis: *quanti sumus*, quot sumus Tertullianus dixit.

444. *Hæc erit horarum ratio ducendu per orbem.* Dupliciter putabantur modi anaphorici, per horas et per stadia. Horarum ratione absoluta, nunc ad stadiasmum pergit, quæ methodus eadem cum superiori; ut mirer, quid illi fuerit consilii, ut eumdem modum nihilo quidem discrepantem a priore iterum retractet. Satis mirari non possum. Poterat dicere: quæ ratio est adscensionum in horis, eadem est in stadiasmis. Itaque experiamur.

445. *Illa quod standis oriantur quæque cadantque.* Sic Gemb. sed proclive quidem est divinare *quod standis* pro *quot stadiis* perperam exaratum fuisse. Τὸ *Illa*, id est, ratione. Bonincontr. innovavit: *Illa quoque instandis.* Jubet eamdem rationem conferre ad Zodiacum orbem, quem veteres in stadia diviserunt, ut ex illa ratione ortus et occasus in stadiasmis expendantur. Hæc ratio, inquit, a nobis excogitata erit re-

Quæ quum tercentum numeris, vicenaque constent,
Detrahitur summæ tota pars, quota demitur inde

ferenda ad stadiasmum Zodiaci orbis, ut illa ratione expendatur quot stadiis quæque oriantur, et cadant. Vetustissimi Ægyptii orbem, quem hic memorat, id est Zodiacum, in stadia 7704000 dividebant, quæ fiunt milliaria Italica 963000, Germanica 1540800. Signum in 642000, gradum in 21400. Usum horum stadiorum tacet Firmicus, qui contentus fuit hactenus hæc de illis scribere libro VIII: *Pars igitur Signi viginti unum millia et quadraginta stadia habet.* Sed legendum *quadringenta.* Puto quia totidem stadiorum ambitum terræ definiebant, in quot stadia cælestia unum signum oriebatur, in totidem terrestria ejus vim extendi. Neque profecto stadiasmum signorum adposuisset Manilius, nisi ejus usum aliquem in hac arte sua esse sibi conscius fuisset. Qui autem adsumitur numerus stadiorum in adscensionibus, arbitrarius est, et secundum numerum, qui in rationem maximæ et minimæ diei secatur, deligitur. Exemplum: Ad methodum diei maximæ et minimæ Ægypti adsumitur duodenarius, qui in 7 et 5, quæ ratio est maximæ et minimæ diei, secandus est. Ille igitur duodenarius pro arbitrio in mediocrem summam multiplicatur, puta in 60, ut fiant 720 numeri, aut in 90, ut sint 1080, ad expeditam scilicet methodum: quia quo brevior summa, eo tractabilior. Hoc facto videbant quam rationem haberent 1080 ad 770400, ut referrentur ad usus suos. Sic in exemplo stadiasmi, quod post hanc tractationem ponet, summa stadiorum est 720. In hac autem doctrina, quæ nunc est præ manibus, stadia sunt tantum 320, nimirum pro ratione adsumpti numeri octonarii. Nam ratio maximæ diei ad minimam Romæ est ut quinque ad tria: et proinde numerus adsumendus et secandus in eam rationem est octonarius. Octo igitur in arbitrarium aliquem numerum, puta octoginta, ductus producit 320, et sectus in rationem quinque ad octo dabit 200 maximæ diei arcum, 120 autem minimæ diei: sexta pars maximi arcus, stadia 33, 20′; minimi, 20, 0′. Sed commodioris computationis gratia multiplicentur in novem. Ita 300 erit sexta pars arcus maximi diurni pro adscensione Leonis, 180 sextans minimi arcus pro adscensione Tauri. Differentia 120. Triens 40, qui erit excessus progressionis, ut habes in diagrammate. Ita illi Veteres numquam adponebant horariis adscensionum tempora sine stadiasmis, ut videbimus alibi in exemplo a Manilio producto. — Fayus reponit: *Sidera ut in stadiis.*

446. *Quæ quum tercentum numeris vicenaque constent.* Hoc est 320, non 360, ut putat Bonincontrius, et de gradibus dictum vult, in quos secatur circulus Zodiacus. Repetit enim bis τὸ *ter*, quod neque ratio loquendi, nec mens auctoris patitur. Delirium est. Et hanc scripturam male tuetur Fayus.

447. *Detrahitur summæ tota pars.* *Tota* priore correpta τοσαύτη, cui e regione respondet *Quota.* Tertull. de anima, cap. 37: « ut quoto die dedicata Dei conditio, toto mense

Omnibus ex horis æstivæ momine noctis,
Solstitium summo peragit quum Phœbus Olympo.
Quodque his exsuperat demptis, id didito in æquas
Sex partes, sextamque ardenti trade Leoni.
Rursus qui steterit numerus sub nomine noctis,
Ejus erit signo Tauri pars illa dicanda.
Quodque hanc exsuperat partem, superatur ab illa,
Distinguitque duas medio discrimine summas,
Tertia pars ejus numero super addita Tauri

interdum producatur Dei imago ». Sed aliter accipit Tertullianus ac Manilius. Manilio enim *tota* est tanta, i. e. τοσαύτη. Tertulliano *totus* est τοιοῦτος. Sed et apud eumdem Tertullianum *totus* est τοσοῦτος, in Valentinianos: « Cæterum tota in adytis divinitas, tot suspiria Epoptarum, totum signaculum linguæ simulacrum membri virilis revelatur ».

448. *Omnibus ex horis æstivæ momine noctis.* Hæc non cuivis sunt obvia. Sed modo patebunt. Ex tota summa, inquit, stadiorum 320 tota pars, id est, ea pars proportionalis demitur, quam demit Sol ea omnibus horis, nempe integri nocturni, quæ sunt 24, quando conficit solstitium: et quidem illæ sunt XV horæ Romæ: quæ eam rationem habent ad totam summam 24 horarum, quam 200 ad 320. Ergo 200 erit arcus maximæ diei, et reliquus de summa 320, nempe 120, erit arcus minimus diurnus. Igitur tota pars detrahitur de 320, quotam partem aufert maxima dies ex 24 horis. Ablatis igitur 120 de 320, remanent 200, arcus maximus diurnus.

450. *Quodque bis exsuperat demptis.* Demptis 120 de 320, quod exsuperat, nempe 200. — Olim *id ducito in æquas Sex partes.* Itane ducito? Quid hic multiplicatio? Immo me hercle dividito. Et profecto Manilius scripsit: « id didito in æquas Sex partes ». Sic antea de eadem re: « Quod discrimen erit, per tris id divide partes ».

451. *Sextamque ardenti trade Leoni.* Sexta pars τῶν 200 sunt 33, 20′, quæ ob commoditatem in novem ducta fiunt 300, ut habes in diagrammate.

452. *Rursus qui steterit numerus sub momine.* B. *nomine.*

453. *Ejus erit signo Tauri pars illa dicanda.* Qui numerus fuerit sub momento minimæ noctis, vel minimæ diei, ejus illa pars, id est, sexta, erit Tauro dicanda. Numerus stadiorum minimæ noctis 120. Sexta pars 20 in 9 ducta fiunt 180 pro adscensione Tauri.

454. *Quodque hanc exsuperat partem.* Id est, discrimen, sive excessus inter 300 et 180, quæ sunt 120.

456. *Tertia pars ejus.* Tertia pars ejus discriminis, nempe τῶν 120, hoc est, 40, addita numero Tauri, nempe τοῖς 180, dat adscensionem Geminorum 220.

Traditur et Geminis: simili tunc cætera lucro
Procedunt, numeros semper tutata priores,
Augebuntque novem vicenas momina summas,
Donec perveniant ad justæ tempora Libræ.
Ex illa totidem per partes sic breviantur,
Lanigeri ad fines: conversaque momina legem
Accipiunt, perduntque pares cedentia sortes.
Hæc via monstrabit stadiorum ponere summas,
Et numerare suos ortus per sidera cuncta.
Quod bene cum propriis simul acceptaveris horis,

457. *Simili tunc cætera lucro.* Simili excessu τῶν 40. Patet ex ipso diagrammate.

458. *Augebuntque novem.* Deformatus locus. Sed cod. Gemblacensi gratia habenda, qui sub involucris latentem veritatem præfert. Habet enim: « Augebuntque novem vicinas munera summas ». Sed τὸ *munera* ex alia lectione vitiosa *numeratas* conflatum; omnino legendum: « Augebuntque novem vicinas momina summas ». Novem momenta, sive numeri angebunt, multiplicabunt viginti ad commoditatem computationis, ut supra in horis fecimus. Nam et hic quoque 20, quæ Tauro debebantur, in IX duximus, ad expeditum calculi usum. — Fay. *novo vicinas momine summas*, et interpretatur novo temporis auctu. Bentl. « novo... munere summas », et *vicinas summas* interpretatur summas vicinorum siderum. Ed.

460. *Donec perveniant ad justæ tempora Libræ.* Gemblacens. *sidera Libræ*, et id omnes et B.

461. *Ex illa totidem per partes sic breviantur.* Idem supra, 441: « Per totidem a Libræ decrescunt sidere partes ».

462. *Conversaque nomina lege Accipiunt.* Legendum: « conversaque momina legem Accipiunt ». Accipere legem victi a victore solent. Itaque ait, dies, qui vicerant, vicissim a victis vinci, ut fiat pugna Cadmeia.—Hæc mendosa videntur Bentleio: reponit: « conversaque omnia lege Accipiunt, redduntque, etc. » Ordo est: Conversaque lege, omnia accipiunt pares sortes, et cedentia reddunt. Conversa lege, i. e. mutata vice, ut inf. 495; et v. 265, *conversis vicibus.*

464. *Hæc via monstravit.* Gemblacensis *monstrabit*, et merito: nondum enim produxit exemplum stadiasmorum Cnidi, quod faciet alibi. Atque hactenus methodus adscensionum per æqualia incrementa, quam methodum suam esse dicit. Nos aliam paullo ante dedimus. Sed mirum de adscensione Arietis tacuisse in utraque methodo, horarum et stadiasmi. Nos ostendimus in nostra methodo, excessum detrahendum esse ex triente arcus semidiurni minimi, eamque fore adscensionem Arietis et Piscium.

465. *Et numerare suos ortus per sidera cuncta.* Numerare adscensiones signatim per stadiasmum.

466. *Quod bene cum propriis.* Quod

In nulla fallet regione horoscopus unquam,
Quum poterunt certis numerari singula signa
Temporibus parte ex illa, quam Phœbus habebit.
Nunc quibus hiberni momentis surgere menses
Incipiant (neque enim paribus per sidera cuncta
Procedunt gradibus, nivei dum vellera signi
Contingant, æquum luces cogentia et umbras
Ferre jugum) magna est ratio, breviterque docenda.
Principio capienda tibi est mensura diei,
Quam minimam Capricornus agit: noctisque, per horas,

simul bene acceptaveris cum propriis horis, nunquam te effugiet Horoscopus.

468. *Quum poterunt certis.* Numquam te effugiet Horoscopus, quum horas diei auferes ab Horoscopo, non attribuendo signis binas, sed tot, quot debentur eorum adscensionibus ex doctrina tradita. Hæc non intelligit Bouincontrius referens ad modum vulgarem. Longe discedit a mente auctoris. Sed non pauci doctiores illo longe turpius hallucinati essent.

470. *Nunc quibus hiberni.* Ultimis verbis disputationis dixit jam tuto posse Horoscopum haberi, si ex horis propositis deducamus adscensionum horaria momenta, quemadmodum tradita sunt, initio ducto a loco Solis, et in quo consistit numerus, ibi esse Horoscopum. Sed horæ variant, ut ipse longa hac disputatione nos docuit. Quæ incrementa horarum quibusque accedant adscensionibus, docuit: at quæ incrementa et decrementa horarum ipsarum sint, non docuit. Hoc igitur debet in antecessum dare, ne semper eumdem horarum modum usurpemus. Horæ enim diurnæ solstitiales sunt longiores diurnis brumalibus, et nocturnæ brumales longiores nocturnis solstitialibus. Ne huic parti deesset, pergit ad incrementa horaria, initio facto, ut debet, a bruma. Ab ea enim incipiunt dies crescere. — *Nunc quibus hiberni.* De incrementis horarum dicturus ab eo tempore incipit, unde et ipsa incrementa dierum, a brumalibus diebus scilicet: quæ decrementa dierum et incrementa Vitruvius brevitates et depalationes vocat.

476. *Quam minimam Capricornus agit.* Ut dierum incrementa, ita umbrarum decrementa rite capiuntur a bruma. Plinius libro XXXVI, cap. 10: « strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora. » Mendose. Corrige: « Strato lapide ad magnitudinem, cui par fieret umbra brumæ confecto die ». Nam quantam umbram faciebat obeliscus die brumæ in meridie, tantum stratum lapideum erat, quod pro amusivo horario adsumpsit, cujus gnomon erat obeliscus ipse. Itaque non ad obelisci magnitudinem stratum erat, sed ad eam magnitudi-

Quam summam : quoque ab justo superaverit umbra,
Et trepident luces, ejus pars tertia signo
Tradenda est medio : qua semper sorte retenta

nem, cni par obelisci umbra ficret die brumæ. Quis non sibi persuadebat se illum locum Plinii intelligere ! Nos ex eo duo notabilia menda sustulimus. — *Noctisque per horam.* Omniuo legendum *per horas.* Mensura enim diernm et noctium per horas colligitur.

477. *Quam summam quoque.* Quid velit, non est obscnrum nobis. Sed quod nobis menda vacare videbatur, id vero mendosissimum prodidit liber Gemblacensis. In eo ita scriptum fuit: « Quam summam qnoque adjusto superaverit nmbras. Ac trepident ». Nulla fere licentia hæc indubitata lectio eruitur, quam damus. Non erat locus in Manilio, cui tam male adfecto minus succurri posset sine ope mannscriptorum. Primo, inquit, mensuram capere debes summæ noctis, et minimæ diei, tempore brumali: et illius excessus, quo nox diem superat, tertia pars tradcnda est medio signo. Sed hæc paullo fusius explicanda. Nam impendio nugatnr Bonincontrius. Sed quod solemus semper dicere, a culpa eum liberant ingenia hujus ævi, quæ qunm se omnibus præstare pntant, minus hæc adsequereutur, quam Bouincontrius. Ita incrementa horarum capiebant Veteres. Discrimen inter maximam et minimam noctem in duodecim uncias dividebaut : nnciam tribuebant Capricorno, sextantem Aquario, quadrantem Piscibus, eumdem quadrantem Arieti, sextantem Tauro, unciam Geminis. — *Quoque ab justo superaverit umbra, Aut trepident luces.* Et qua quantitate aut nox superaverit, aut dies defecerit, ejus pars tertia danda est signo medio. Vide totumne discrimen maximæ et minimæ diei accipias, an dimidium. Eodem enim res recidit : sed nomina partium mutautur. Nam totius duodecima est sextaus dimidii : totius sextans, est triens dimidii. Ut hic quam nos diximus duodecimam totius, eam is vocat sextautem dimidii. Differentia maximæ et minimæ diei Romæ, horæ sex: duodecima snnt scrupula trigiuta, quæ et sunt triens trium horarum. — Aute Scaliger. *Et crepitent.* Inepte pro *trepident.* Coufirmavit Gemblacensis. Supersre et trepidare contraria. Nam quod deficit, trepidat a summa. Dies dicitur a jnsto trepidare, quidquid desciscit a die æquinoctiali, hoc est, a XII horis. — *Pars tertia signo.* Pars tertia ejus, quo umbra superat, ant lux trepidat, tradenda est Aquario. Nox maxima snperat minimam diem Romæ sex horis, æquinoctialem autem tribus. Hic igitur intelligitnr de excessu noctis maximæ snpra uoctem æquinoctialem, aut, quod idem est, de defectu diei minimæ a die æquinoctiali. Tertia pars trium horarum est hora, vel 60 scrupula, ut babes iu diagrammate.

479. *Qua sorte retenta Dimidio vincat primum.* Aquarius acceptis 60 scrupulis, ea summa vincit Capricornum, qua ipse vincitur a Piscibus. Nam 30, 60, 90 snnt in progressn arithmetico : et nt Aqua-

Dimidio vincat primum, vincatur et ipsum
Extremo : totum in partes ita digere tempus.
His opibus tria signa valent; sed summa prioris
Accedit numeri conjuncta sequentibus astris,
Cesserit ut : ternis fuerit si longior horis
Brumali nox forte die; Capricornus ut hora
Dimidia adtollat luces, et Aquarius horæ
Ipse suam proprie ducat, summæque priori
Adjungat : Pisces tantum sibi temporis ipsi

rius 3o scrupulis superat Capricornum, ita ipse vicissim vincitur totidem a Piscibus. — B. *Dimidia ut vincat*, hoc est, *ita* digere, *ut* vincat. Sic digere totum tempus in partes; ut medium signum dimidia parte vincat primum, et ab extremo dimidia vincatur.

482. *His opibus tria signa valent.* Sic paullo post, v. 494 : « Ita summa diebus ». Est epilogus.

483. *Sed summa prioris Accedit numeri conjuncta sequentibus astris.* Supra de simili progressu arithmetico idem extulit, 438 : « Sed certa sub lege, prioris semper ut astri Incolumem servet summam, crescensque novando ».

484. *Cesserit ut ternis.* Totam periochen explicat Scal. Hæc incrementa, inquit, ita intelligenda accedere, ut tamen summa prioris signi maneat. Verbi gratia Capricornus in principio habet 540 scrupula horaria, id est, novem horas absolutas. In fine accedentibus 3o scrupulis fient 570 scrupula, quibus 60 accedant : fient 63o scrupula in fine Aquarii. Ita semper summa prioris servatur, cui accedente excessu conflatur summa sequentis, ut fit in omni progressu arithmetico. Neque aliter sentiebat in doctrina horariorum progressuum. — *Cesserit ut.* Prout cesserit discrimen inter maximam et minimam diem : puta, si excessus ille fuerit trium horarum, ut Romæ. Exemplum idem Poeta subjicit, quod nos. Bentl. vero mendosum locum putat, et versus 482 et 483 spurios existimat, et tollit, locumque ita refingit : « Sic erit, ut, ternis fuerit si longior horis Brumali nox forte die, Capricornus in hora Dimidia adtollat luces, et Aquarius horæ Ipse suam sortem ducat ». Sententia apertior fit : sic erit, i. e. sic eveniet, ut Capricornus, etc.

485. *Brumali nox forte die.* Tò *forte* est exempli gratia ut demonstrationem juvet. — *Capricornus ut hora Dimidia adtollat luces.* Habes in exemplo. Nam ad 540 scrupula, id est, ad novem horas, accedentibus 3o scrupulis, fiunt scrupula 570 in finem Capricorni.

487. *Ipse suam proprie ducat.* Sic Gemb. ut nos olim. — *Summæque prioris Adjungat.* Summa prior 570. Accedente hora, nimirum 60 scrupulis, fient 63o. — *Summæque prioris Accedat.* Legendum ait Scal. « Summæque priorum ». Nam 90, quæ accedunt Piscibus, æquant 60, et 3o priorum.

Constituant, quantum accipiant de sorte priorum.
Et tribus expletis horis, noctemque diemque
Lanigero tradant æquandam tempora veris.
Incipit a sexta tempus procedere parte
Dividuum : duplicant vires hærentia signa :
Ultimaque acceptas triplicant : ita summa diebus.
Cedere conversa labentia tempora lege :
Namque Aries totidem deducit noctibus horas,
Quot prius abstulerant proprio sub nomine Pisces.
Hora datur Tauro : cumulentque ut damna priora,
Dimidiam adjungunt Gemini : sic ultima primis
Redditur : æquatæ solvuntur fœnore noctes.
[* Rursus et incipiunt propria de sorte diebus

489. *Quantum accipiant.* B. *tantum.* Nempe tantum sua sorte, tantum de priorum sorte accipiant, ut tres horæ fiant. Ed.

492. *Incipit a sexta.* Recapitulatio methodi traditæ. Primo signo horam dimidiam dedimus : secundo duplicatam dimidiam : tertio triplicatam, hoc est, sesquihoram. — *Dividuum.* Dividuum διαιρετόν. Ovidius : « Insula, dividua quam facit amnis aquâ ». Tempus dividuum est distributio horariorum scrupulorum in signa. Incipit autem a sexta, quia sexta pars trium horarum est hora dimidia. — *Triplicant vires.* Falsissimum; legendum : « Duplicant vires hærentia signa ». — *Arentia signa.* Ærere pro hærere, umor pro humor, et alia in hoc auctore. Legendum igitur: «hærentia signa ».

494. *Ultimaque acceptas duplicant.* Alter error hunc peperit. Alter emendatus huic emendando præjudicium fecit. Nam si ibi *triplicant* pro *duplicant*, et hic contra *duplicant* pro *triplicant* positum erat. — *Ita summa diebus.* Epilogus.

496. *Namque Aries totidem.* Nam Aries accipit 90, quot scilicet habebant Pisces: eaque adjungendo diebus totidem de noctibus deducit, ut ratio postulat, ut quod accedat diei, decedat nocti.

497. *Quot prius abstulerant proprio sub nomine.* Sic in lib. IV, 379: « Diversasque ferunt proprio sub nomine leges ». Nisi utrobique legendum *momine.*

498. *Hora datur Tauro.* Consule diagramma Scaligeri.

499. *Sic ultima primis Redditur.* Sic dimidia hora, quæ ultima datur Geminis, compensat eam, quæ prima data est Capricorno.

* *Rursus et incipiunt.* Subjungebat Scal. versum supra a nobis post 494 olim positum : « Cedere diversa labentia tempora lege »; et sic rationem reddebat: Vox *diebus* præcedit hic vs. ut eadem antea præcedebat. Tempora incipiunt cedere de diebus, et de propria sorte eorum.

* Respondent pariterque illis, quæ proxima fulgent,
* Et media æquatis censentur viribus astra,
* Præcipuosque gerunt varianda ad tempora motus.]
Hac vice discedunt noctes a sidere brumæ,
Tolluntur que dies annique invertitur orbis,
Solstitium tardi quum fit sub sidere Cancri.
Tuncque diem brumæ nox æquat, tempora noctis
Longa dies, similique redit, quam creverat, actu.
Nunc sua reddentur generatim tempora signis,

Decedunt enim eis, quæ antea adcreverant: et quia a fœnore translatio erat, in eadem persistit. Sed Fayus quem sequi malumus hic quatuor versus pro spuriis habet et umittit: ideo nos nec in numerum versuum admisimus. Ed.

* *Respondent pariterque illis*, etc. Isti versus tam constat nobis alienos esse hujus loci, quam incertum unde irrepserint. Loquuntur autem de stellarum situ, et eumdem omnino sensum habent, quem illi in lib. I, 473: «Lignea designat species atque ignibus ignes Respondent, media extremis atque ultima summis Redduntur».

501. *Hac vice discedunt noctes ad sidera brumæ*. Immo *a sidere brumæ*. Res ipsa locuples testis est.

503. *Solstitium tardi quum fit;* alii, *quum sit*. Legi Scal. jubet, *dum fit*. Ita enim semper loquitur.

505. *Similique redit. Similique* et *actu*, scil. impulsione vel motu, nisi mavis *auctu*: quod fortasse præferendum. Hactenus doctrina incrementorum et decrementorum horariorum: quæ neque vera est, neque per unum signum integrum eadem possunt esse incrementa horarum; quod tamen hic decernitur. Quotidie enim mutantur scrupula horaria. At hic solido signo unum idemque decrementum aut incrementum adtribuitur. Post hunc versum retrahenda sunt illa duo capita, quorum prius de horis, alterum de stadiasmo signorum. Prius incipit: *Nec tibi constabunt:* alterum: *Nunc age quot stadiis*. Nam docuit incrementa horarum ab observatione minimæ diei. Sed quomodo observanda sit minima dies, non docuit. Hoc igitur ordine sequi debet. At quam ridicule supra connexum erat cum disputatione in illos instituta, qui binas horas signis adtribuebant. Propter horarum mentionem subditum erat hoc caput antecedenti disputationi, quæ tam convenit illi, quam horologium cum adscensionibus signorum.

506. *Nunc sua reddentur*. Hic prænotabatur lemma in Gemblacensi: *cujus signi quisque annus aut mensis aut dies aut horæ sint*. Quod non male conceptum est. Agit enim Manilius hic de duodecim annis Dodecaeteridos Chaldaicæ, id est, Genethliacæ, cujus quamquam mentio exstat apud Censorinum, tamen hactenus omnibus ignoratam nos primi omnium patefecimus ex Arabum scriptis, in libro secundo de Emendatione tempo-

Quæ divisa etiam proprios ducuntur in annos,
Et menses, lucesque suas, horasque dierum,
Per quæ præcipuas ostendunt singula vires.
Primus erit signi, quo Sol effulserit, annus,
Annum quod lustrans consummat tempora mundi,
Proximus atque alii subeuntia signa sequuntur.
Luna dabit menses, peragit quod menstrua cursum.
Tutelæque suæ primas Horoscopus horas
Adscrit atque dies, traditque sequentibus astris.
Sic annum, mensesque suos natura diesque,

rum. Chaldæi habent generalem et omninm communem, qualem in illo libro produximus. Sed et aliam habent privatarum geniturarum peculiarem, cujus primus annus init ab eo signo, in qun Sol est tempore genituræ; quamquam alii nnn ab eo signn, in quo Sol fuerit, eam instituebant, sed ab eo, in quod Horoscopus inciderit: utriusque sectæ meminit Nnster; et prins illius, quæ incipit ab eo signo, in quo Sol fnit tempore genitnræ. Itaqne si Sol, verbi gratia, fnerit in Leone, primus annus erit Leonis, secundus Virginis, tertius Libræ, et ita deinceps.

507. *Quæ divisa etiam.* Dividuntur in proprios aunos singula, ut primus annus sit Arietis, secundus Tauri, et sic consequenter.

510. *Primus erit signi.* Primus annus Dodecaeteridos Genethliacæ erit cognominis ejns signi, in qun Sol fulserit. Aliquis natus est Sole in Leone positn, ejus Dodecaeteridos Genethliacæ annus primus erit annus Leonis, secundus Virginis, tertius Libræ, et sic deinceps.

511. *Annum quod lustrans.* Sol est dominus temporis annuus, Luna menstruus, Horoscopus diurnus, Planeta horarius. Anni igitur ducatus ad Solem pertinet, ut mensis ad Lnnam, diei ad Horoscopum, horæ ad Planetam. — B. *Annua quod lustrans consumit tempora mundum:* Sol enim lustrat loca, non tempora. Sensus idem.

512. *Proximus atque alii subeuntia signa sequuntur.* Proximus annus, id est, secundus sequitur secundum signum, alii deinceps subeuntia signa ordine. Quanta caligine hæc antea obducta erant? Ergo continuantur ita duodecim anni, donec ad primum signum perventum fuerit, unde prius cœperat Dodecaeteris. Infra etiam meminit, 543: «et exsetis bis sex jam Solibus annus». Orphens scripserat etiam poema apotelesmaticum, cui titulus Dodecaeterides. Ex illis apotelesma citant Grammatici; ubi pronuntiat tamquam Astronomus de quodam, qui illo anno Dodecaeteridos, in illo signo, et illa constellatione nasceretur, fore regem, principem, aut summum virum. Recte autem Manilius de temporum nati ratione subjicit post Horoscopi doctrinam. Nam Horoscopi methodum et or-

Atque ipsas voluit numerari signa per horas :
Omnia ut omne foret divisum tempus in astra,
Perque alterna suos variaret sidera motus,
Ut cujusque vices ageret redeuntis in orbem.
  Idcirco tanta est rerum discordia in ævo,
Et subtexta malis bona sunt, lacrymaque sequuntur
Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem.
Usque adeo permixta fluit, nec permanet usquam,
Amisitque fidem variando cuncta per omnes.
  Non annis anni, non menses mensibus usque,
Conveniunt : seque ipse dies, aliumque requirit.
Horaque non ulli similis producitur horæ.
Tempora quod non stant propriis parentia signis,
Per numeros omnes ævi divisa volautis:

dine et poteutia sequitur temporum locus. Sunt autem duo methodi. In priore quæritur quot aooos victurus sit natus; iu altero quot annos, quot meuses, dies, horas. Nam temporis nomine intelligitur solaris periodus. Ita anoi, mensis, diei, horæ ratio veoit io Horoseopum. Atque hic quidem recte a Manilio servatur. Omnis tamen temporum consideratio sine locis apheticis inutilis ae manca est. Sed hoc reservavit illi libro, quem de stellis errantibus scripserat.

517. *Atque ipsas voluit numerari signa per horas.* Puta in quo signo Horoscopus depreheusus fuerit, id signum denominabitur ab ea hora, vel Plaoeta, cojus hora erat. Nascatur aliquis adscendente Leone, hora Mercurii. Leo prioceps Dodecaeteridis illius oati denominabitur a Mercurio, Virgo a Luna, Libra a Saturno, Scorpius a Jove, et sie deioceps,

519. *Per quæ alterna.* B. *Perque aliena.*

527. *Seque ipse dies aliumque relinquit.* Sic bene Gembl. *aliumque requirit.* Se requirit, et alium. Neque ipse sibi similis videtur, neque alium sibi ipsi similem experitur. Et soperiore versu idem liber habet : « uon meoses mensibus usquam ». — Beutl. dat *aliumque revisit.* Ed.

529. *Tempora consistunt propriisque carentia signis.* Recte olim suspicabamur de vitio hujus loci. Sed non opis homaoæ erat sine ope codicum scriptorum vitium tollere. Præsto fuit Gemblacensis, in quo scriptum erat : « Tempora quod sistant propriis pareotia signis ». Sistere absolute, ut in lib. IV, 549 : « Judex extreoiæ sistet vitæque necisque ». Est verbum substantivum, nisi quis ceuseat legendum : « Tempora quod sic stant propriis pareotia signis ». Sed oihil mutaudum.

Talesque efficiunt vires, casusque minantur,
Qualia sunt, quorum vicibus convertimur, astra.
Sunt quibus et cæli pateat nascentis ab horæ
Sidere, quem memorant Horoscopon, in venturis

531. Scal. male *menses*. Gembl. *casusque minantur*. Et ita quoque editio Lugdunensis.

532. B. *tum vertimur, astra. Convertimur, astra*. Vulgatam lectionem non potest tueri, nisi qui nugari præoptaverit.

533. *Sunt quibus ut cæli*. In Gemblacensi iterum superior titulus repetitur, et oræ marginis adponitur: *cujus signi quoque annus sit*, et recte. Nam de eadem re continuatur sermo, sed diversa sententia. Superior enim sententia incipiebat Dodecaeterida a signo, in quo Sol erat tempore natalitio: hæc vero a signo horoscopante. Tenebræ erant in toto hoc capite, neque quis quo hæc omnia pertinebant magis sciebat antea, quam quid ipsa verba designarent; adeo omnia mendis obsita sunt; præsertim hæc tota perioche, quæ, si quæ alia in Manilio, veterum codicum opem implorabat. Nam humani ingenii vis hic nihil poterat. Gratia codici Gemblacensi; cui hanc restitutionem debemus. Minimam licentiam unius literulæ nobis sumpsimus. Nam *et pateat* pro *ut pateat* legimus. Sunt alii, inquit, quibus constet et exploratum sit, omne ratiocinium anni, mensis et diei deducendum esse a sidere horæ cæli nascentis, quem vocant Horoscopum, et ex eodem capite omne tempus instituendum, propterea quod ab Horoscopo hora sequentibus diebus describitur. Vides summo fulgore tenebras discussas. — *Sunt quibus ut cæli pateant nascentibus*. Non erat opis nostræ hæc emendare sine veteri codice. Gemblacensis itaque habebat: « Sunt quibus ut cæli pateat nascentis ab horæ Sidere, quem memorant Horoscopos ». Sed mendum est in *ut* pro *et*, quod totam sententiam perturbabat, item in *Horoscopos*, quum etiam vulgatæ editiones et Bonincontrii textus *Horoscopon* habeant, et Latinitas ita postulet. — *Sunt quibus et pateat*. Ita restituimus pro *ut pateat*, in quo totius sententiæ cardo versatur. Cætera enim omnia hinc pendent. Sunt, inquit, quibus pateat, et exploratum sit ab Horoscopo omne ratiocinium deducendum esse. Ita nos receptam lectionem excusamus. Sed non dubitamus Manilium scripsisse: « Sunt quibus et placeat ». Neque vero dubitandum eam fuisse auctoris scripturam. Reliqui tamen vulgatam, quia et ipsa constat sibi, et Latina est. — *Cæli nascentis ab horæ Sidere, quod memorant*. Gembl. *quem memorant*. Horoscopus enim, non Horoscopum dicitur; quem Manilius definit horam cæli nascentis. Signum autem horoscopantem definit sidus horæ cæli nascentis. — B. omnino aliter: « Sunt quibus et cæli placeat nascentis ab ortu Parte quod ex illa describitur hora diebus ». Vult enim dodecaeterida deduci ab ortu cæli nascentis. Ed.

534. *Horoscopon in venturis*. Ridicula erant hæc omnia. Distinguen-

Parte quod ex illa describitur hora diebus,
Omne genus rationis agi per tempora et astra,
Et capite ex uno menses, aunosque, diesque
Incipere, atque horas, tradique sequentibus astris:
Et quamquam socia nascuntur origine cuncta,

dum enim: « Horoscopon, in venturis ». Quæ qnis non intelligit nunc? Et quis aotea intelligebat? *in diebus venturis*.

535. *Parte quod ex illa.* Alii male *Parte quoque*. Una vocula sustnlit umne dubiom. Hoc euim plsne vult; quod horæ seqnentis temporis describnntur ah Horoscopo (node vocatur Horoscopus), hora autem est principium omnis temporis: omne igitur tempus ah Horoscopo esse putaodom. Itaque hæc sic connectenda docet: « in venturis Parte quod ex illa describitur hora diebus ». Qnod omnis hora describitur in omni sequenti tempore a parte illa, scilicet Horoscopo: uode et prima Institutione (lib. II, 828): « Unde dies redit, et tempus describit in horas, Hinc inter Graias Horoscopos editur urbes ». Quæ his facem adlucent.

536. *Omne genus rationis agi.* Omne ratiocinium temporis.

537. *Et capit ex uno.* Vestigia prisci archetypi, unde hi inferioris notæ descripti. In eo eoim scriptnm fuit, *Et capitex uno*, nt *partest*, etc. — *Et capite ex uno*. Ex Horoscopo.

538. *Incipit atque horas.* Gemhl. recte *Incipere*. Ita etiam textus Boniucoutrii. — *Traditque sequentibus astris. Tradique.* Ergo nt primus annus Leonis, io quo Horoscopus, secundos Virginis, tertius Libræ fuerit; sic etiam primus mensis Leonis horoscopantis, secundus Virginis, tertius Libræ. Nec minus primus dies Leonis, secundus Virgiois, et hora qnoque similiter, oon autem secuodum priorem sententiam, quæ annum incipiebat a sigoo in quo Sol erat tempore nascentis, menses autem a signo in quo Lnna; diem et horam ab Horoscopo et Planeta in quo Horoscopns: in qno convenit cum altera sententia. Duplex igitur Dodecaeteris Chaldæorum, generalis et particularis. Generalis incipit ab Ariete, ejusque hic annus agitur undecimus, qui erat Christi Dionysiaous 1598, cujus anni undecimi Zodion est Caois; ut habes in Diagrammate. Auno autem Christi 1600 inibit Dodecaeteris, cujus Zodion Mus. Vide quæ nos libro secundo de Emeodatiooe temporum primi de hac re vetnstissima prodidimus. Ea est de qoa Ceosorious memioit. Particularis vero Dodecacteris est cojusqoe genituræ. Qnot enim nati, tot sunt Dodecaeterides istius generis. Sed quia duæ factiones snnt initium ejus intnentinm, duplex quoque ipsa facta est. Nam aut a signo, iu quo Sol est, incipit, aut ab horoscopante. De posteriore igitur nunc tractat Manilius, postqoam de priore egisset. Sed et Paulli Alexandrini de hac posteriore legeoda sunt verba. Ut ipse Manilium, ita Manilius ipsum ioterpretatur.

539. *Et quamquam socia nascuntur*

Diversas tamen esse vices: quod tardius illa,
Hæc citius peragunt orbem: venit omnis ad astrum
Hora die bis, mense dies semel, unus in anno
Mensis, et exactis bis sex jam Solibus annus.
  Difficile est in idem tempus concurrere cuncta,
Unius ut signi pariter sit mensis et annus.
* Asperiorem ut agat mensem: si mensis in astrum
Lætius inciderit, signum sit triste diei:
Si Fortuna diem foveat, sit durior hora.
Idcirco nihil in totum sibi credere fas est;
Non annos signis, menses vertentibus annis,
Mensibus aut luces, aut omnes lucibus horas:
Quod nunc illa nimis properant, nunc illa morantur,
Et modo deest aliis, modo adest, vicibusque recedit,
Aut redit, atque alio mutatur tempore tempus
Interpellatum variata sorte dierum.
  Et quoniam duxi per singula tempora vitæ
* Quod quandoque genus veniat, cujusque sit astri
Quisque annus, cujus mensis simul hora, diesque:
Altera nunc ratio, quæ summam continet ævi,

origine cuncta. Quamquam annus, mensis, dies et hora incipiunt a tempore nascentis, tamen diversæ sunt vices et recursus eorum: quatenus annus tardior mense, mensis die, dies hora.

541. Vid. Excurs. VI ad calcem hujus libri. Ed.

543. *Solibus annus.* Sed vix Soles de mensibus dici possunt. Unde B. reponit *mensibus*.

545. *Unius et signi.* Difficile est, inquit, ut in idem tempus concurrant omnia, ut quum unius signi fuerint annus et mensis, tamen annus asperiorem agat mensem; item ut mensis astrum sit lætius, astrum diei tristius; item ut fortuna diei sit felix, signum horæ durius.

546. *Asperiorem ut agat mensem.* Sed suspectum locum facit Gemblacensis, «Asperioris agam mensem». Profecto locus non est sanus.

556. Vid. Excurs. VII ad calcem hujus libri. B. *Et quoniam docui.* Ed.

557. *Quod quandoque genus.* Sæpe hoc Manilianum genus loquendi adnotavimus: *quod quandoque genus*, quod genus. Nescio an τὸ *venit* sanum sit.

559. *Quæ summam continet ævi.* Ergo et prior pars pertinebat ad summam ævi, et recte hæc illam sequitur.

Reddenda est, quot quæque annos dare signa ferantur.
Quæ tibi, quum finem vitæ per sidera quæris,
Respicienda manet ratio, numerisque notanda.
  Bis quinos annos Aries, unumque triente
Fraudatum dabit: adpositis tu, Taure, duobus
Vincis, sed totidem Geminorum vinceris astro.
Tuque bis octonos, Cancer, binosque trientes:
Bisque novem, Nemeæe, dabis, bessemque sub illis.
Erigone geminatque decem, geminatque trientem.
Nec plures fuerint Libræ, quam Virginis anni.
Scorpios æquabit tribuentem dona Leonem.
Centauri fuerint eadem, quæ munera Cancri.
Ter quinos, Capricorne, dares, si quattuor essent
Adpositi menses. Triplicabit Aquarius annos
Quatuor, et menses vitam producet in octo:
Piscibus ast Aries et sorte et finibus hærens
Lustra decem tribuet Solis cum mensibus octo.
  Nec satis est annos signorum noscere certos,
Ne lateat ratio finem quærentibus ævi.

563. *Unumque trientem Fraudatum*. Lege *triente*. Annus uno triente fraudatns sunt octo menses, ut scis, et patet ex diagrammate.

564. *Adpositis tu, Taure, duobus Vincis*. Nimirum excessus est biennium, ut jam vidimus; cujus adjectione progreditur numerus.

567. *Bisque novem, Nemeæe, dabis*. Recte, si non interpolatum esset. Gemblaceus. detegit mangonium: « Bisque uovem, Nemeæ, tribuis ». Nimirnm *Nemea* legendum. Sic supra, vs. 435, Nemeæus Leo: « Quomodo divisis Nemeæus sibi duxerit horis ». — *Bis sexque sub illis*. Emendavimus jamdum *bissemque sub illis*. Ita scribebant pro *bessem*. Sic apud Persium *trissis agaso* in veteribus libris, apud Varronem *vicissis, ducissis*. Frequentia bæc in veteribus libris.

575. *Piscibus ac Aries*. Lege *ast Aries*. Snpersunt vestigia in Gembl. *Piscibus est Aries*. — Hunc versum et seq. aliter dedit B. « Lanigero Pisces et sorte et finibus hæreut; Lustra duo tribuent solidis cum mensibus octo ».

577. *Nec satis est annos*. Lemma est in Gemblacensi: *quot annos quæque loca tribuant*. — *Nec satis est annos*. Duo membra de tempore vitæ adsnmpsit Manilius, quamvis plura sunt alia. Nam temporum ratio præcipue consideratur aut ex locis, ant ex vi astrorum. Et quidem partem quæ ad vim astrorum

Templa quoque et partes cæli sua munera norunt,
Et proprias tribuunt certo discrimine summas,
Quum bene constiterit stellarum conditus ordo.
  Sed mihi templorum tantum nunc jura canentur:
Mox veniet mixtura suis cum viribus omnis.
Quum bene materies steterit præcognita rerum,
Non interpositis turbabitur undique membris.
  Si bene constiterit primo sub cardine Luna,
Quo redit in terras mundus, nascensque tenebit
Exortum, octonos decies ducetur in annos,
Si duo decedant: at quum sub culmine summo
Consistet, tribus hic numerus fraudabitur annis.

pertinet supra et alibi promisit. Nunc eam, quæ ad locos spectat, exponit.

579. *Templa quoque et partes cæli.* Dodecatopus.

581. *Quum bene constiterit stellarum.* Jubet primum disponere planetarum locos: et tamen nihildum de illis scripserat. Sed promittit.

583. *Mox veniet mixtura suis.* Apotelesmata, quæ docet Manilius, sunt discreta, non mixta, vel simul dominantia.

584. *Fuerit percognita rerum.* Malim *steterit præcognita.* Ita profecto scripsit Manilius.

586. *Si bene constiterit.* Quum χρονοκρατορίας disponerent, et de vitæ longitudine quærerent, locum, in quo erant luminaria, observabant, quem vocabant φωσφορῶντα τόπον, item φωσφορίαν. Ptolemæus certe commendat, et vocat τόπον ἀναγκαιότατον. Porro φωσφορίαν Lunæ præferebant. Nam signum, in quo illa esset, horoscopare dicebant. Et quum tropica signa non solum universaliter, sed et pro ipsa genitura observarent: id signum, in quo Luna esset, Horoscopum vitæ dicebant, et ab eo tropica signa numerabant. Habes igitur rationem, quare præcipue φωσφορίαν Lunæ in hoc negotio requirit. Ponit vero χρόνους βιωσίμους, qui unicuique domicilio competunt, Luna in aliquo eorum posita, ut sint quasi quædam Ferdaria Lunæ. Oriens dat LXXVIII, medium cælum LXXV, occidens LXXVI, imum cælum LXI, occasus summi cæli LXVIII, adscensio imi cæli LXIII, adscensio medii cæli LVII, occasus imi cæli L, adscensio orientis XXIII, adscensio occidentis XIII, occasus occidentis XII. Sed non certioribus rationibus hæc nituntur, quam Ferdariæ Planetarum, de quibus fatetur sapiens Aben Ezra se nihil scire.

587. *Quod redit.* Lege *Quo redit.* Præfert Horoscopum, at Ptolemæus summum cælum. Subtiliora quam veriora; et profecto omnia cuicuimodi sunt vanæ scientiæ. — B. *Qua redit*, ut lib. I, vs. 45: « Qua mundus redit ».

590. *Tribus hic numerus.* Erunt LXXV.

Bis quadragenis occasus dives in actu
Solis erat, numero nisi deesset Olympias una.
Imaque tricenos bis fundamenta per annos
Censentur, bis sex adjectis mensibus ævo.
  Quodque prius natum fuerit, dextrumque trigonum,
Hoc sexagenos tribuit, duplicatque quaternos.
Quod fuerit lævum, prælataque signa sequetur,
Tricenos annos duplicat, tres insuper addit.
Quæque super signum nascens a cardine primum
Tertia forma est, et summo jam proxima cælo,
Hæc ter vicenos geminat, tres abstrahit annos.

591. *Bis quadragenis.* Sic infra, 605: « Dena quater revocat vertentis tempora Solis ». Ita etiam supra dixit. Bis quadragenis annis. — *Bis quadragenis.* Occasus LXXVI. — Huetius legit: « Bis quadragenos occasus dives in actus Solis erat ». Sed recte *quadragenis*, subaudi annis. Dives enim cum ablativo. Sed Bentleius pro *actu Solis* reponit *in ortos Solus erat.* In ortos, id est, in partus suos; solus erat, i. e. solus esset dives 80 annis: nullum enim signum dat supra 78. Ed.

593. *Primaque tricenos.* Lege *Imaque tricenos.* Imum cælum annos LXI.

595. *Quodque prius natum.* Occasus medii cæli. Nona domus annos LXVIII.

597. *Quod fuerit lævum.* Lævum trigoni adscensio imi cæli. Quintus locus annos LXIII, qui est annus climactericus. Firmicus libro IV: « Inter cæteros præterea diametros hoc maxime observandum est, quod septeni anni, ac noveni per omne vitæ tempus multiplicata ratione currentes naturali quadam et latenti ratione variis hominem periculorum discriminibus semper adficiunt. Unde et sexagesimus tertius annus, quia utriusque numeri summam pariter excipit, androdas adpellatus est ». Locus iste Firmici insignis est, et tamen ita depravatus, ut vix dignoscatur, quid velit. Ego primum lego: « Inter cætera primum climacteras maxime observandum est ». Item: « androclas adpellatus est ». Nam ἀνδροκλᾶς dictus, quasi virifragus: quod disertim a Firmico quasi digito indicatur infra: « Hac igitur ex caussa androclas ab Ægyptiis dictus est, quod omnem vitæ substantiam frangat atque debilitet ». His duabus nostris emendationibus postea suffragari vidimus codicem scriptum Jac. Cujacii jurisconsultorum principis. — *Prælataque signa*, id est, præcedentia.

599. *Quæque super signum nascens hoc ordine primum.* Gemblacensis longe melius: cui subscribit textus Bonincontrii: « Quæque super signum nascens a cardine primum Tertia forma est, et summo jam proxima cælo ». Est adscensio summi cæli, annos LVII.

Quæque infra veniet spatio divisa sub æquo,
Per quinquagenas complet sua munera brumas.
Quemque locum superat nascens horoscopus, ille
Dena quater revocat vertentis tempora Solis,
Adcumulatque duos cursus, juvenemque relinquit.
At qui præcedit surgentis cardinis horam,
Vicenos ternosque dabit nascentibus annos,
Vix degustatam rapiens sub flore juventam.
Quod super occasus tentatum est, dena remittit
Annorum spatia, et decimam tribus applicat auctis.
Inferius puerum interimet : bis sexque peracti
Immatura trahent natales corpora morti.
Sed tamen inprimis memori sunt mente notanda,

602. *Quæque infra veniens.* Malim *veniet.* Occasus summi cæli.

604. *Quemque locum superat nascens Horoscopus.* Subscribit Gemblac. Adascensio orientis annos XLII.

607. *At qui præcedit.* Occasus orientis annos XXIII.

610. *Quod super occasus tentatum est.* Adscensio occidens annos XIII. Quid autem reponam pro vitioso *tentatum*, equidem comminisci non potui.—Bene B. « *templum est, hoc dena* remittit Annorum spatia, et decimum tribus ampliat annum ».

612. *Inferius perimet.* Gemblacens. *interius.* Occasus occidens annos XII. — *Bis sexque peractis Immatura trahet natalis.* Tò *natalis* prisce pro *natales.* Ego *peracti* legendum et *trahent morti,* ad mortem, ut « viamque adfectat Olympo », ad Olympum. Gemblacensis habet *corpora morbus.* Totius capitis hujus summam in schema conjecit Scal. cujus exemplum apud illum vid. h. l.

614. *Sed tamen inprimis.* Præibat lemma in Gemblacensi *quæ sint triplicata signa et quas vires habeant.* Sed corruptum est *triplicata* pro *tropica.* Tropicorum nomine quatuor centra mundi intelliguntur; quorum duo proprio nomine tropica, Cancer, Capricornus: duo autem æquinoctialia, Aries, Libra. Tropica, quia in contrarium statum mutant tempora. Contrarii status sunt æstas et hiems, ut calor et frigus. Sed et Manilius ipse infra tropicorum etymologiam habet, vs. 662 : « Quatuor hæc et in arte valent, et tempora vertunt ». Lucan. X, 212: « varii mutator circulus anni ». Quamvis Cicero melius a conversione, quam ad nos facit Sol. Observabant autem Veteres tropica in genituris: quæ si non in genituræ essent, hoc est, si cardines genituræ non incidebant in tropica signa, locum Lunæ observabant, quem φωσφορoῦντα vocabant, et ab eo tropica numerabant. Cicero II de Divinatione, de Chaldæis : « Etenim quum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium Luna moderetur, eaque anim-

Partibus adversis quæ surgunt condita signa,
Divisumque tenent æquo discrimine cælum,
Quæ Tropica adpellant, quod in illis quattuor anni
Tempora vertuntur signis, nodosque resolvunt,
Totumque emittunt converso cardine mundum,
Inducuntque novas operum, rerumque figuras.
Cancer ad æstivæ fulget fastigia Zonæ,
Extenditque diem summum, parvoque recessu
Destruit: ut, quanto fraudavit tempore luces,
In tantum noctes augescat summa per omnes:
Tum Cererem fragili properat distinguere culmo
Campus, et in varias destringunt membra palæstras,
Et tepidum pelagus jactatis languet in undis.

advertant, ac ootent sidera oatalitia Chaldæi, quæcumque Lonæ joncta videantur: ocolorum fallacissimo sensu jodicant ea, quæ ratione atque aoimo videre debebant». Ita alia erunt tropica natura, alia positione. Hinc colligitor, quare Manilius tropica signa post domiciliorum tempora protioua subjecit. Faciunt eoim et illa ad vitæ tempora, quum eorum ratio in geniturio habeatur.

615. *Partibus adversis.* Opposita enim sunt Cancer Capricorno, Libra Arieti.

618. *Nodosque resolvunt.* Centra mundi nodos vocat.

619. *Totumque emittunt.* Tamquam e carceriboa.

622. *Parvoque recessu Destruit.* Vix enim videtur recedere a puncto solstitiali, adeo ut per quadraginta dies parallaxis nulla fere percipiator. Gemions.

623. *Ut quanto fraudavit tempore noctes In tantum luces.* Gemblac. contra: «et qnanto fraudavit tempore luces Io tantum noctes anget», et qoidem optime. Nam in Caocro incipinnt luces decrescere. Sed et textus Booincontrii eamdem lectionem retinet.

625. *Quum Cererem fragili.* Melius Gembl. *Tum Cererem.* Bonincontrii textus *Tunc.* — *Distringere culmo.* Irrepsit ex sequente versu. Legendum vero *distinguere:* quod ab Arato mutoatur ita canente de Sirio: Ῥεῖα γὰρ οὖν ἔκρινε διὰ στίχας ὀξὺς ἀΐξας· «Exoriensque suo distinguit sidere culmos». Ita Maniliane. Potes aliter: «Atqoe suo vehemens segetes discriminat ortu». Recte Germanicoa, Arat. Phæn. vs. 335: «accenditur æstas, Disceroitque orto». Distinguuntor segetes, qoum interflavescunt ad maturitatem properantes. Nam aliter interpretari est meræ inscitiæ.

626. *Et in varias destringunt.* Ita etiam olim legebamoa Mart. XIV, 51, 1: «curvo destringere ferro».

627. *Et tepidum pelagus jactatis languet in undis.* Nolim mutari,

Tunc et bella fero tractantur Marte cruenta,
Nec Scythiam defendit hiems. Germania sicca
Jam tellure fugit, Nilusque tumescit in arva.
Hic rerum status est, Cancri quum sidere Phœbus
Solstitium facit, et summo versatur Olympo.
Parte ex adversa brumam Capricornus inertem
Per minimas cogit luces, et maxima noctis
Tempora, producitque diem, tenebrasque resolvit:
Inque vicem nunc damna facit, nunc tempora supplet.

quamquam Gemblacensis habet: «Et trepidum pelagus jactatum languet in undas». — B. vero rogat, quomodo *jactatis undis*, tempore solstitii? contrarium enim verum est. Reponit *siccatis languet in undis*. Similiter v. 211, sub ortu Caniculæ: «Dimicat in cineres orbis, fatumque supremum Sortitur, languetque suis Neptunus in undis». *Siccatis* autem *undis*, ut I, 163: «Et siccata magis strinxerunt æquora terræ», ubi sententia clara. Nam quo magis aqua exhalans et rarescens in aera secessit, et eam ob caussam magis siccata æquora, in cavas convalles secesserunt; ideo tandem, terra stringente, orbis terræ exsiliit. Ovid. Met. XV, 245: «resolutaque tellus In liquidas rorescit aquas; tenuatus in auras Aeraque humor abit». Huetius autem legi jubebat: «Siccatasque magis strinxerunt æquora terras». Sed vir summus hic in perversum sensum incidit, cui volebat mederi. Si enim æquora magis magisque terras strinxissent, eo tardius, immo numquam terra arida emersisset. Non male quoque hic reponi possit *tenuatis languet in undis*, ex loco Ovidii supra adlato. Ed.

630. *Jam tellure fugit*. Vagatur exsiccato solo; quod hieme ea loca aquis operiantur. — *Nilusque tumescit in auras*. Lege *in arva*. Diversus error supra: «Musamque inducit in arva». Ubi legebatur *in auras*. Noster autem alibi, IV, 752: «Nilusque tumescens In Cancrum, et tellus Ægyptia jussa natare». Quum igitur et nunc de Cancro loquatur, quo imperante inundationes Ægypti fiunt, conjicere potes scribendum: «Nilusque tumescit in astrum». Ed.

631. Gembl. *Hic iterum situs est*. Lege: «Hic rerum status est, Cancri quum sidere, etc.» Manifesta lectio, nisi quis forte ad ejus lucem caliget, ut nocturni oculi.

632. B. habet *et summo vectatur Olympo*. Sic enim V, 9: «omnia circum Sidera vectatum, et toto discurrere cælo». Ed.

633. B. habet *brumæ Capricornus inertis*, et sic quatuor vett. codd. Quid sit *cogit brumam* B. non intelligit, unde vs. seq. reponit *Per minimas surgit luces*. Ed.

634. Olim *Per minimas cogit noctes*. Immo contrarium: «Per minimas cogit luces et maxima noctis Tempora». Ita olim emendavimus. Ita etiam Gemblacensis.

636. *Damna facit*. Gembl. *damna legit*. Haud scio an bene.

Tunc riget omnis ager, clausum mare, condita castra.
Nec tolerant medias hiemes sudantia saxa.
Statque uno natura loco, paullumque quiescit.
Proxima in effectu similes referentia motus
Esse ferunt noctes æquantia signa diebus.
Namque Aries Phœbum repetentem sidera Cancri
Inter principium reditus, finemque coercet,
Tempora diviso jungens concordia mundo:
Convertitque vices, victumque ad sidera brumæ
Exsuperare diem jubet, et succumbere noctes,
Æstivi donec veniant ad sidera Cancri.
Tunc primum miti pelagus consternitur unda,
Et varios audet flores emittere Tellus.
Tunc pecudum volucrumque genus per pabula læta
In venerem partumque ruit, totumque canora
Voce nemus loquitur, frondemque virescit in omnem.

636. *Tunc riget omnis ager.* Gemblac. *Tunc fugit.* — *Clausum mare.* Et supra : « Tum subeunt Hædi claudentes sidere pontum ». Vide Vegetium. — *Condita castra.* Hiberna militum.

639. *Statque uno natura loco.* Et hic quoque stationem Solis in Capricorni partibus intelligendam Geminus testatur : non quod revera sit, sed quod videatur vix per quadraginta dies nox decrescere. Veteres illi serio credebant. Sane sensus ipse non aliter judicat, sed ratio non patitur. Ex hac theoria pendet ratio Antisciorum Manilii, ut suo loco demonstratum est.

640. *Proxima in effectu similes.* Etiam adtestatur Gemblacensis, in quo scriptum : « Proxima in effectum et similes referentia motus ». — B. *Proxima in effectu et similes.*

641. *Esse ferunt luces.* Hic error qui supra, *luces* pro *noctes.* — Sed libri omnes habent *luces*, cum quo *diebus* ineptum est. Unde B. reponit *Esse ferunt luces æquantia signa tenebris.* En.

643. *Inter principium reditus finemque coercet.* Propterea Cicero in Arateis nodum mundi vocat ; quia scilicet apud Aratum δεσμὸν ἐπουράνιον legerat, non, ut hodie editur, ὑπουράνιον. Sequitur vero : « Tempora diviso jungens concordia mundo ». Nam ea divisio mundi dicitur nodus cælestis. Aliter locum hunc capere non potes.

645. B. *victumque a sidere.*

651. *In venerem partumque ruit.* Quibusdam displicuit *ruere in partum ;* immo inutilem repetitionem pronuntiantes, conjiciebant : « in venerem pastumque », e Virgil. Georg. IV, 434 : « Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit ». Sed

Viribus in tantum segnis natura movetur.
 Huic ex adverso simili cum sorte refulget
Libra, diem noctemque pari cum fœdere ducens;
Tantum, quo victas usque ad se vincere noctes
Ex ipsa jubet ad brumam, quum tempora vincunt.
Tum Liber gravida descendit plenus ab ulmo,
Pinguiaque impressis despumant musta racemis.
Mandant et sulcis Cererem, dum terra tepore
Autumni resoluta patet, dum semina ducit.
 Quattuor hæc et in arte valent, ut tempora vertunt
Sic hos aut illos rerum flectentia casus,
Nec quidquam in prima patientia sede manere.
 Sed non per totas æqua est versura figuras,

male hoc, nam *pabula* præcessit, et eleganter ac more poetico *venerem* et *partum* junguntur. Ed.

653. *Viribus in tantum signis. Segnis*, ut olim emendabamus. Adprobat Gembl. Est epiphonema. Segnem naturam sub bruma quare dixerit, patet ex illo: « Statque uno natura loco, paullumque quiescit ». — B. pro *segnis* reponit *deses :* quippe *segnis* est, qui perpetuo sic est; *deses*, qui tunc otiatur, alioquin operi habilis. Virg. Æn. VI, 813: « residesque movebit Tullus in arma viros ». Ed.

656. *Tantum, quo*, etc. Hæc videntur mendosa : quid est, *tempora vincunt ?* Fortasse « Tantum quod solitas usque ad se vincere luces Ex ipsa jubet ad brumalia tempora vinci ». B. Sed propius ad librorum scripturam : « Tantum quod victas usque ad se vincere noctes Ex ipsa jubet ad brumam quum tempora vertit ». Ed.

657. *Ex ipsa jubet ad brumam.* Etiam Gemblacensis habet *ad*, non *ac :* « Ex ipsa jubet ad brumam, quum tempora vincunt ». Quousque, inquit, Libra noctes victas usque ad se (ad initium scilicet Libræ), vice versa jubet vincere usque ad initium Capricorni, ubi brumæ sidus conficitur. — *Ad brumam.* Gemblacensis : « ad brumæ tum tempora vincit ». Male, meo judicio.

662. *Ut tempora.* Alii, *et tempora.*

665. *Sed non per totas.* Præibat lemma in Gemblacensi : *quæ partes in quatuor signis tropicæ sint.* Vere quidem, sed importune : non enim hic ulla sectio capitis esse debet. Alioquin infinitæ sectiones esse debebant. — *Sed non per totas æqua est mensura figuras.* Gemblacensis rectissime *versura* pro *mensura*. Nam versura est τροπή· unde tropica dicta : καμπτὴρ in metis Circensibus et τροπὴ idem. *Versuram* in porticibus dixit Vitruvius, quam *vorsoriam* Plautus. Quando ad nos a Capricorni principio redit Sol, tunc ad nos dicitur capere vorsoriam aut versuram. Ait igitur ne ipsorum

Omnia nec plenis vertuntur sidera signis.
Una dies sub utroque æquat sibi tempore noctem,
Dum Libra, atque Aries autumnum, verque figurant.
Una dies toto Cancri longissima signo,
Quoi nox æqualis Capricorni sidere fertur.
Cætera nunc urgent vicibus, nunc tempore cedunt.
Una ergo in Tropicis pars est cernenda figuris,
Quæ moveat mundum, quæ rerum tempora mutet,
Fata novet, consulta alios declinet in usus,

quidem tropicorum inter se similitudinem esse. Nam tropicorum signorum quatuor duo tantum sunt vere tropica, reliqua duo æquinoctialia. Simile, inquit, aut commune inter se habent, quod vertant tempora: dissimile, quod diversa tempora faciant æquinoctialia a tropicis. Communis, inquam, ipsa versura, sive τροπή· sed ipsæ versuræ dissimiles inter se.

666. *Omnia nec plenis flectuntur sidera signis.* B. Et hic quoque Gemblacensia jure merito habet, *vertuntur sidera.* Dixit enim *versura.*

669. *Una dies toto Cancri longissima signo.* Geminus hanc quidem opinionem priscorum fuisse monet, ut in toto signo Capricorni brumam, in toto Cancri Solstitium confieri putarent. Nos ex illa opinione Antiscia Veterum manasse, et Lucanum eos sequutum fuisse indicavimus. Hoc, inquam, persuasum fuit priscis illis. Sed hoc non vult Manilius. De una tantum die longissima in toto Cancri sidere loquitur, non de omnibus illius sideris diebus. De prima tantum die Cancri, vel, ut alii, de octava: quandoquidem nonnulli solstitium in octava parte Cancri fieri putabant. Propterea infra concludit: « Una ergo in tropicis pars est cernenda figuris, Quæ moveat mundum, quæ rerum tempora mutet ». Una dies brumæ, una solstitii, non tota sidera: una utrinsque æquinoctii, non totum sidus Arietis aut Libræ. Sed et illi Veteres non quando Sol Arietem ingreditur, tunc ver confici credebant: neque Solstitium, quando primam partem Cancri iuiret. Apud Columellam enim, Ovidium, et auctorem parapegmatis a Leonico conversi, ver multis diebus ante ingressum Solis in Arietem notatum est, et Solstitium longe ante quam Sol primam partem Cancri tangat. Cui conseutaneum, quod ea tempora in octavis signorum confieri putarent.

675. *Fata novet.* Gemblacensis *Facta movens consulta.* Non sequimur. Non possumus mutare sententiam in iis, quæ olim sic legebamus. Sane hæc et Maniliana sunt et elegantissima. Ineptos et barbaros codices nihil moramur. B. *Facta novet*, et opponit *facta consultis*, ut apud Sallustium, Cat. I: « Nam et priusquam incipias, consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est ». Ed. — *Consulta alios.* Consulta, quæ decreta vocat Firmicus, apotelesmata.

Momina in adversum flectat, rursusque revolvat.
Has quidam vires octava in parte reponunt.
Sunt quibus esse placet decimam : nec defuit auctor,
Qui primæ momenta daret frenosque dierum.

676. *Momina in adversum.* Reposuimus *Momina* pro *Omnia :* quod nomen plurifariam in hoc scriptore depravatum fuit.

678. *Esse placet decimam.* Male Scal. *decimas.* Sententia est: Sunt quibus placet decimam partem esse, quæ solstitii punctum facit. *Decimam*, ut *octava, primæ.* Ed.

679. *Qui primæ momenta darent.* Non defuit, qui æquinoctia et solstitia in partibus signorum, alius, qui in octavis, alius in decimis confieri putarent. Et sane primum Sosigenes putavit solstitia confici in octavis partibus, idque patet ex Juliani anni dispositione, quæ ab ipso facta est, quum octavas partes in kalendis mensium poneret, Arietis quidem in kalendis Aprilis, Cancri kalendis Quintilibus, Libræ kalendis Octobribus, Capricorni kalendis Januarii. Sed post cædem Cæsaris ter mutavit sententiam trinis commentationibus dubitationem potius suam, quam rei scientiam professus. Non dubium est, quin corrigens sese illa tempora non in octavis, ut antea, sed in primis partibus confici existimarit. Nam vetustissima est epoche æquinoctiorum et solstitiorum in octavis partibus signorum, ducentis annis ut minimum ante primam Olympiadem, si rem propius putemus. Sed de his in libris de Emendatione temporum. — *Frenosque dierum.* Quibus tamquam habenis Sol nunc relaxat, nunc in gyrum diem cogit, relaxat in solstitio, cogit in bruma. Propterea cardines nodos vocavit supra.

EXCURSUS I

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 272.

> Qua rigat æstivus gradibus.

Profecto legendum:

> Quas rigat æstivis gravidus torrentibus amnis
> Nilus.

Nilum gravidum æstivis torrentibus dicit ex opinione eorum, qui putant incrementa Nili ex torrentibus Æthiopiæ fieri: quod et multi Veterum scripserunt, et verum est. Quod hic *gradibus* scriptum fuit, adtribuendum vitiosæ consuetudini scribentium *grabibus* pro *gravibus*. Alioqui si voluissem esse stultorum more molestus, somniassem gradus τοῦ νειλοσκοπίου, qui in columna scalpti erant: et futilem conjecturam mihi blanditam pro vera accepissem. Sed quod dicit:

> Atque hæc est illas cæli mensura per oras,
> Quas rigat, etc.

Fugit Nostrum ratio. Non enim mensura diei maximæ in Ægypto est horarum æquinoctialium 14, 30′, sed ea maxima dies est in regionibus, in quibus polus adtollitur ad grad. 36, et usque ad partes Græciæ. Nam si rationem propius putemus, dies maxima Alexandriæ est hor. 14, 1′, 12″. Ejus enim arcus maximus diurnus est grad. 210, 18′. At hæc mensura, quam ponit Noster, est Cnidi et Rhodi: quod et me tacente loquuntur Plinius, Ptolemæus, alii. Cnidi maximæ diei arcus est graduum 216, 50′, hoc est, horarum 14, 27′, 20″, quod parum differt ab hoc modo horario.

Quæ de sphæra mundi et horariis rationibus docet Manilius, omnia ex Eudoxo hausit. Omnes enim sphæræ Græcorum ad inclinationem 36 grad. fabricabantur, ut testatur Leontius Mechanicus, nimirum ad circulum Arcticum Cnidi, ubi Eudoxus suum Speculum scripsit, quæ et erat ejus patria. Neque solum in patria sua Cnido, sed etiam in Cyzicenis et Hellesponti tractibus scripsit. Quum esset in patria sua et Speculum scriberet, polum ibi adtolli dicebat ad VI partes, qualium XV quadrans circuli esset. Sic quum esset in Hellesponto, aut in Cyziceni partibus, maximam diem ad minimam eam habere rationem dixit, quam quinque ad tria; quod distinguere nescivit Aratus, qui Arcticum definit capite Draconis, hoc est, 37 grad. a polo: diem autem maximam ad minimam rationem habere dicit, quam quinque ad tria: quæ non possunt convenire illis tractibus, in quibus polus ad 37, sed in quibus ad 41 grad. adtollitur. In Hellesponti partibus diu degisse et summo in honore fuisse scribit et Laertius. Itaque in patria sua Speculum scribens ortus et occasus stellarum designat aliter ac in alio opere, quum esset in partibus Cyzici. Diversi enim horizontes sunt, discrimine graduum quinque et amplius. Non igitur in eodem tempore oritur Arcturus Cnidi, quo in Hellesponto, et Cyzici partibus. Sed unde Nostro tam insignis hallucinatio, ut adtribuat Ægypti partibus, quod Cnido aut Rhodo convenit? Dicam vere. Eudoxus cum Platone diu inter Ægyptios sacerdotes versatus, penes quos adservabantur arcana astronomiæ, tandem ea, quæ ab illis didicerat, popularibus suis publicavit, et hanc Ægyptiorum non suam doctrinam esse testatus est. Laertius de scriptis Eudoxi: οἱ δὲ γεγραφέναι μὲν Αἰγυπτίους τῇ αὐτῶν φωνῇ· τοῦτον δὲ μεθερμηνεύσαντα ἐκδοῦναι τοῖς Ἕλλησι. Quæ igitur ex Eudoxo citabantur, Græci Ægyptiacam, Latini barbaricam rationem vocabant. Quia vero omnia ab Eudoxo scripta Ægyptiacam doctrinam esse putavit Manilius, etiam quæ de patria sua intelligebat Eudoxus, ea is de Ægypto accipienda esse pu-

tavit. Hæc erroris ansa Manilio fuit. Nisi dixerimus climata Ægypti et Rhodi confundi solita a Veteribus illis. Nam Firmicus eamdem mensuram maximæ diei adtribuit climati primo, id est, Ægypti, et secundo, id est, Babylonio et vicinis regionibus. Vise locum libro primo, cap. 13 : « In climate primo, hoc est, Æthiopiæ ». Repone ex manuscripto : « hoc est, Alexandriæ, etc. » Hæc ratio melior priore.

EXCURSUS II

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 279.

Dena quater stadia. In hac æquabili ratione adscensio Leonis est semper sexta pars arcus diurni maximi, adscensio Tauri item sextans arcus minimi diurni. Ergo inter se habent rationem, quam maxima dies ad minimam, per XII quinti Elementi Euclidis. Adscensio Leonis 72 stadia. Adscensio Tauri 48. Quæ habent inter se rationem, quam tria ad duo. In hoc igitur tractu, in quo collecti sunt isti stadiasmi, maxima dies est hor. 14, 24′, minima 9, 36′. Quæ omnia congruunt superiori exemplo, minimo discrimine, utpote 6 scrupulorum. Porro dedimus tibi diagramma horum stadiasmorum cum horis, quas assignat Manilius. Adjecimus cumulum gradus ipsos, quibus non utitur Manilius. Ergo insistamus viam, quam supra nobis præbuit Manilius. In omni collectione anaphoricorum temporum aut graduum, summa omnium semper componit semicirculum. Ut hic ex gradibus componitur semicirculus 180 graduum, stadiorum vero 360. Ergo totus circulus est stadiorum 720. Ratio, ut diximus, maximæ diei ad minimam,

vel adscensionis Leonis ad Taurum, est ut tria ad duo: sectis 720 in rationem trium ad duo, habemus 432 pro arcu maximæ diei, 288 pro arcu minimæ: sexta pars utriusque, 72 quidem erit Leoni adtribuenda, 48 autem Tauro. Differentia utriusque 24, triens 8: qui erit excessus hujus progressionis, ut detractus quidem semel ex 48 det 40 adscensionem Arietis, additus autem semper det reliquas. Ita secto semicirculo horario in horas 12 æquinoctiales, vel 1440 scrupula in eamdem rationem, habebimus scrupula 864 pro arcu maximo, 576 pro minimo: sexta utriusque pars scrupul. 144, sive hor. 2, 24′ pro Leone, scrupula 96, vel hor. 1, 36′, pro Tauro. Differentia 48 scrupula. Triens 16 scrup. qui est excessus. Nemo negaverit antea et methodum Manilianam, et stadiasmos ignorata fuisse. — *Dena quater stadia.* Hic circulus est stadiorum 720 in elevatione Cnidi aut Rhodi. Supra erat 320 in elevatione Romæ. Ergo ratio stadiasmi arbitraria fuit. Quia ratio maximæ diei ad minimam est ut tria ad duo, ergo numerus erit quinque: et proinde quinarius cum 144 multiplicatus est ad commodiorem methodum. — *Duplicataque ducit Quum cadit.* Signa oblique orientia recte cadunt et contra. Aries oblique oritur: ergo recte occidit. Signi cujusvis occasus est æqualis ortui signi oppositi, et contra. In Cnidio tractu Aries oritur grad. 19, 24′. Libra grad. 36, 34′. Ergo Libræ ortus est æqualis occasui Arietis in hoc stadiasmo. Aries oritur stadiis 40, Libra 80. Ergo 80 stadiis occidit Aries.

EXCURSUS III

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 327.

Denique ut in proprias. Olim male *dena quod.* Hæc etiam lectio imposuit Bonincontrio, ut de denis signis nugaretur. Caveant studiosi ab illius interpretis inscitia; quam non exprobro homini, sed illam metuo parum cautis adolescentibus. Et præterea sæculum suum, et multa alia tam eum ab insectatione tutum præstant, quam inscitiæ convincerent, qui tali interpreti fidem adhiberent.

Hactenus Manilius magnis molitionibus horoscopi sui methodum eruit; cujus nos exemplum quoque dabimus, siquidem prius, quod antea nos polliceri meminimus, præcepta doctrinæ Manilianæ, et quidem eo fere ordine, quo ipse docuit, collegerimus.

PRÆCEPTA DOCTRINÆ MANILIANÆ.

I. *Dodecatemorion signi aut planetæ invenire.*

Partem datam signi, in quo planeta fuerit, duc duodecies. Tricenas distribue in omnia signa, initio ducto ab eo, in quo Sol fuerit. In quo signo desinet numerus, ibi est Dodecatemorion signi aut planetæ: per illud:

> Quacumque in parti nascentum tempore Luna
> Constiterit. 51, 23.

Aliter. Partem datam signi per $2\frac{1}{2}$ divide. Numeros in signa distribue, initio, ut antea, facto ab eo signo, in quo Sol fuerit: per illud:

> Nam quum tricenas per partes sidera constent,
> Rursus bisseuis numerus diducitur omnis. 50, 26.

II. *Dodecatemorion Lunæ per posteriorem modum indagare.*

Vide quot tricenarios Luna distet a Sole. Omnibus tricenariis deductis, reliquos numeros per $2\frac{1}{2}$ divisos distribue in signa, initio facto ab eo signo, in quo Luna fuerit. Ubi consistet numerus, ibi est Dodecatemorion Lunæ: per illud:

Proxima tricenas partes sententia ducit. 51, 28.

III. *Dodecatemorion Dodecatemorii invenire.*

A parte signi data numera deinceps gradus semisses quinque. Primum dimidium gradum da ei planetæ, in cujus terminum inciderit pars signi proposita : secundum dimidium gradum sequenti planetæ : et ita deinceps. In quo planeta quintus dimidius gradus consistet, in ejus finibus est Dodecatemorion Dodecatemorii.

IV. *Sortem Fortunæ in diurna genitura indagare.*

Distantiam Solis a Luna numera incipiens ab Horoscopo per consequentiam signorum. Ubi consistet numerus, ibi est Sors Fortunæ in genitura diurna : per illud :

Tunc si forte dies nascentem exceperit alma. 65, 3.

V. *Sortem Fortunæ in nocturna genitura invenire.*

Distantiam Lunæ a Sole numera incipiens ab Horoscopo per antecedentia. Reliqua, ut supra : per illud :

At quum obducta nigris nox orbem texerit alis. 65, 10.

VI. *Horariorum temporum adscensionalium excessum invenire.*

Accipe trientem sextæ partis differentiæ maximi et minimi arcus diurni horarii: per illud :

Quod discrimen erit, per tres id divide partes. 70, 2.

VII. *Adscensionum signorum horaria tempora colligere.*

Habeas excessum per antecedens. Abjice a sextante minimi arcus diurni. Ipsa est adscensio Arietis. Deinde per adjectionem excessus, habebis adscensiones horarias reliquorum quinque ad initium Libræ: per illud:

> Tertia ut accedat Geminis, quæ tempora Tauro
> Vinciat. 70, 3.

VIII. *Excessum stadiasmi anaphorici invenire.*

Numerum stadiasmi seca in rationem maximæ et minimæ diei. Triens sextæ partis differentiæ utriusque rationis est excessus stadiasmi anaphorici: per illud:

> Quodque hanc exsuperat partem, superatur ab illa. 70, 24.

IX. *Stadiasmum adscensionum colligere.*

Excessum per antecedens repertum abjice a sexta parte numeri minimæ diei respondentis. Is erit stadiasmus Arietis. In reliquis perge per adjectionem excessus, ut in horariis temporibus adscensionum: per illud:

> Hæc erit horarum ratio ducenda per orbem. 70, 14.

X. *Incrementum dierum colligere in quadrante hiberno.*

Sextam partem differentiæ minimæ et æquinoctialis diei adjice diei minimæ. Aggregatum est tempus horarium finis Capricorni. Tempori Capricorni adjice tertiam partem ejusdem differentiæ. Aggregatur tempus horarium finis Aquarii. Cui rursus adjiciatur dimidium differentiæ. Aggregabitur finis Piscium: per illud:

> Principio capienda tibi est mensura diei. 71, 12.

XI. *Incrementa dierum colligere in quadrante verno.*

Aggregato fini Piscium adde rursus dimidium differentiæ pro tempore horario finis Arietis. Tempori horario Arie-

tis adde trientem differentiæ pro fine Tauri. Denique aggregato Tauri adjice sextantem differentiæ. Colligitur tempus horarium finis Geminorum : per illud :

> Namque Aries totidem deducit noctibus horas. 71, 32.

XII. *Decrementa dierum colligere in quadrante æstivo.*

De tempore horario finis Geminorum detrahe sextantem differentiæ pro tempore horario finis Cancri. De tempore horario Cancri detrahe trientem differentiæ pro tempore finis Leonis. Denique de tempore horario finis Leonis detrahe dimidium differentiæ pro tempore horario finis Virginis : per illud :

> Rursus et incipiunt propria de sorte diebus
> Cedere. 72, 4.

XIII. *Decrementa dierum colligere in quadrante autumnali.*

Tempori horario finis Virginis detrahe dimidium differentiæ pro tempore horario finis Libræ. Tempori horario Libræ detrahe trientem differentiæ pro tempore finis Scorpii. Tempori Scorpii detrahe sextantem differentiæ pro tempore horario finis Sagittarii : per idem.

XIV. *Data hora genituræ horoscopum indagare.*

Ab horis absolutis abjice adscensiones signorum per VII præceptum collectas, quantum opus erit, initio a loco solis facto. Ubi numerus consistet, ibi est Horoscopus : per illud :

> .... quum liceat certis surgentia signa
> Ducere temporibus. 73, 31.

XV. *Horoscopum per modum agyrtarum genethliacorum invenire.*

Horis datis in XV ductis adjice gradus, quos Sol peregit in signo, siquidem in principio signi non fuerit. Summam graduum aggregatam computa a principio signi. Ubi con-

sistet numerus, ibi est Horoscopus Genethliacorum Æruscatorum: per illud:

Illa etiam poterit nascens via ducere ad astrum. 74, 2.

Ut igitur ad methodum Horoscopi veniamus, adsumatur elevatio poli graduum 44, locus Solis 22 gr. Arietis. In data elevatione, maxima dies est hor. 15, 18′. Igitur per præceptum VII, construatur tabella anaphoricorum temporum. Duplex fiat. In priore parte adscensiones Manilianæ methodi, in altera castigatæ ponantur. Utraque pagina trinis versibus constet. In primo gradus, in secundo horaria adscensionum tempora, in tertio tricesima temporis anaphorici collocentur, ut ex ea canon adscensionalis construatur, ut patet ex ipso canone adscensionali. De gradibus adscensionum nulla facta a Manilio mentio. Sed nos ideo adposuimus, ut et suis horariis temporibus responderent, et cum castigatis gradibus comparari possent. Rursus per præcepta X, XI, XII, XIII, canon horarius fiat triplici versu: in primo esto arcus diurnus methodi Manilianæ. In secundo duodecima arcus, sive hora temporaria, vel civilis. In tertio arcus diurnus castigatus respondens principio signi, cui e regione oppositus est. Arcum vero horarium nocturnum si quis volet, accipiat signi oppositi arcum diurnum, ut et mediocriter docti sciunt. Exemplum: Arcus diurnus Leonis est 13, 39′, oppositi signi arcus diurnus, nempe Aquarii, est 10, 21′, qui erit arcus nocturnus Leonis. Et vicissim arcus diurnus Leonis est arcus nocturnus Aquarii: vel aliter: arcus diurnus Leonis 13, 39′ de 24 deductus relinquit arcum nocturnum Leonis 10, 21′ æqualem arcui diurno Aquarii signi Leoni oppositi. Quod autem integro Dodecatemorio unum tantum arcum horarium adtribuerimus, quum per singulos tamen dies varient horaria momenta, id fecimus ex ipsius Manilii præscripto, qui illos Veteres sequutus horas per Dodecatemoria, non per singulos dies variare credebant. Ideo in Kalendariis notabant, illo mense hora

est tot pedum, mensis tot horarum : ut habes in kalendariis rusticis Romanis, et apud Palladium. Sic etiam, ut alibi tetigimus, solstitium per totum Cancrum, brumam per totum Capricornum committi putabant. Et quia maledicentiæ propter illam animadversionem olim vapulavimus, ne iterum nobis idem contingat, de horario arcu idem monere visum est, si modo istis mathematicis hoc satisfacere potest. Denique construatur canon ex tricesima temporum adscensionalium, sextuplici versu, ut canon indicat, cum linea graduum triginta; quos reticuit Manilius, quia vulgo notum erat gradus singulos respondere tricesimæ unicuique, cui adpositi erant. His ita constitutis, esto quidam natus in dato climate 44 graduum, hora nocturna temporaria $7\frac{4}{5}$ fere, Sole in 22 Arietis posito. In canone horario arcus diurnus Leonis est hor. 13, 39'. Nocturnus igitur, per ea, quæ demonstrata, erit 10, 21'. Hora temporaria respondet horis æquinoctialibus, 0, 51, 45'. Igitur horæ temporariæ $7\frac{4}{5}$ respondebunt horis æquinoctialibus 6, 43', 39", cum quibus si componitur arcus diurnus 13, 39', fient horæ 20, 22', 39" : quibus denique adjice ex canone adscensionali tricesimas collectas respondentes gradui 21 Arietis, quem jam Sol peregit : nempe hor. 1, 47', 6". Fiet omne tempus ab ortu Solis, ad tempus geniture propositæ, horarum æquinoctialium 22, 9', 45", id est, 22, 10' fere. Jam ab initio Leonis, in quo Sol est, numera omnia tempora horaria adscensionum, donec aut numerum propositum consummaveris, aut proxime minorem adeptus fueris. Ab adscensione igitur Leonis hor. 2, 33', 0", ad initium Cancri, conflantur horæ 21, 49', quæ deductæ de hor. 22, 10', relinquunt hor. 0, 20', post adscensionem Geminorum. Ergo pertinent ad Cancrum. Ideo quæro 0, 20', aut proxime majorem numerum in area canonis, sub nota Cancri. Et occurrunt 0, 21', 50" e regione gradus v. Aio igitur horoscopum esse in quinto gradu Cancri, per XIIII præceptum. Itaque a simili parte reliquorum Signorum sequentes τόποι Thematis insti-

tuentur. Nam modum inæqualem adhuc non norant: quum ipse Manilius thema Sortis Fortunæ per similes signorum partes construi præcipiat. Instituto themate, reliqua præcepta μεθοδεύειν licet. Luna est in 27 Sagittarii. Ergo Dodecatemorion Lunæ est in 24 Piscium per I præceptum. Ita de reliquorum planetarum Dodecatemoriis. Rursus Dodecatemorion Lunæ, per posteriorem modum, est in 18 Piscium, per II præceptum. Horoscopus est in termino, sive finibus Martis, utpote in quinto gradu Cancri. Ergo ejus Dodecatemorion Dodecatemorii cadet in fines Lunæ in dimidia parte gradus XII Cancri, hoc est, in 11, 30′, 69″, per III præceptum. Denique per V præceptum, Sors Fortunæ deprehenditur in 9, 42′, sive in 10 Arietis. Itaque eodem modo aliud thema instituetur, quod Athlorum vocatur, cujus Horoscopus est Sors Fortunæ. Ex quo poteris sententiam eorum refellere, qui ubi Manilius περὶ τῆς δωδεκατόπου τῶν ἄθλων agit, ipsi putarunt de themate genituræ intelligendum. Atqui tantum discrepat thema Athlorum a themate natalitio, quantum horologium ab analemmate. Nam thema genituræ instituebatur quidem ad apotelesmata et κρίσιν hominis nati, sed præcipue ad Sortem Fortunæ indagandam. At ex themate Athlorum omnis doctrina apotelesmatum pendebat. Hæc est methodus Horoscopi illorum Veterum, quæ castigabat imperitiam Æruscatorum Genethliacorum, qui eodem quidem modo Horoscopum eruebant, sed binas horas singulis signis adtribuebant. Ut illam delirationem confutavit hic modus, quo utitur Manilius, ita ipse castigatione indigebat. Ut enim alia taceam, in dato tempore et hora genituræ Cancer signum horoscopans est τῶν προςασσόντων. Nam τὰ προςάσσοντα dicuntur, ut alibi monemus, et satis vulgatum est, signa sex a principio Arietis ad principium Libræ. Reliqua vocantur ὑπακούοντα. Quum igitur signum horoscopans fuerit τῶν προςασσόντων, quadrans ἀπηλιωτικὸς, hoc est, intervallum a medio cælo, ad Horoscopum, est major nonaginta gradibus, hoc est, signum horoscopans est quintum

a signo culminante. Contra minor est nonaginta gradibus, si fuerit τῶν ὑπακουόντων, hoc est, signum horoscopans tertium est a culminante. Ergo, quum Horoscopus hujus genituræ in signum, quod est τῶν προςασσόντων, inciderit, τὸ τεταρτημόριον ἀπηλιωτικὸν est majus 90 gradibus: quod verum est. Culminabit enim x gradus Piscium in data elevatione, oriente quinta Cancri. Ergo tetrans ἀπηλιωτικὸς erit graduum 115, hoc est, horarum 7, 40′. Atqui si ex canone adscensionali putare velimus totidem horas et scrupula a decima Piscium, numerus desinet in 5 Arietis. Ergo Horoscopus esset in signo sexto a medio cælo, quum tamen quintum signum tantummodo a culminante possit esse: quod est ridiculum. Quum enim decima pars Piscium culminet, numeros nonæ parti exactæ Piscium respondentes, hoc est, 16, 30′, abjice a tota adscensione Piscium 1, 5′, et reliquum conjunge cum adscensionibus Arietis, Tauri, Geminorum, Cancri: compones horas 7, 17′, 30″, quæ deductæ de horis 7, 40′, relinquunt horas 0, 22′, 30″. E regione v grad. Leonis habes proxime majorem 0, 25′, 30″. Ergo, ut diximus, Horoscopus erit in v Leonis, non Cancri. Multa ejusmodi absurda istius methodi notare possim. Hoc unum exemplum suffecerit, ut ostendamus non sine caussa a priscis damnatam: qui prius adscensionem rectam medii cæli collegerunt, et nonaginta gradibus ad adscensionem rectam adjectis, aggregatum ad canonem climatis contulerunt, et ei gradum eclipticæ respondentem pro parte adscendente adsumpserunt: reliquas domos simili gradu signorum terminarunt, qui est omnium vetustissimus modus, quo et Arabes hactenus utuntur, diciturque a nobis modus æqualis; cujus exemplum dat Scal. ad h. l. in tertia figura. Eo modo utuntur Firmicus et Paull. Alexandr. et secundum aliquos, quibus nos quoque adsentimur, Ptolemæus: quod colligitur ex iis, quæ de Apheticis locis dixit: τόπους μὲν τοίνυν ἀφετικοὺς εἶναι νομιστέον, τό, τε περὶ τὸν ὡροσκόπον δωδεκατημόριον ἀπὸ πέντε μοιρῶν τῶν προαναφερομένων αὐτοῦ τοῦ ὁρίζοντος, μέχρι καὶ

τῶν λοιπῶν μοιρῶν πέντε καὶ εἴκοσι ἐπαναφερομένων. Hoc certe non fieret, nisi omnes domus essent tricenum graduum : et quidquid ad hoc convellendum adferunt docti, non dicam falsum, sed ineptum est. Etiam interpres ipsius Ptolemæi ea adfert, quæ ne ipse quidem intelligebat. Quid mirum Ptolemæum hoc modo usum, qui sit omnium post illum Manilianum vetustissimus? Successit illi et ipse quoque vetustissimus, qui fit per trientes arcus semidiurni et seminocturni, qui est primus modus inæqualitatis. Hoc etiam quidam Arabum utuntur, qui maximam partem harum nugarum non a suis, sed a Græcis habent. Etiam sapiens Aben Ezra Judæus ait Ptolemæum hoc usum : quod omnino necessarium, siquidem non usus est modo æquali. Nullus enim modus inæqualitatis antiquior isto ; cujus exemplum Scal. dat in quarta figura. Ab eo modo minuunt Indi octo gradus tam in domuum initiis, quam in locis planetarum, ut in quinta figura. Vid. Scalig. h. l. Quemadmodum enim illi Veteres prius thema genituræ construebant, deinde thema Athlorum : ita etiam Indi prius thema genituræ per illum modum disponunt, deinde aliud thema adjiciunt, deminutis, ut diximus, octonis gradibus ex singulis domibus et locis planetarum. Hunc modum confutavit primus Campanus, alio instituto, cujus exemplum damus in sexta figura. Eum Regiomontanus profligavit, novo excogitato, quem rationalem vocavit, eoque, si Diis placet, vult Ptolemæum usum fuisse. Tres isti modi in cardinibus consentiunt, in domorum metatione valde discrepant. Campanus circulos positionis per æquales sectiones maximi circuli verticalis, Regiomontanus per sectiones æquinoctialis trajicit. Habes quoque exemplum modi rationalis in septima figura, cum themate Athlorum in octava, per eumdem modum. Hactenus, candide lector, quæ Manilius de Horoscopo sensit : cujus rei vestigia nulla olim exstabant in ejus carmine, hodieque adeo obscura sunt, ut nisi a nobis indicata essent, gloriosis, qui dicunt nos Manilium tractare non debuisse,

desperandum erat ea invenire posse. In prima figura adsumpsimus tempus genituræ horam inæqualem 1 $\frac{4}{5}$ post mediam noctem, hoc est, hor. æquinoct. 1, 31′, 48″. Idque fecimus commoditatis caussa, quum verum tempus fuerit hor. 1, 30′, quod sequimur in reliquis exemplis. Nisi hoc monuissemus, fortasse hoc futurum erat argumentum alicujus monstri in nos edendi. Scal.

EXCURSUS IV

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 382.

Mensibus eruptis donec sit debilis annus.

Eruptis, ereptis, ἀρχαϊκῶς. Annus sane fit debilis uno mense, ut contra eodem uno mense major erat solstitiali tempore. Nam ibi una dies, hic una nox continua mensem abstulit. Contrariorum eadem ratio. Quod de die dictum, id de nocte quoque intelligendum. Sunt CLXXX paralleli circuli, quos Sol lustrat per annum. Quantum illorum supra horizontem exstat, tantam esse dierum mensuram supra diximus. Quia vero duo ultimi Tropicorum vicem sunt, in hac autem cæli inclinatione ea est horizontis obliquitas, ut totum Cancri Tropicum supra terram relinquat, totum vero Capricorni Tropicum subtus demergat: sane quum Sol erit in omnium signorum sublimissimo Cancro, ad diem conficiendum integra Æquinoctialis circuli conversione opus est, hoc est, CCCLX partibus: arcum autem diurnum totidem partium esse necesse est. Contra, quando Sol in omnium signorum humillimo erit, in eo videlicet circulo, qui totus infra terram est,

ad noctis curriculum conficiendum tota Æquinoctialis conversione opus est. At in contrariam partem puncto temporis Sol ortus id efficiet, quod erit vicem temporis diurni : sed nullum παραυγασμὸν faciet : quia παραυγασμὸς nihil aliud quam τοῦ φωτὸς ἀντιπερίστασις, quæ nulla esse potest, quum ab horizonte in tantum circulus ille deprimatur. Nam hic paraugasmos fit tantum sub illis signis, quæ propius punctum solstitiale sunt, Geminis et Cancro, et quidem in illis tractibus, in quibus nox longiuscula est, quam sub polo Eclipticæ : ut verbi gratia, quibus Tropicus non est pro Arctico, neque tangit punctum horizontis Aquilonii, illis tantum temporis noctes obscurantur, quantum Tropicus ipse abest a pulsu horizontis septemtrionalis; ut scimus accidere in Scotia, in qua nostrates milites noctu in excubiis alea ludentes nullum lumen adhibebant solstitiali sidere confecto. Tropicus autem distat ab horizonte Edinburgi part. 9, 17′ circiter. Tantum igitur mediæ noctis tempore Sol ab illorum horizonte distat in solstitio, ut reliquum noctis παραυγάζεσθαι necesse sit, et ex horis 6, 23′, duos tantum trientes horæ minus 111 scrup. fere noctem obscurari, reliquas autem horas illustrari, καὶ παραυγάζεσθαι. Unde habes rationem lucidarum dierum in illis regionibus, a quarum horizonte propius abest Tropicus : quare τὴν τοῦ φωτὸς ἀντιπερίστασιν ignorantes Romani putarunt vix ibi noctem esse. Sed nec caussas omisit diligentissimus scriptor Strabo, his verbis rem quasi indicans: Ὁ δὲ, inquit, κατὰ τὰς ἄρκτους τόπος τοῦ ὁρίζοντος ἐν ὅλαις σχεδόν τι ταῖς θεριναῖς νυξὶ παραυγάζεται ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἀπὸ δύσεως ἕως καὶ ἀνατολῆς ἀντιπεριϊσταμένου τοῦ φωτός· ὁ γὰρ θερινὸς τροπικὸς ἀπέχει ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος ἑνὸς ζῳδίου ἥμισυ καὶ δωδέκατον· τοσοῦτον οὖν ὁ ἥλιος ἀφίσταται τοῦ ὁρίζοντος κατὰ τὸ μεσονύκτιον· καὶ παρ' ἡμῖν δὲ τοσοῦτον τοῦ ὁρίζοντος ἀποχὼν πρὸ τοῦ ὄρθρου καὶ μετὰ τὴν ἑσπέραν ἤδη καταυγάζει τὴν περὶ τὴν ἀνατολὴν ἢ τὴν δύσιν ἀέρα. Hinc consequens est, ut quanto remotior sit Tropicus ab horizonte, tanto minus noctes illustrentur: et qui proxime Æquinoctialem habitant, tantum abest, ut illis noctis extrema illustrentur, ut non prius lucescat, quam Sol ortus

sit : nulla vero aurora fere, aut crepusculum adparet in regionibus, quæ intra decimum gradum ab æquinoctiali sunt, cujus rei nulla caussa alia, quam maxima Tropici a Finitore distantia. Quod si nullus in æstate παραυγασμὸς fieri potest, tanto minus fiet, quum Sol erit in altero Tropico : ne forte quis credendum putet Ludovico Cadamusto, qui quum hoc scriberet, id fieri dixit ideo, quod ibi nulli montes sint, qui orienti Soli officiant. Ridicula est ratio, neque digna quæ confutetur. Scal.

EXCURSUS V

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 412.

Et quoniam quanto. Hactenus duobus validissimis argumentis opinionem de binis horis adscensionalibus expugnavit, priore a varietate adscensionum in eodem loco: posteriore a varietate adscensionum in omni. Nam secundum aut finitorum varietatem, aut poli exaltationem, crescunt horaria momenta adscensionum, et quidem per æqualia incrementa, et decrementa, quæ fuit priscorum astronomia. Superest nunc docere quomodo fiant illa incrementa : quæ pars obscurissima videtur in hoc auctore, et quidem non bene a nobis hactenus, ab aliis ne minimum quidem percepta. Quia demonstravit non esse binarum horarum adscensiones, superest, ut quot, et quando, et quibus in locis, si non ubique, et quorum signorum adscensiones, et quatenus crescant et decrescant. Hoc vetustatis argumentum etsi vitiosum, non tamen ingratum studiosis erit, quorum caussa, non invidorum, laboramus. In eorum igitur

gratiam hæc aperiemus, et rem ab ultima origine revocabimus : veteres igitur illi Ægyptii non aliter obliquarum et rectarum adscensionum rationem putabant quam per æquales progressus : et quamvis ab Hipparcho et aliis summis artificibus Canones adscensionum obliquarum instituti essent, qui possent frenum huic licentiæ imponere, tamen vulgus astronomorum ab illa scabie adhuc ungues continere non potuit, ut opus fuerit Ptolemæo eorum amentiam castigare, qui eam methodum sequerentur. Nam ejus verba in eam rem operæ est audire: ἡ κοινὴ πραγματεῖα ἡ πρὸς ὁμαλὰς ὑπεροχὰς τῶν ἀναφορῶν συνισταμένη μηδὲ κατὰ μικρόν ἐστι (ἔχεται) ἀληθείας. Non enim tunc solum obtinebat hæc vitiosa methodus, sed etiam temporibus Valentiniani senioris. Tunc enim Paullus Alex. scribebat suam εἰσαγωγὴν ἀποτελεσματικήν. Is refert adscensiones Signorum καθ' ὁμαλὰς αὐξομειώσεις in inclinatione Ægyptiaca. Exemplum ejus in diagramma conjecimus : quod quidem duplex est. In priori parte sunt adscensiones æquabiles, ut et referuntur a Paullo Alexandrino, cui nos horas respondentes adjecimus e regione. In altera parte habes castigatas adscensiones cum horis illarum progressioni congruentibus. Invenies etiam idem exemplum ὁμαλῶν ἀναφορῶν apud Ptolemæi Scholiasten, quem Paullo Alexandrino vetustiorem judicamus. In illo igitur exemplo differentia sive excessus inter adscensionem duorum signorum est grad. 3, 20′. Excessus ille est nona pars differentiæ duorum semidiurnorum arcuum maximi et minimi : quæ detracta ex triente minimi constituit adscensionem Arietis. Rursus in hac ratione adscensio Leonis ad adscensionem Tauri eam semper rationem habet, quam maxima dies ad minimam. In exemplo, adscensio Leonis est grad. 35, 0′. Adscensio Tauri grad. 25, 0′ quæ inter se rationem habent, quam septem ad quinque. Si igitur semicirculus, id est, grad. 180 dividatur in rationem VII ad V, habebimus pro arcu maximo semidiurno grad. 105, pro minimo 75. Differentiæ utriusque nona pars grad. 3, 20′ detracta de triente minimi arcus, hoc

est, de gradibus 25, 0', dat adscensionem Arietis grad. 21, 40'. Addita dat adscensionem Tauri grad. 25, 0', nimirum ipsum trientem arcus minimi semidiurni. Ita semper progrediendo per æquales adjectiones graduum 3, 20', tandem adscensio Leonis erit triens arcus semidiurni maximi, nempe grad. 35, 0' : quemadmodum Taurus erat triens arcus minimi. Denique adjectis iterum grad. 3, 20', habebimus adscensionem Virginis grad. 38, 40'. De horis idem facies. Nam septem sunt maximus arcus semidiurnus, quinque minimus. Nona pars differentiæ utriusque, nempe hor. 0, 13', 20" detracta de triente arcus minimi, nempe hora 1, 40', 0", dat adscensionem Arietis hor. 1, 26', 40". Et sane grad. 21, 40' totidem momenta horaria respondent. Manilii methodus, quam esse suam gloriatur, non admodum abludit nostra. Jubet sextam partem arcus maximi diurni poni pro adscensione Leonis, et sic sextam partem arcus minimi diurni pro adscensione Tauri : deinde tertiam partem differentiæ utriusque assumi pro excessu. Eodem utraque methodus recidit : neque indiget exemplo. Nam satis prior nostra viam ad hæc munivit. Præter ignorationem hujus pragmatiæ, quam aperte præfert Bonincontrius, etiam ausus est dicere Manilium fuisse mathematicorum principem, qui hæc arcana carmine heroico complexus sit. Sed et neque constat sibi. Nam quum initio hujus pragmatiæ Manilium tractare dicat, et quidem vere, de temporibus adscensionum horariis, tamen in progressu expositionis suæ, non de adscensionum horariis momentis, sed de longitudinibus dierum explicat: quæ est summa ἀλογιςία. Locus hic omnium intricatissimus erat in toto Manilio et propter rem ipsam, et propter menda. Rem ipsam tenemus : propterea minore labore ad sententiam eruendam opus erit. Menda ope Codicis Gemblacensis puto aut omnia sublata, aut pauca admodum reliqua esse. SCAL.

EXCURSUS VI

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 541.

.... venit omnis ad astrum
Hora die bis, mense dies semel, unus in anno
Mensis, et exactis bis sex jam Solibus annus.

Sane hora ter redit in æquinoctiali ut minimum; siquidem eam a planeta dominante accipias. Nam quatenus dicitur prima, secunda, tunc verum fuerit illam redire bis tantum: quatenus vero horæ sunt cognomines planetarum, tunc in singulis æquinoctialibus horæ planetariæ, quæ inciderunt in primam, secundam, et tertiam diei, incident quarta vice in 22, 23 et 24 horam æquinoctialis, id est, horas 10, 11, 12 noctis. Itaque falsum fuerit horas æquinoctialis bis tantum redire, quum possint quater reverti. Quod si diem tantum artificialem accipimus, ne tunc quidem semper eadem hora bis redire potest in die. Nam sexta et septima Planetaria semel tantum contingent. Si nolumus auctorem nostrum ἀλογιστεῖν, adjuvandus erit interpretatione, et dicendum hoc ut plurimum evenire, ut hora planetaria bis in die, et toties in nocte contingat, rarius autem semel: quod sane verum est. Sed cur hæc diverticula quærimus? Non enim intelligit de hora planetaria, sed de hora τῆς δωδεκαετηρίδος. Ut enim primus annus, mensis et dies, signo horoscopanti adtribuitur, ita etiam hora. Itaque aliquis natus est hora nona diei temporario, adscendente Leone, die Mercurii. Hora pertinet ad Lunam. Sic Lunæ hora intra viginti quatuor horas bis redibit ad Leonem. Nam nascente homine hora Lunæ adtribuebatur Leoni, hora Saturni Virgini, hora Jovis Libræ, et sic deinceps: ergo tertia decima hora a nato

homine, redit Lunæ hora in Leonem. Tunc dicitur hominem natum πολεύοντος Ἑρμοῦ, Σελήνης δὲ διεπούσης. Omnis enim dies, id est, feria septimanæ, cognominis est uni planetæ. Planeta igitur, cujus dies est cognominis, dicitur πολεύειν toto illo æquinoctiali; cæteri planetæ dicuntur διέπειν. Ut in exemplo a nobis adducto, feria quarta est Mercurii; hora, in qua natus homo, Lunæ. Ergo natus est Ἑρμοῦ πολεύοντος, Σελήνης διεπούσης. Quam autem vocamus Septimanam Christiani, ipsi Gentiles vocabant τὴν ἑπτάζωνον, Septizonium, præsertim Ægyptii; item θεοὺς ipsas ἡμέρας· et πόση τῶν θεῶν dicebant, id est, quota feria. Illud autem τοῦ μὲν πολεύοντος, τοῦ δὲ διέποντος, simile est illi in inscriptione veteri: κουρατορεύοντος Αὐρηλίου Πρωτέος, καὶ ἐπιμελουμένου Αὐρηλίου Τορκουάτου.

Venit omnis ad astrum Hora die bis. Ad astrum, εἰς τὸ ὡροσκοποῦν ζώδιον. In viginti quatuor horis bis redibit ad Horoscopum ἡ πολεύουσα ὥρα.

Mense dies semel. Intellige ut horam, ita etiam ἡμέραν πολεύουσαν· ὥρα vel ἡμέρα πολεύουσα est cognominis illi planctæ, cujus hora fuerit nascente homine. In nostro exemplo Luna est πολεύουσα, quia nascente homine, feria quarta, id est, die Mercurii, hora nona erat hora Lunæ: ideo Luna erit πολεύουσα illius diei, quæ incipit ab hora nona. Nam toto vitæ tempore illi homini dies incipiet a nona hora: et primus planeta illius erit Luna, primum signum Leo. Ut autem ἡ πολεύουσα ἡμέρα in orbem redeat, hoc est, ut ad signum Horoscopi καὶ τὸν πολεύοντα ἀςέρα revertatur, hoc non potest fieri, nisi post duodecim hebdomadas, qui sunt plus quam menses duo. Nam octogesimo quinto die ἡ πολεύουσα ἡμέρας hora ad idem signum revertitur. Itaque parum cavisse videtur Manilius. Quum dico redire ad idem signum, non intelligo ad locum Zodiaci, sed feriæ. Sive dies Septizonii distribuuntur signis in consequentia, initio ab horoscopi signo facto, numquam feria adtribuetur illi signo, nisi post duodecies septem dies. Non solum experientia, sed et ratio ita exigit.

Et exactis bis sex jam Solibus annus. Ἡ δωδεκαετηρὶς a duodecim annorum conversione dicta est, quod unusquisque annus a consequentia signorum denominatur: primus a signo horoscopi, secundus ab epanaphora horoscopi, tertius ab apoclimate imi cæli, et sic deinceps. Scal.

EXCURSUS VII

AD MANILII ASTRON. LIB. III, vs. 556.

Et quoniam duxi. Hic lemma adpositum erat in vetere Gemblacensi : *Quot annos unumquodque signum tribuit*, quæ est pars doctrinæ τοῦ περὶ χρόνων τόπου· eaque, ut diximus, hæret methodo Horoscopi. Nam nato homine, quis vitæ progressus, et quatenus, investigatur. Progressus vitæ in Dodecaeteride consideratur, finis vitæ in anaphoricis temporibus, quibus τὰ ἔτη βιώσιμα investigabant. Nam quod gradus adscendit signum, tot annos vitæ datæ hariolantur. Paullus Alexandrinus : ἐπειδὴ ὁ ἥλιός ἐστι Σκορπίου μοίρᾳ ιέ, ἀνατέλλει δὲ καὶ κατ' Αἰγυπτίους ἐν τῷ δι' Ἀλεξανδρείας κλίματι ἐτῶν λέ. Aliter et quidem male meo judicio Firmicus, qui non tot annos illud signum oriri dicit, puta viginti, sed vicesimo anno. Ita enim libro primo: « Debemus ostendere, quoto anno unum quodque signum in genituris oriatur ». Deinde subjicit : « In climate primo, hoc est, Alexandriæ, Aries oritur anno vicesimo, Taurus vicesimo quarto, Gemini vicesimo octavo, Cancer tricesimo secundo, Leo tricesimo sexto, Virgo quadragesimo ». Quod est plane exemplum stadiasmi Cnidi a Manilio propositi : si modo gradus geminaveris. Sed imperite τὸ λέων ἀνατέλλει λς' ἔτη vertit, *Leo oritur tricesimo sexto anno :* immo triginta sex annis, ut supra ex Paullo Alexandrino ostendimus. Sed

clarius hanc ματαιοτεχνίαν veteres Ægyptii exposuerunt. Nam thema constituebant omnium regionum. Horoscopus erat signum, cui regio subdita est. Quot graduum est quadrans ortivus, id est, ab Horoscopo ad medium cælum, in tot annorum spatium vitam illius gentis extendi posse putabant. Hanc doctrinam τριζωδίαν vocabant, item Tetartemorion, nempe a quadrante Circuli. Plinius libro septimo, cap. XLIX: « Poscere videtur locus ipse sideralis scientiæ sententiam. Epigenes CXXII annos impleri negavit posse: Berosus excedi CXVII. Durat et ea ratio, quam Petosiris, ac Necepso tradiderunt, et Tetartemorion adpellant, a trium signorum portione, qua posse in Italiæ tractu CXXVI annos vitæ contingere adparet. Negavere illi quemquam XC partium exortivam mensuram (quod anaphoras vocant) transgredi, et has ipsas incidi occursu maleficorum siderum, aut etiam radiis eorum, Solisque ». Quod dicunt de Italia, non parum discedit ab eorum ratiociniis. Signum, cui subjectum Italia, est Libra, auctoribus illis veteribus, et Manilio. Horoscopante igitur prima parte Libræ, prima Cancri culminat, ut ipsorum ratio postulabat, qui omnia ad methodum Horoscopi sui, et præterea ad æqualem modum dirigebant. Secundum illorum anaphoricas αὐξομειώσεις Cancer oritur grad. 32, 30′, Leo grad. 37, 30′, Virgo 42, 30′. Summa gradus 112, 30′. Tot annorum vita contingere posset in Italia, non autem 126, hoc enim potius in Germaniæ tractibus contigerit. Sed hæc sunt futilissima. Manilius vero aliam insistit viam, et quidem caussam φυσικώτερον repetit. Nam vita a Sole et Luna, et contra mors ex eorum cum maleficis stellis occursu: συμβαίνει δὲ, inquiunt Græci, τοὺς θανατηφόρους ἢ καὶ ἐπικινδύνους κλιμακτῆρας γίνεσθαι ἐκ τῆς κατὰ περίπατον συναντήσεως ἡλίου καὶ σελήνης, ὅτε δὲ καὶ ὡροσκόπου πρὸς τὰς τῶν κακοποιῶν ἀκτῖνας, etc. Quia igitur auctores vitæ sunt ambo Sol et Luna, eorum et periodos considerarunt, Solis quidem viginti octo annorum, quam etiam Persæ vocant Salchodai, Lunæ autem decem et novem, quam iidem Persæ vocant Salmahi. Et quidem ut Solis quatuor

periodos longissimam vitam præstare aiunt, ita etiam totidem Lunæ periodos mediocrem. Ergo Solis sæculum longissimum CXII annorum, Lunæ LXXVI. Et profecto Latini unam periodum Solis vocant aream vitæ. Martialis celebrans natalem suum quinquagesimum septimum:

> Quinquagesima liba septimamque
> Hanc vestris fero nunc rogis acerram.
> Annos addite ter, precor, novenos:
> Ut nondum nimia piger senecta,
> Sed vitæ tribus areis peractis,
> Lucos Elysiæ petam puellæ.

Postulat ad quinquagesimum septimum annum ineuntem addi annos XXVII. Nimirum octogesimo quarto decedere cupit. Hoc tempus vocat tres areas vitæ. Adparet, quantum conjectura adsequi licet, unum missum, qui erat septem cursuum in Circo, vocatum fuisse Aream. Nam Area sumitur pro ipso Circi spatio. Claudianus VI Consul. Honorii. (Carm. XXVIII, vs. 618, ubi vid. nost. lect. Ed.)

> Nec solis hic cursus equis; adsueta quadrigas
> Cingit rava Tigris, subitæque adspectus arenæ
> Diffundit Libycos aliena valle cruores.
> Hic et belligeros exercuit area lusus.

Ergo una area viginti octo anni, quatuor areæ, longissimus terminus anni CXII. Mediocris terminus quatuor cycli Lunares, anni LXXVI. Peragere unam aream vitæ dixerit Martialis, ut Epicrates Comicus de Laide:

> Ἐπεὶ δὲ δολιχὸν τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει,
> Τὰς ἁρμονίας τε διαχαλᾷ τοῦ σώματος.

Nam metaphora est a stadio, ut illa Martialis a Circo. Sed clarius Alexis:

> τὸν γὰρ ὕςατον
> Τρέχων δίαυλον τοῦ βίου, ζῆν βούλομαι.

Nam δίαυλος est versura stadii: quod melius confirmatur

lectione quorumdam librorum etiam scriptorum Martialis, ubi legitur:

> Annos addite bis, precor, novenos.

Ita LXXV annos optat vivere: et proinde area erunt XXV anni, non XXVIII; ut adlusio fiat ad viginti quinque missus Circensium. Servius ad illud, *Centum quadrijugos*: « Unius diei exhibendo Circenses ludos, ut Varro dicit in libris de rebus pop. Rom. olim viginti quinque missus exhibebantur, etc. » Ergo area XXV anni, et omnino curriculum vitæ aream vocat idem Martialis:

> Per varias artes, omnis quibus area servit,
> Ludere quum liceat, currere pigritia est.

Quia igitur vitæ modus ex anaphoricis temporibus signorum æstimatus, neque gradus anaphoricos probat Manilius, alias adscensiones signis adtribuit, nempe ἀναφορικοὺς χρόνους τοῦ τῆς ζωῆς μεγέθους. Ergo methodo eadem utendum, qua supra Manilius colligebat horaria adscensionum tempora. Da igitur sextam partem annorum 112, id est, annos 18, menses 8, adscensioni Leonis, per præceptum VII, et IX: itidem sextam partem annorum 76, hoc est, annos 12, menses 8, Tauro, per eadem. Differentiæ utriusque triens sunt anni duo, excessus, nempe progressionis, per præcepta VI, VIII, qui abjectus ex adscensione Tauri, dabit adscensionem Arietis annos 10, menses 8, per præcepta VII, IX. Habemus igitur et χρόνους βιωσίμους Manilii, et caussas eorum. Ita studiosi addiscant verum quærere per verum, non per falsum; numquam enim invenient: multis imponit δοκησισοφία καὶ τῦφος. Nimio plures sunt, quam vellem. Hæc omnia tenebricosa erant. SCAL.

M. MANILII
ASTRONOMICON
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM LIBRI QUARTI.

Præmisso procemio de variis hominum curis in opibus comparandis, quasi victuros agerent semper, (ad vs. 11) variis argumentis probat et adserit Fatum, Fatique rationem immutabilem, e qua pendeant et opes et artes, et mores, et vita morsque hominis (ad vs. 121). Quæ studia, quos mores, quasve artes sub se natis quæque signa tribuant, eleganti carminum serie recenset, docetque sub Ariete nasci lanifices, vestiarios, et mercatores eos, qui quasi lucrum inter et damnum perpetuo sint; similiter et timidos, et inconstantes, et laudibus venales homines (139). Sub Tauro creari vult agricolas, laudis amatores, taciturnos, robustos, et Cupidinem ipsum sub fronte gerentes (151). Sub Geminis vero musicos, cantores, hilares et astronomos (161). Sub Cancro fœneratores et lucri cupidos (175). Sub Leone venatores, ferarum confectores, minime dolosos, ad iram pronos, sed placari faciles. Sub Virgine doctos, oratores, scribas, notarios, moderatos in utroque genere virtutis et vitii. Sub Libra mensores, ponderatores, calculones, jurisperitos, legislatores, legum interpretes, prætores et judices. Sub Scorpione bellicosos, venatores etiam, gladiatores, et quos belli simulacra ludique delectant. Sub Sagittario rhedarios, equorum domitores, mansuctarios, acuta mente viros, atque corpore robustos et veloces. Sub Capricorno fusores, conflatores, artifices, fabros ferrarios, metallarios, pistores, vestium institores, inconstantes etiam animos, et per juventutem Veneri deditos. Sub Aquario creari putat eos, qui ductibus aquarum, expressionibus, elicibus, et naumachiæ studeant; et dociles, ac prodigos. Sub Piscibus denique nautas,

naucleros, remiges, prole fœcundos, et animo leves (ad v. 291). Decanorum rationem omnem per duodecim quæque Zodiaci signa rite explicat (ad vs. 502). Recenset quæ cujusque signi partes noxiæ sint, quæve salubres (ad vs. 365). Docet sub primis signorum ortibus varios oriri partus ab iis, qui sub totis signis oriuntur : cujus rei censum agit integrum (ad vs. 585). Totius orbis terrarum et aquarum descriptionem exactam instituit, notatque quas terræ regiones sibi quæque signa in tutelam vindicent (ad vs. 817). Docet quæ signa dicantur Ecliptica, et qua ratione suos patiantur labores ac defectus (ad vs. 865). Proponit objectionem, quæ contra hanc siderum notitiam fieri solet, quasi vis animi sit impar his rebus cælestibus, atque minor, quam ut cælorum faciem, et interiora jura possit percipere. Hanc autem validis argumentis, ac præclaris comparationibus solvit (ad finem).

Quid tam sollicitis vitam consumimus annis?
Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum,
Æternisque senes curis, dum quærimus ævum,
Perdimus, et nullo votorum fine beati
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam?
Pauperiorque bonis quisque est, quo plura requirit?
Nec quod habet, numerat: tantum, quod non habet, optat.

1. Duo superiores libri sunt descriptivi et elementarii. Hi posteriores sunt apotelesmatici, seu decretorii. Nam hæc scientia aut informat, aut decernit. Et decreta ipsa vocantur apotelesmata, h. e. responsa : ἀποτελεῖν enim dicitur Astrologus, quando respondet; qua in significatione usurpatur a Ptolemæo, item ab ejus interprete in librum secundum. Prædictionis, quæ per Astronomiam fit, duæ partes sunt : altera circa astrorum motum, altera circa effectum astrorum. Unde Græci eam partem vocant τὸ ποιητικόν. Priorem partem tractavit primo libro; alteram quatuor sequentibus : quæ et ipsa in duas partes discedit : descriptivam et apotelesmaticam. Et quidem descriptiva tractat astrorum et signorum, sive absolutas, sive respectu aliorum ad alia, vires et positiones. Ea omnia, ut diximus, jam prioribus libris absolvit : apotelesmaticam in hoc et sequenti. Orditur vero non dicam luculento, sed divino prooemio.

6. B. *quo plura pararit.*

7. *Nec quod habet, numerat.* «Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet». Mallem vero: «Paupe-

Quumque sibi parvos usus natura reposcat
Materiam struimus magnæ per vota ruinæ?
Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas,
Et summum census pretium est effundere censum?
Solvite, mortales, animos, curasque levate,
Totque supervacuis vitam deplete querelis.
Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Longaque per certos signantur tempora cursus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
Hinc et opes et regna fluunt, et sæpius orta
Paupertas, artesque datæ, moresque creatis,
Et vitia, et clades, damna, et compendia rerum.
Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,
Fortunamve suis invitam prendere votis,
Aut fugere instantem: sors est sua cuique ferenda.
An nisi fata darent leges vitæque necisque,
Fugissent ignes Ænean? Troja sub uno
Non eversa viro fatis vicisset in ipsis?

riorque bonis quisque est quo plura requirit ».

11. *Et summum eensus pretium est effundere censum.* Ovid. Fast. I, 213: « Quærere ut absumant, absumpta requirere certant: Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices ».

13. *Totque supervacuis vitam deflete querelis.* Lege *deplete querelis*, h. e. *exhaurite.* Sic Stat. Achill. I, 8: « Pierios latices digno deplevimus haustu ». Tralatitie a vasis, et τὸ *supervacuis* quum dicit, in eadem tralatione persistit. Nam vasa supervacua sunt, quæ Græci ἐπιχειλῆ, vel potius ὑπερχειλῆ.

15. *Longaque per certos signantur tempora casus* ex Gembl. Sic in sphæra mundi, I, 53: « Singula nam proprio signarunt tempora casu ».

19. Olim *damna et compendia vitæ.* Verum est, quod concipit Gemb. « damna et compendia rerum ».

20. *Nemo caret damno.* Inepte Bonincontrius: « Nemo caret dando ». — B. ingeniose: « Nemo carere dato poterit, nec habere negatum ». Disjunctum enim *nec*, postulat antitheton. Ed.

21. *Invitam prendere votis.* Hanc pristinam emendationem nostram confirmat Gembl.

22. Olim *sors est sua culpa ferenda.* Et cæco patet legendum: « sors est sua cuique ferenda ». Adprobatur a Gembl.

24. *Fugissent ignes Ænean.* Non probo lectionem Gembl. « Fulsissent ignes ». Hic *ignes* de Palladio, quod ferebat Æneas, intelligendum.

An lupa projectos nutrisset Martia fratres,
Roma casis et nata foret, pecudumque magistri
In Capitolinos auxissent culmina montes,
Includive sua potuisset Jupiter arce?
Captus et a captis orbis foret? igne sepulto
Vulneribus, victor repetisset Mutius urbem?
Solus et oppositis clausisset Horatius armis
Pontem urbemque simul? rupisset fœdera virgo,
Tresque sub unius fratres virtute jacerent?
Nulla acies tantum vicit: pendebat ab uno
Roma viro, regnumque orbis sortita jacebat.
Quid referam Cannas, admotaque mœnibus arma?
Varronem profugum magnum quam vivere posse,

27. *Romaque sic enata foret*. Interpolatitium. Gemblac. et alter manoscriptos: « Roma casis et oata foret », optime. Sed alter habebat *casis enata*, quod probat B.

28. *In Capitolinos auxissent fulmina montes*. Legendum: « culmina montes » construxissent aream Capitolinsm io Tarpeio monte. Hoc enim auget montem. Ineptum est in Gembl. *flumina*. Seqoentia probant: « Includive soa potuisset Jupiter arce ». Nam de fulmine Jovis, quod somniat Boniocontrius, nulli persuadebit. Est autem enallage, « auxissent culmina in Capitolinos montes », pro, « auxissent Capitolinos montes in culmioa », hoc est, arcem et ædem Jovis Capitolini. — Huetius vult: « In Capitolinos duxissent fulmioa montes? » quod B. accipit de Numa et Jove Elicio. Historiam hsbes in Ovidii Fast. III, 285. *Duxissent*, ut Ovid. ib. 321: « Jupiter huc veniet valida deductus ab arte ». Ed.

30. *Captus, vel caput his orbis foret*. Semper suspectus mihi fuit locus hic. Gemblacensis: « Captua et captis orbis foret ». Deest literula: « Captus et a captis orbis foret ». Egregia sententia. Orbis victores Romani prius victi sunt a Græcis. Sunt enim a Trojania oriundi, qui a Græcis olim capti, ipsi rursos et Græcos, et orbem ipsum ceperunt. Virg. Æn. VII, 295: « Num capti potuere capi? » — B. hanc interpretationem rejicit, et *captis* intelligit de Fauno et Pico. Male, ut opioor. Ed.

32. *Solus et adpositis. Oppositis* scribendum. Objecto umbone.

33. *Rupisset fœdera virgo*. Clœlia.

35. *Nulla acies tunc evicit*. Multum discrepat a vero. Gemblacensis optime: « Nulla acies tantum vicit ». Nulla acies tantum vicit, quantum tres illi fratres, immo quantum tertius duobus superstes. Sequentia confirmant.

38. Ante Scal. *Varronemque pigrum magnum quod vivere posset*. Pigrumne, qui celeritate fugæ se cladi Cannensi eripuit? Deforma-

Postque tuos, Thrasymene, lacus? Fabiumque morantem?
Accepisse jugum victas Carthaginis arces?
Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis
Exsilium regi furtiva morte luisse?
Adde etiam vires Italas, Romamque suismet
Pugnantem membris: adice et civilia bella;
Et Cimbrum in Mario, Mariumque in carcere victum:
Quod consul toties, exsulque, ex exsule consul:
Et jacuit Libycis compar jactura ruinis,

tissimus est hic versiculus: neque vero integrior in Gemblacensi: « Varronemque pugum magnum quam vivere posset ». Procul dubio *pugum* ex *pfugum* conflatum, id est, *profugum*. Varronem fuga vitæ consulentem, quem mirum post tantam cladem vivere potuisse, idque post cladem ad Thrasymenum. *Magnum quam:* alii dicerent *magnum quantum:* utrumque dicitur, magnum quam, magnum quantum: immane quam, immane quantum. Græcum θαυμαςὸν ὅσον.—B. propius ad scriptos: «Varronemque fuga magnum (quod vivere possit...) Fabiumque morando », scil. *Fabium magnum morando*. Ed.

40. *Accepisse jugum victas Carthaginis arces*. Hunc versum pro spurio habet Bentl. ea ratione inductus, quia *populi* jugum accipiunt, non *arces*. Sed facile refellitur epigr. vet. quod Scipionis Africani epitaphium inscribitur, ubi v. 4: « olim invictæ per nos Carthaginis arces Insolitum subiere jugum ». Forte et hic præstaret *invictas;* sed Claud. præfat. in II Cons. Stilich. v. 15: « Quumque triumpharet gemina Carthagine victa ». Ed.

41. *Spectatum Hannibalem*. Melius Gemblac. et textus Bonincontrii: «Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis ». Frustra enim legatione Romana a rege Prusia petitus catenas veneno hausto prævenit. Boninc. textus habet *Speratum*, quum tamen interea ipse *Spectatum* legat. Haud dubie interpolatio est ab illo: *cecidisse catenis*, cecidisse in catenas, ut supra trahere morti, trahere in mortem: « Immatura trahent natales corpora morti ».

42. *Exsilium regi furtiva morte luisse*. Hannibal quem Romani sperabant casurum in catenas suas hausto veneno ignominiam antevertit. Gemblacensis habet: « Exsiliumque rei ». Poterat tolerari. Nam tamquam exsul reus, non profugus latuit apud Prusiam, quia a Romanis petebatur. Itaque luit exsilium rei furtiva morte; tamquam reus exsilio damnatus obiit. Sed hoc sententiæ tenor non fert, quia priorem versum disjungit a posteriore, quum prior per se constare non possit.— Olim *Exsiliumque rogi*, inepte.

43. *Adde etiam vires Italas*. Bent. vult: « Adde et utrimque Italas acies », ex conjectura.

45. *Et Cimbrum*. B. « Et Cinnam ...Mariumque in Cæsare victum », meliori quidem sensu.

47. *Et jacuit Libycis compar ja-*

Eque crepidinibus cepit Carthaginis Urbem.
Hoc nisi fata darent, nunquam Fortuna tulisset.
Quis te Niliaco periturum litore, Magne,
Post victas Mithridatis opes, pelagusque receptum,
Et tres emenso meritos ex orbe triumphos,
Quum jam etiam posses alium componere Magnum,
Crederet, ut corpus sepeliret naufragus ignis,
Ejectæque rogum facerent fragmenta carinæ?
Quis tantum mutare potest sine numine Fati?
Ille etiam cælo genitus, cæloque receptus,
Quum bene compositis victor civilibus armis,
Jura togæ regeret, toties prædicta cavere
Vulnera non potuit, toto spectante senatu
Indicium dextra retinens nomenque, cruore
Delevit proprio, possent ut vincere fata.
Quid numerem eversas urbes, regumque ruinas?
Inque rogo Crœsum, Priamumque in litore truncum,
Cui nec Troja rogus? quid Xerxem, majus et ipso

ctura ruinis. Adposite eximius poeta *Delille, les Jardins, ch.* IV : « Et ces deux grands débris se consolaient entre eux ». Sed melius Lucan. II, 92 : « pariterque jacentes Ignovere Deis ». Vid. Plutarch. in Mario, ed. gr. 785. Steph. Ed.

48. *Cepit urbem*, sc. Romam. Ante Scal. *orbem*, perperam. Gemblac. veram lectionem aperuit : « Eque crepidinibus cepit Carthaginis arces ». Crepidinem vocat ruinas, quæ Plutarcho l. l. ἐρείπια Carthaginis dicuntur. Non male etiam legebamus *Carthaginis urbem.*

49. *Hoc nisi fata darent.* Fato Stoicorum omnia addicit; Fortunæ Epicuri omnia abjudicat.

53. *Quumque etiam posses.* Gemblac. « Quum jam etiam ». *Jam et jam* dictum ut magis magisque.

55. *Ejectæque rogum.* Sic unius literulæ mutatione legimus. Ejectam carinam dixit, quæ ex naufragio in litus a mari ejecta fuerat, ex qua rogus constructus, quemadmodum rogum ipsum vocat naufragum ignem. Sed vulgaris lectio videtur interpolata ex Luc. VIII, 754 : « summas dimovit arenas, Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ Exigua trepidus posuit scrobe ».

61. *Indicium dextra retinens.* Suetonius sinistra : « Libellum insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis cæteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus commiscuit ». — *Nomenque cruore.* Fortasse *omenque cruore.*

65. *Quid Xerxem?* Scal. emendat

Naufragium pelago? quid capto sanguine regem
Romanis positum, raptosque ex ignibus ignes,
Cedentemque viro flammam, qui templa ferebat?
Quot subitæ veniunt validorum in corpora mortes?
Seque ipsæ rursus fugiunt, errantque per ignes?
Ex ipsis quidam elati rediere sepulcris.
Atque his vita duplex, illis vix contigit una.

Xerxæ, sed nihil muto. *Xerxem* et *naufragium* intellige naufragium Xerxæ: hoc poetæ solent. Nam dixit *regumque ruinas*: ergo et Xerxæ ruinam et naufragium dicit.

66. *Quid captos agmine reges Romanis positos.* Hæc monstra non possunt confici sine Hercule, h. e. Gemblac. libro. Is habet: « quid capto sanguine regem Romanis positum? » Pro *quid* tantum *quod* scriptum erat. Servium Tullium natum capto sanguine, nimirum captiva Ocrisia Octiculana (aliis Corniculana) Romanis regem impositum fuisse nemo nescit. Captum sanguinem pro captivo eo modo dixit, quo Catullus et Horatius maritam pro maritali. — Sed hanc locutionem barbaram dicit B. et vult *Quid Graio sanguine*, intelligens Tarquinium Priscum, Demarati Corinthii filium. Liv. I, 34. Hoc enim mirabile, ut Romani Trojano sanguine regem Graio sanguine haberent. Ed.

67. *Raptosque ex ignibus ignes.* Raptos ex ignibus ignes dupliciter accipi potest: aut Palladium ereptum ab Ænea ex ignibus, ut ignis Vestalis intelligatur: aut, quod magis credo, ipsos ignes Palladios sive Vestales raptos ex incendio a Metello.

68. *Cedentemque viro flammam*, vel Metello, ut diximus; Juvenalis, III, 139: « Servavit trepidam flagranti ex arce Minervam », vel Æneæ. Sed de Metello accipi præstat. — *Qui templa*. B. *quæ*, sc. flamma, quomodo enim, ait, Metellus *templa* tulisset? Ed.

69. *Quot subitæ veniunt.* Habes apud Val. Max. lib. IX, cap. 12; Plin. lib. VII, cap. 53.

71. *Ex ipsis quidam elati.* Plin. lib. VII, cap. 52.

72. *Atque his vita duplex.* Celsus: « Si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti a medicis convalescunt, quosdamque fama prodiderit in ipsis funeribus revixisse? Quin etiam vir jure magni nominis Democritus ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit, quibus medici credidissent: adeo illud non reliquit, ut certa aliqua signa futuræ mortis essent ». Intelligit autem Celsus de volumine, quod Democritus περὶ ἄπνου scripserat, hoc est, de exanimi muliere, quæ post septem dies revixit. Plinius adtribuit Heraclidæ, non Democrito: « Hoc, inquit, pertinet illud apud Græcos nobile volumen Heraclidis, septem diebus feminæ exanimis ad vitam revocatæ ». Meminit ejus voluminis alicubi Diogenes Laertius, nisi ego fallor memoriæ.

Ecce levis perimit morbus, graviorque remittit:
Succumbunt artes, rationis vincitur usus.
Cura nocet, cessare juvat, mora sæpe malorum
Dat causas, læduntque cibi, parcuntque venena.
Degenerant nati patribus, vincuntque parentes,
Ingeniumque suum retinent : transitque per illum,
Ex illo Fortuna venit : furit alter amore,
Et pontum tranare potest, et vertere Trojam :
Alterius sors est scribendis legibus apta.
Ecce *patrem nati perimunt, natosque parentes;
Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres.
Non nostrum hoc bellum est : coguntur tanta moveri,
Inque suas ferri pœnas, lacerandaque membra.
Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos

73. *Ecce levis perimit.* Lucillius: « At cui? quem febris una atque una apepsia, Vini, inquam, hiatus potuit unus toliere ».

74. *Rationis vincitur usus.* Lucret. VI, 1177 : « Mussabat tacito medicina timore ».

·76. *Parcuntque venena.* Ausonius, Epigr. X, 12 : «Et quum fata volunt bina venena juvant ».

80. *Et vertere Trojam.* Vertere Trojam, ut vertere solum. Abydenus adolescens vertebat solum suum, hoc est, Troada, in qua posita Abydus, et transfretabat in Europam. Mens Manilii: Duo germani fratres dissimillimi : alter adeo amore insanus, ut ipsum Abydenum vincat; alter autem Jurisconsultus. Hinc Pers. Sat. VI, 18 : « geminos, Horoscope, varo Producis genio ». Horat. Epist. II, 2, v. 183, sqq. « Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi Præferat Herodis palmetis pinguibus : alter Dives, et importunus ad umbram lucis ab ortu Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum, Scit Genius, natale comes qui temperat astrum Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater ».

84. *Non nostrum hoc bellum est.* Non sponte nostra ad hoc ducimur. Sed nimirum est aliquid, quod nos cogat. Nullum est in hoc quod ad nos pertineat. Ergo est aliquid supra nos, cujus arbitrio movemur. B. mutat : *non hominum hoc scelus est.* — *Coguntur tanta movere.* In Gembl. est hellenismus : « coguntur tanta moveri ». Neque dubium est scripturam veram esse. Sic Lucanus, IX, 580 : « Jupiter est, quodcumque vides, quodcumque moveris », ut habent bonæ notæ codices.

86. Olim *Et Decios non omne tulit.* Totam hanc periochen longe melius concipit Gemblacens. quem sequimur. Non deerat quidem materia nascendis Catonum similibus, sed lex fati repugnat.

Tempus, et invictum devicta morte Catonem,
Materies in rem superat, sed lege repugnat.
Et neque paupertas breviores excipit annos,
Nec sunt immensis opibus venalia fata.
Sed rapit ex sceptro funus Fortuna superbo,
Indicitque rogum summis, statuitque sepulcrum.
Quantum est hoc regnum, quod regibus imperat ipsis?
  Quin etiam infelix virtus, et noxia felix,
Et male consultis pretium est : prudentia fallit.
Nec Fortuna probat caussas, sequiturque merentes :
Sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur.
Scilicet est aliud, quod nos cogatque regatque,
Majus, et in proprias ducat mortalia leges,
Adtribuatque suos ex se nascentibus annos,
Fortunæque vices : permiscet sæpe ferarum
Corpora cum membris hominum : non seminis ille
Partus erit : quid enim nobis commune, ferisque?
Quisve in portenti noxam peccarit adulter?

87. *Et invictum devicta.* Male Gemblacensis : « et invicta devictum morte Catonem », quod B. servat, mutans *morte* in *mente*.

91. Olim *Sed rapit exceptos funus Fortuna superbos.* Interpretetur OEdipus. Neque distinctio, quam olim adposueramus, hilum juvat. Vera lectio quam damus. Opes et regna, inquit, non redimunt fata regum. Sed e medio sceptro et regno Fortuna rapit funus. *Funus*, cadaver, quod sepulcro infertur, dici et pueri sciunt. Sequentia suffragantur. Stat. Theb. IV, 571 : « Æoliden humero jactantem funus onusto », id est, Learchum a se interfectum. Itaque *funus* vocat, quod Ovidius *corpus inane.* — B. *ex tecto ;* nam funus e sceptro rapi posse negat.

92. *Indicitque rogum summis.* Proprie *indicit.* Nam est et funus aliquod indictivum.

94. *Quin etiam infelix virtus.* Firmicus plura in eamdem sententiam studiose collegit : « Fortis ab ignavo superatur, bonum prostravit inferior, justo justitia non profuit, castos providentia sæpe decepit, pudicis ac sobriis impudicus ac dissolutus in honoris petitione prælatus est : jacent strenui, laudantur improbi ; et quidquid huic profuit, illum incauta imitatione decepit. Hæc nobis omnia stellarum cursibus conferuntur : his nos Fortuna varietatibus conficit ». Quæ Firmicum a Græcis accepisse minime dubium est. In eamdem sententiam quoque Messaallah Arabs : « Quia

Astra novant formas, cælumque interserit ora:
Denique si non est fati, cur traditur ordo,
Cunctaque temporibus certis ventura canuntur?
Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve suis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, sed semine certo.
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quod natura dedit fruges, non nostra voluntas.
Sic hominum menti tanto fit gloria major,
Quod cælo gaudente venit, rursusque nocentes
Oderimus magis in culpam, pœnasque creatos.
Nec refert, scelus unde cadat: scelus esse fatendum.
Hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.
Quod quoniam docui, superest nunc ordine certo
Cælestes fabricare gradus, qui ducere flexo
Tramite prudentem valeant ad sidera vatem.

videmus alios prudentes exsui bonis, aliis stultis bene esse, nunc quid hoc ab aliqua caussa est? Quod igitur bene aut male succedat hominibus præter eorum voluntatem, nimirum id Dei nutu, et planetarum decretis accidere, quemadmodum et omnes bonos successus atque incommoda, fatendum est».

105. *Cælumque interserit ora.* Ut in Centauro homo interseritur equo. Scal. — Immo non interseritur, sed connectitur. Repone *interpolat ora.* Nonius: «Interpolare est novam formam e vetere fingere».

106. *Denique si non est.* Potentissimum hoc argumentum: Si non esset fatum, nulla essent apotelesmata. Atqui sunt. Quod autem sint, postea probat. Quum enim apotelesmata aut ex disjunctione signorum, aut ex vi astrorum considerentur, ea nunc præsenti libro duntaxat expositurus est, quæ ex disjunctione siderum spectantur. Cujus pragmatiæ quum multæ partes sint, illa præcipua censetur, quæ circa mores signorum versatur. Hi autem mores signorum aut circa universalia sunt, aut circa particularia. Ac de universalibus ultimo loco. De particularibus nunc aget, quæ circa individua versantur.

110. *Minus oderit.* B. autem *magis ederit.* Herbas enim *odisse*, quæ natura noxiæ sunt, nemo dicitur.

113. *Nostra voluntas.* Alii *ulla vol.*

114. *Menti tanto fit.* Bentl. *meritis tanto sit*, et sic vett. habent.

115. *Quod cælo gaudente venit.* Gemblac. *Quo cælo.* Manilianum Quo pro Quo magis. Sed nihil muto.

Nunc tibi signorum mores, summumque colorem,
Et studia et varias artes, ex ordine reddam.
Dives fecundis Aries in vellera lanis,
Exutusque novis rursus, spem semper habebit;
Naufragiumque inter subitum, censusque beatos
Crescendo cadet, et natis in damna feretur;
In jugulumque dabit fructus, et mille per artes
Vellera diversos ex se parientia quæstus:
Nunc glomerare rudes, nunc rursus solvere lanas:
Nunc tenuare levi filo, nunc ducere tela:
Nunc emere, et varias in quæstum vendere vestes,
Quîs sine non poterant ullæ subsistere gentes:
Vel sine luxuria tantum est opus: ipsa suismet

122. *Nunc tibi signorum mores. Mores*, ἰδιοτροπίας. — *Summumque colorem. Summum colorem* vocat, nulla enim hic errantium suffragia. Summum colorem, ut Græci ἐν χρῷ. Auson. *in summa cute.* Nam et χρὼς cutis apud Græcos. Proverbiale est. Idem quod alibi: « sed summa est rerum referenda figura ».

123. *Et studia et varias artes.* Nam et morum nomine etiam studia veniunt, quæ ipse Athla vocat.

124. *Dives fecundis.* Aries dabit mercatores, qui variis casibus rem frangent, ac iterum stabilient. Dat et lanifices et vestiariam facientes. Hæc sunt Athla sive studia. Facit et sollicitos et inconstantes.

125. *Exutusque novis.* Ut et pecus ipsa, quæ quotannis lanitium exuit, ac iterum producit. Quare qui sub hoc signo nascuntur, ut momento rem facient, sic et momento facultatibus labentur. — Bentl. vult: « Exuviisque novus », et perperam adducit Virg. Æn. II, 472.

127. Olim, *et notis in damna feretur.* Quemadmodum antea dixit: « spem semper habebit ». Sed reclamat Gemblac. « et natis in damna feretur ». Quid est crescendo cadet? h. e. natis opibus in damna feretur. Sic Catull. X, 15: *Natum æs* (var. l.), i. e. existens. — *Natis in damna feretur.* Δυσπεριχτήτους vocant Græci artis magistri, quos nunc lucrum, nunc damnum sequitur. Sic Paull. Alexandr. — Melior videtur Bentleiana lectio: *votis in damna feretur*, id est, successibus suis. Vid. sup. v. 9.

128. *In jugulumque dabit fructus.* Fructus gregis sunt agni et lana. Quoties id dicunt Jurisconsulti? Agni ad jugulationem et macello dantur, lanæ lanificio. Itaque uno versu utrumque comprehendit, quod nomine fructus venit.

132. *Nunc emere.* Interpolatores vestimentorum faciet: qui emunt vetera vestimenta et interpolata pro novis vendunt.

133. *Quîs sine non poterant ullæ subsistere gentes Vel sine luxuria.*

Adseruit Pallas manibus, dignumque putavit,
Seque in Arachnea magnum putat esse triumphum.
Hæc studia et similes dicet nascentibus artes,
Et dubia trepido præcordia pectore finget,
Seque sua semper cupientia vendere laude.
Taurus simplicibus donabit rura colonis;
Pacatisque labor veniet: nec præmia laudis,
Sed Terræ tribuet partus: submittit in astris
Colla, jugumque suis poscit cervicibus ipse.
Ille, suis Phœbi portat quum cornibus orbem,
Militiam indicit terris, et segnia rura
In veteres revocat cultus, dux ipse laboris;
Nec jacet in sulcis, solvitque in pulvere pectus.
Serranos Curiosque tulit, fascesque per arva
Tradidit, eque suo dictator venit aratro.

Quibus vestibus, etiam si non abuteremur ad luxum, tamen, amoto omni luxu, sine ipsis degere non possemus; nisi nudi vellemus prodire. Tantum est opus illud, ac tam necessarium.

136. *Seque in Arachnea magnum putat esse triumphum.* Pallas dicitur triumphus, hoc est, triumphatrix, quomodo pastor certamen, h. e. certator apud Virg. Ecl. VII, 16: «Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum».

138. *Et dubia in trepido.* Dele τὸ *in*. Positio fit in sequenti syllaba: ut supra: «Ne magna brevibus careant compendia dictis».

140. *Taurus simplicibus donabit.* Exstant vestigia in Gembl. *dotabit.* Taurus agricolas dabit, laboriosos, laudis cupidos, taciturnos, tarda ingenia, et amoribus dedita. — *Dictabit rura* habet Bentl. Vid. infra vs. 177. Ed.

141. *Pacatisque labor veniet.* Gemblacensis recte: «Pacatique labor veniet». Si retines *Pacati*, erit pacati soli. Utroque recidit sententia. Natis sub Tauro continget labor quidem, sed in pacato, et fructus, non gloria.

142. *In astris.* Alii *aratris.*

143. *Jugumque suis poscit cervicibus ipse.* Adludit ad astrothesiam. Taurus pingitur inflexus, et quasi jugum poscens.

144. *Ille suis Phœbi portat.* Et Virgilius pæne iisdem verbis in eamdem sententiam, Georg. I, 217: «Candidus auratis aperit quum cornibus annum Taurus».

145. *Militiam ... terris.* Habes ibidem apud Virgilium et Hesiodum, qui sunt vice interpretis Manilio. — B. dat *Militiam dicit.* Vid. vs. 569.

148. *Fasces* pro *faciles*, ut olim correximus, et Gembl. retinet: et sequentia probant.

Laudis amor, tacitæ mentes, et corpora tarda
Mole valent, habitatque puer sub fronte Cupido.
Mollius e Geminis studium est, et mitior ætas,
Per varios cantus, modulataque vocibus ora,
Et graciles calamos, et nervis insita verba,
Ingenitumque sonum : labor est etiam ipsa voluptas.
Arma procul, lituosque volunt, tristemque senectam:
Otia et æternam peragunt in morte juventam.
Inveniunt et in astra vias, numerisque modisque
Consummant orbem, postquam ipsos sidera linquunt.
Natura ingenio minor est, perque omnia servit.
In tot fœcundi Gemini commenta feruntur.
Cancer ad ardentem fulgens in cardine vittam,
Quam Phœbus summis revocatus curribus ambit,

152. *Mollius e Geminis.* Gemini Calliopicos, seu cantores, et musicos dant, voluptarios, astronomos, arithmeticos, geometras.

153. *Per varios cantus.* Ejusmodi Calliopicos vocat Firmicus, ᾠδικοὺς, Ptolemæus, καὶ φιλομούσους· fortasse etiam musicarios suspiceris in vetere inscriptione Romana :

CALOCASIO
VERNÆ DVLCISS.
ET MVSICARIO
INGENIOSISSIMO.

Nisi intellexeris musicorum instrumentorum artifices; quod fortasse verius.

155. *Ingenitumque sonum.* Nervis verba insita, et nervis ingenitum sonum. Nugandum absque ope codicis fuisset. — *Labor est etiam ipsa voluptas.* Adeo laborem gravantur, inquit, ut etiam ipsa voluptas illis oneri sit. Hyperbolice dictum.

157. *Peragunt in morte.* Hoc obscurum est : feliciter conjicit Bentl. *peragunt in amore.* Sic V, 111 : « vario ducunt in amore juventam ». Ed.

158. *Inveniunt et in astra vias.* Astronomi sunt. — *Numerisque modisque.* A numeris arithmeticos, a modis geometras censet.

159. *Consummant orbem.* Proprio vocabulo utitur : orbis enim disciplinarum dicitur, ut græce encyclopædia. Mathematices orbem complebunt. Musici, astronomi, geometræ, arithmetici erunt. Tot enim partes mathematices κύκλον μαθημάτων consummant. — *Postquam ipsos sidera linquunt.* A siderum studio, ad geometriam et arithmeticen se conferent. — *Postquam.* B. *Postque ipsos*, h. e. post se.

160. *Cancer ad ardentem fulgens in cardine vitam.* *Vitam* antiquitus pro *vittam* scriptum accipimus, id est, zonam. Ita vocat, ut Lucanus loquitur, circulum alti solstitii. — B. reponit *metam*, et hoc confirmari ait τῷ *revocatus*, quod et a Circo desumptum. Ed.

163. *Quam* Gembl. vittam scilicet.

Articulum mundi retinet, lucesque reflectit.
Ille tenax animi, nullosque effusus in usus,
Adtribuit varios quæstus artemque lucrorum :
Merce peregrina Fortunam ferre per urbes,
Et gravia annonæ speculantem incendia, ventis
Credere opes, orbisque orbi bona vendere posse,
Totque per ignotas commercia jungere terras,
Atque alio sub Sole novas exquirere prædas,
Et rerum pretio subitos componere census.
Navigat, et celeres optando sortibus annos,
Dulcibus usuris, æquo quoque, tempora vendit.

164. *Articulum mundi.* Quia longius Sol non excurrit in Borealia.

165. *Ille tenax.* Sub Cancro avari, mercatores, fœneratores nascnntur. —*Nullosque infusus.* Lege, ut olim, *effusus.* Confirmat Gemblac.

168. *Et gravida annosæ speculantem incendia mentis.* Ægrorum somnia sunt hæc. Turnebus, et nos olim, antequam Adversaria Turnebi ederentur, valde adolescentes legebamus : « Et gravia annonæ speculantem incendia, ventis Credere opes ». Ita habet Gembl. ne una quidem litera minus. Furor est adversus hæc pertendere.

173. Olim *Navigat et steriles optando sortibus annos.* Quid ? optat steriles annos sortibus? O illepidum caput, cujus hæc interpolatio fuit. Gembl. « Navigat, et celeres optando sortibus annos ». Profecto fœneratores nihil prius in votis habent, quam ut quam primum sors æquetur fœnori. Hoc est, quod dicit, optare celeres annos sortibus. Inde Ausonius velocem usuram vocat : « et velox inopes usura trucidat ». De nautico fœnore et trajectitia pecunia intelligi clarum est.

174. *Dulcibus usuris æquo quoque tempora vendit.* Si non navigat, ut negotietur in sua sibi pecunia : at saltem aliis trans mare fœnerat. Non solum, inquit, vendit tempora sorti, quum exigit usuras sortis, sed etiam æquo, id est, pro rata exigit usuras usurarum. Hoc enim est vendere tempora usuris æquo; quia et sortibus quoque annos vendit, quos optat celeres fluere, ut sortem quam primum æquent usuræ, et usura fiat altera sors. Vera et indubitata hujus loci expositio. De trajectitia enim pecunia sermo est, quæ graviores longe, quam mediterranea, usuras exigit, quod trajectitia periculo creditoris sit. Ita igitur intelligendus locus : Aut navigat, aut navigantibus mutuat. Nam quum ipse navigat, tunc periculo suo, et suis nummis navigat. —*Dulcibus usuris.* Ulpianus *dulcitate usurarum dixit*, L. 10, ff. Quæ in fraud. cred. Quod autem hic dicitur, ex aliquot casibus accidere potest, non semel. Nimirum temporis usuræ quoque exiguntur. — *Æquo quoque*, h. e. usura, quæ sortem æquet, quod *cent pour cent* dicimus.

Ingenium solers, suaque in compendia pugnax.
Quis dubitet, vasti quæ sit natura Leonis?
Quasque suo dictet signo nascentibus artes?
Ille novas semper pugnas, nova bella ferarum
Adparat, et spolio vivit pecorumque rapinis.
Hoc habet, hoc studium, postes ornare superbos
Pellibus, et captas domibus præfigere prædas,
Et pacare metu silvas, et vivere rapto.
Sunt quorum similes animos nec mœnia frenent,
Sed pecorum membris media grassentur in urbe,
Et laceros artus suspendant fronte tabernæ,

176. *Quis dubitet vasti.* Leo dat venatores, vestigatores, bestiarios, confectores ferarum. Facit et simplices, ac minime dolosos.

180. *Hoc habet, hoc studium.* Probanda mihi videtur emendatio Marklandi ad Stat. Silv. p. 43, legentis: *Hic labor, hoc studium*, pro quo infeliciter Pontanus, *Hoc havet, hoc studium*, et legi posset *Hic amor, hoc studium*, ut sit imitatio Virgilii, Æn. XI, vs. 739: « Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus haruspex Nuntiet», et ita Bentleium coujicere video. Ed. — *Postes ornare superbos.* Melius Gemblaceus. *superbis.* Postes illi Veteres ornabant spoliis ferarum, item armis. — Ad hunc ritum refer illud e carm. ad Pison. 8: « Nam quid imaginibus, quid avitis fulta tropæis Atria ». Neque publica tantum templorum, sed et privatarum ædium limina et postes spoliis hostilibus exornatos fuisse plurima Veterum docent testimonia; vid. Virg. Æn. II, 514; III, 287; V, 360, et præsertim VII, 183: « Multaque præterea sacris in postibus arma Captivi pendent currus ». Et Horat. Carm. IV, 15, 8. Denique Val. Flaccus, III, 25. De privatis ædibus insignis etiam locus Silii Italici, VI, 435: « Adfixi clypei, currusque et spicula nota Ædibus in parvis ». Ed.

182. *Et pacare metu silvas.* Recte Gembl. Stat. Theb. IV, 248: « tum saltus forte remotos Pacabat cornu, gelidique aversa Lycei ».—*Et vivere rapto.* Gembl. *et vivere victor.* Non sequimur. Nisi sit *vivere victo*, hoc est, feris domitis.

184. *Sed pecorum membris.* Intelligit bestiarios, non utique qui ad bestias damnati erant, quos ἐπιθανατίους vocat Apostolus, I ad Cor. IV; sed eos, qui auctorati hoc faciebant, ac spectaculo meridiano operam locabant, vel ut Maniliane loquar, qui luxuriæ cædem parabant; de quibus diserte scribit Theodericus rex apud Cassiodorum, in epistola penultima libri V, et Callistratus l. 3, ff. lege, De testib. Ii propter desperatam audaciam dicebantur παράβολοι. Claud. Carm. XVII, 294: «Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum Arte ligent, cer-

Luxuriæque parent cædem, mortesque lucrentur.
Ingenium ad subitas iras, facilesque recessus,
Ac quale est puero : sententia pectore simplex.
At quibus Erigone dixit nascentibus ævum,
Ora magisterio, nudosque coercita Virgo
Ad studium ducet mores, et pectora doctis
Artibus instituet : nec tam compendia census,
Quam caussas, viresque dabit perquirere rerum.
Illa decus linguæ faciet, regnumque loquendi ;
Atque oculos mentis, quæ possit cernere cuncta,
Quamvis occultis naturæ condita caussis.
Hic et scriptor erit velox, cui litera verbum est,

toque premant venabula nisu ». Vides Claudianum τοὺς παραβόλους *audaces* vertere. Dicuntur et οἱ παράβολοι confectores Suetonio. Glossæ, coofector, ἀναιρέτης. In veteri inscriptioue legitur : *Confectvariorvm. et. Svariorvm. corpvs.* Et Glossæ adstipulantur : Confectores, καταβόλια. Malim καταβόλοι· ita dicti, quod basta feras collocabaot iu ludo meridiano. Et videndom, au locos, quem ζωγρὸν et ζωγρεῖον vocant Græci, quo bestiæ includebaotur, hinc dictus sit. Vocabatur eoim Catabolum : de quo in Martyrologiis et alibi.

186. B. reponit *parent cænam, moresque lucrentur*, et hic de lauiis agi putat, qui ex moribus publicis quum cœnæ luxuriosæ parantur lucrum faciunt. Ed.

187. *Ingenium ad subitas iras facilesque recessus.* Horat. Epist. I, 20, vs. 25 : « Irasci celerem, tameu ut placabilis essem ».

188. *Æquale et puero.* Malim : « Et quale est puero ». Et ita scriptum reliquit Manilius.

189. *At quibus Erigone.* Virgo dociles, studiosos, eruditos, facundos, acutos dabit. Nascontur etiam notarii, siogolarii scriptores : item pudeotes et compositis moribus.

190. *Ora magisterio.* Virgo coercita et sapiens ducit magisterio in studium ora et mores nudos. *Ducere in studium*, informare. *Ora*, quia docet eloquentiam. *Nudos mores*, puerorum primam ætatem imbuet ethicis præceptis.— *Ora magisterio.* Virgo dicitur magistra infra : « Nec Leo venator veoiet, nec Virgo magistra ».

191. *Et pectora doctis.* Philologos, literarum amantes efficit. Ptolem.

192. *Illa decus linguæ faciet.* Olim *ille :* sed qui consequitur eloqueotiam a Virgioe, noo ille eam fecit, sed Virgo, quæ illi dedit. Et ita Firmicus : « Horoscopus io Virgine, et io eodem Mercurius, et Venus et Mars partiliter collocati eloquentissimos facit. Talis Hermodori et Demosthenis fuisse genitura proditur a Veteribus ».

197. *Hic et scriptor erit felix.* Gembl. *scriptor erit velox.* Inde tachygraphi dicuntur, qui et notarii.

Quique notis linguam superet, cursumque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.
In vitio bonus : at teneros pudor impedit annos,
Magnaque naturæ cohibendo munera frenat.
Hinc fecundus erit, quod mirum in Virgine, partus.
  Librantes noctem Chelæ cum tempore lucis
Per nova maturi post annum tempora Bacchi,
Mensuræ et tribuent usus, et pondera rerum,
Et Palamedeis certantem viribus ortum :
Qui primus numeros rebus, qui nomina summis
Imposuit, certumque modum, propriasque figuras.
Hic etiam legum tabulas, et condita jura

— *Cui litera verbum est.* Singularum scriptor. Imperator Justinianus.

198. *Quique notis linguam.* In Ausonio et Martiale talem olim ostendimus. Dio Mæcenatem hujus artis inventorem prædicat. Sed Isidorus habet, Aquila Mæcenatis libertus, non autem Mæcenas.

200. *In vitio bonus.* Ironice dictum, ut « solaque libidine fortis ». Vitium enim est, quod magna naturæ cohibendo munera frenat. Vitium, inquam, subrusticus ille pudor ; absque quo foret, magnas naturæ dotes in lucem promeret. Ejusmodi etiam qui homines verentur convenire, ut ille Novius Martialis vicinus. In veteribus codicibus, quos vidimus, constanter est scriptum : *In Novium Microspicum,* vitiose pro *Micropsychum :* quæ erat eorum temporum consuetudo scribendi. Sic in saxo Romano Clavdia Spychario. Rectum enim erat Clavdia Psychario. B. *Ingenio bonus,* i. e. natura et indole bonus.

202. *Hinc fecundus erit.* Fecundi etiam sub Virgine nascuntur : quod mirum ; quum Virginis illi effectus esse non debeant. Nam ut ipsa non parit, ita neque eam parentem aut fecundam efficere consequens erat. Et quidem Virgo est de signis sterilibus. — Melius legeretur : *Nec fecundus erit (quid mirum in Virgine ?) partus.*

204. *Per nova maturi post addunt.* Item Gembl. et textus Bonincontrii *post annum.* Chelæ librantes noctem cum luce per nova munera Bacchi. Suspectus versiculus. — B. emendat : « Quum nova... gustamus munera Bacchi ».

207. *Qui primus numeros.* Palamedes ipsemet de se prædicat apud Euripidem in Palamede. Si Æschylo credas, etiam Palamedes primus acies ordinaverit, duces, centuriones instituerit. Ille quoque in tragœdia Æschyli ter cibum in die sumendi auctorem se gloriatur. — *Qui munera summis Imposuit.* Non feliciter Scal. *nomina* pro *munera* legendum esse monuit. Bentleianæ lectioni favet Gemblacensis codex, qui habet *nomina.* — *Qui nomina*

Noverit, aque notis levibus pendentia verba.
Et licitum sciet, et vetitum quæ pœna sequatur,
Perpetuus populi privato in limine prætor.
Non alio potius genitus sit Servius astro,
Qui leges potius posuit, quam jura retexit.
Denique in ambiguo fuerit quodcumque locatum,
Et rectoris egens, diriment examina Libræ.
  Scorpios armatæ violentus cuspide caudæ,
Qui, sua quum Phœbi currum per sidera ducit,
Rimatur terras, et sulcis semina miscet,
In bellum ardentes animos, et Martia corda
Efficit, et multo gaudentem sanguine civem:
Nec præda, quam cæde magis: quumque ipsa sub armis
Pax agitur, capiunt saltus, silvasque pererrant.
Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum:
Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenæ :

summis Imposuit. Summas numeros vocat, meusuras, ut infra : «Designat summas».

210. *Aque notis levibus pendentia verba.* Justinianus vetat leges singulis aut notis scribi. Marcus Diaconus Gazensis : « Frater Cornelius sciens notis scribere, quibus utuntur in jure». Sed illas notas ut e libris juris Latinis Justinianus; ita e Græcia quoque Basilius Imperator sustulit; vide Cedrenum, 467. Firmicus libro III : « Facit etiam aut calculi, aut musicæ, aut notarum, aut difficilium literarum inventores: redditque quoque socio in hoc loco Mercurio psephopæctas sæpe». Ita emendavimus ex veteri libro.

213. *Non alio potius genitus sit Servius astro.* Servium Sulpitium juris antistitem, familiarem Ciceronis, non regem Tullium intelligi, ut putat Bonincontrius, operam perdam si pluribus probem.

214. Bentl. ob geminatum potius versum refingit *Qui leges proprias posuit, quum*, etc.

217. *Scorpius armatæ.* Scorpius dat alacres, bellicosos, martiales, crudeles, venatores, gladiatores, arenarios, campidoctores.

222. *Quumque.* B. et Gemb. *Quin.*

224. *Nunc hominum, nunc bella gerunt.* In arena gladiatores cum aliis depugnant, et bestias quoque munere meridiano venantur in spectaculo.

225. *Nunc caput in mortem vendunt.* Auctorati enim, non autem ad ferrum damnati hoc faciunt. Sic supra de bestiariis: «mortesque lucrentur». Firmicus: « qui se ob alienæ gratiæ voluntatem, nundinati sanguinis jactura, ad mortis spectaculum vendant».

Atque hostem sibi quisque parat, quum bella quiescunt.
Sunt quibus et simulacra placent, et ludus in armis;
Tantus amor pugnæ est, discuntque per otia bellum,
Et quodcumque pari studium producitur arte.
At quibus in bifero Centauri corpore sors est
Nascendi concessa, libet subjungere currus,
Ardentes et equos ad mollia ducere frena,
Et totis armenta sequi pascentia campis,
Quadrupedum omne genus positis domitare magistris,
Exorare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare docendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.
Quippe feræ mixtum est hominis per sidera corpus;

226. *Quum bella quiescunt.* Jam dixit, 222: «quumque ipsa sub armis Pax agitur».

227. *Sunt quibus et simulacra.* Campidoctores sunt: aut sub Campidoctore simulacra pugnæ proludunt, et ad palaria batuunt, et virgis deludunt. Glossæ: *Campidoctor*, ὁπλοδιδακτὴς, *Armidoctor*, ὁπλοδιδάσκαλος. In passione Thebeorum militum: «Cum Exuperio, ut exercitus adpellant, Campidoctore, et Candido Senatore militum». Vide Vegetium.

229. B. monet hic non studium arte produci, sed artem studio: ergo refingit: «Et quodcumque Nepæ studium producitur astro». *Nepa* est Scorpios. Ed.

230. *At quibus in bifero.* Sagittarius rhedarios, equarios, domitatores, mansuetarios, robustos, acutos, agiles, vegetos facit.—*At quis semifero.* B. *biferum* enim non locum habet, ut Georg. IV, 119. Ed.

231. *Libet conjungere currus.* Lege, ut vetus Gemblacensis: «subjungere currus». Conjunguntur duo currus: subjungitur equis currus. Longe differunt.

232. *Ardentes et equos ad mollia ducere frena.* Subjunget curribus equos: aliquando etiam interjunctos domitabit. Interjuncti enim sunt jugo exempti. Stat. Theb. VI, 307: «Libycumque natantibus ire Interjunctus equis». Martial. Epigr. III, LXVII, 7: «et hora Interjungit equos meridiana».

234. *Quadrupedum omne genus.* Videndum, an scripserit: «Quadrupedum genus impositis domitare magistris». Nam impositus pro equo vehens dicitur. Virgil. Georg. III, 115: «Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere Impositi dorso». Et Manilius ipse «imposito pareret tota magistro». Non aliter hic scripsit Noster.

235. *Exorare tigres.* Elegantissime dictum de mansuetariis. Sed diversam et miram scripturam præfert Gembl. *Exunglare tigres*, h. e. exarmare. In vitis imperatorum,

Impositumque manet : quocirca regnat in illas,
Quodque intenta gerit curvato spicula cornu ;
Et nervos tribuit membris, et acumina cordi,
Et celeres motus, nec delassabile pectus.
Vesta tuos, Capricorne, fovet penetralibus ignes.
Hinc artes studiumque trahis : nam quidquid in usus

exarmati leones, quibus dentes, et ungues vulsi, ne noceant. Sed propterea nihil velim mutari. Nam recte conjunguntur exorare et rabiem auferre. Qui enim exarmat leonem, non propterea rabiem leoni, sed rabiei leonis facultatem nocendi aufert. Fortasse translatitie dixit exungulare, pro cicurare, et feritatem exuere. Contra Statius, Theb. VI, 724 : « et extremos auro mansueverat ungues ». Exarmare vero dictum, eo quod ungues in leonibus dicuntur arma, ut dentes in apris. Stat. IX, 589 : « Armaque curva suum, et vacuorum terga leonum ». Unde eleganter nostrates venatores dentes aprinos defensacula vocant. Idem lib. XI exarmatum senio leonem dicit : qui per senium nocere non potest. Sic Val. Flacc. VII, 596 : « alium (taurum) dehinc turbida Colchis Exarmat, lentumque offert timideque minantem », i. e. cicurat. — *Exorare tigres*. Mansuetarios efficiet. Ita vocat Firmicus. Glossæ : *Mansuetarius*, ἡμεροποιός. In Apotelesmatis sphæræ barbaricæ elegantissime mansuetarius describitur : « Non inimica feræ tali sub tempore natus Ora feret : placidas reget in commercia gentes. Ille manu vastos poterit frenare leones, Et palpare lupos, pantheris ludere captis, etc. » — *Rabiemque auferre leoni*. Silius, lib. I, 406 : « Karthalo non pavidus fetas mulcere leænas ». — B. præfert : *Exarmare tigres*, et adducit Lampridium : « leones et leopardos exarmatos » ; et Calpurn. Ecl. V, de serpente : « et obtuso jacet exarmata veneno ».

239. *Impositumque manet : quocirca regnat in illas*. Ita habet Gemblac. qui magna Scaligerum hæsitatione liberavit. Nam male vulgatæ editiones *in illos*. Quare qui nati sub Centauro imperant feris ? quia Centauri corpus mixtum est feræ corpori, atque adeo impositum est feræ ipsi. Nam pars anterior et erectior hominis est. Itaque imposita est parti ferinæ, ut domitor equo. Quocirca, inquit, regnat in illas, scilicet feras. — *Impositumque manet*. Nam et domitores equis impositi eos moderantur. Et supra, versu 234, recte legimus : « Quadrupedum genus impositis domitare magistris ».

243. *Vesta tuos*, etc. Gemblacensis et alter codex : « Vesta tuos, Capricorne ». Capricorni sidus dicatum Vestæ. Supra in tutelis Deorum : « Atque angusta fovet Capricorni sidera Vesta ». Ignis, qui dicatus est Vestæ, et ad Capricornum quoque pertinet, et omne opus ex igne.

244. *Hinc artes studiumque*. Capricornus dat fusores, conflatores, sive flaturarios, metallarios, aurifices, fabros ferrarios, pistores, furnarios. Dabit et salaces et incon-

Ignis agit, poscitque novas ad munera flammas,
Sub te censendum est : scrutari cæca metalla,
Depositas et opes, terræque exurere venas,
Materiamque manu certa duplicarier arte :
Quidquid et argento fabricetur, quidquid et auro :

stautes : quæ quidem pertinent ad morum habitum, ut illa priora ad Athla. Hoc quidem semper in his Apotelesmaticis facit, ut prius studia et operas, deinde animæ et corporis habitus exponat. Tantum monuisse suffecerit.

245. *Poscitque novas ad munera flammas.* Ita Gemblacensis et editio Lugdun. item Boniucontrii, non autem *sidera*, ut aliæ editiones.

246. *Scrutari cæca metalla.* Metallarii hinc nascentur. In vetusto Martyrologio, IV Kal. Septembr. *Herodes metallarius.* Rem metallariam Romani fatentur se a Bessis didicisse. Auctor Cassiodorus. Claudianus, Carm. XVII, 30 : « Hinc... quidquid fluviis evolvitur auri, Quidquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit solertia Bessi ».

247. *Terræque exurere venas.* Gemblacensis : « terramque exurere venis ».

248. *Materiamque manu.* Versus ab homine alchimista infartus. Saltem debebat loqui latine non alchimistice, si nobis persuadere volebat hunc feturam esse Manilii. Nam profecto numquam *exurere* et *duplicari* activum et passivum simul conjunxisset, nulla alia distinctione facta ; et præterea, quod caput est, numquam *duplicarier* pro duplicari dixisset. Deinde abrupta est sententia. Postremo est contra historiam et ordinem temporum. Illis enim temporibus alchimiæ neque nomen neque res nota, ne audita quidem Romanis auribus. Non habemus antiquiorem Firmico, qui ejus mentionem fecerit. Nam lib. III, in decretis Lunæ in nona domo : « Si, inquit, Saturni hæc domus fuerit, scientiam alchimiæ (dabit), si Solis, providentiam in quadrupedibus ». Unde potes colligere, quamvis inventum vetustissimum est, tamen sero ad Romanos pervenisse. Nam a quibus temporibus Arabes eam popularibus suis vulgarunt, ex eo sero tandem barbare et insolenter exposita ad nos traducta est. Dolebat nimirum homini alchimistæ, qui sciebat populares artis suæ sub hoc signo nasci, id negligenter a Manilio præteritum esse. Sed nulla fornax ciniflonum ita recoquere hunc versum poterit, ut purum Manilianum efficere possit. Quid verbis opus est? Versus est alchimista dignus. — Scaligero adsentit Bentleius; sed conjicit ordine mutato : « Quidquid ... Materiamque rudem cara duplicaverit arte ». Ed.

249. *Quidquid et argento fabricetur.* Flaturarios auri et argenti efficiet. In veteri inscriptione Romæ : FLATVRARIVS. AVRI. ET. ARGENTI. MONETAE. Item in alia : Q. SETLIVS. ONESIMVS. FLATVRAR. DE. VIA. SAC. Flatularii non flaturarii editum est l. 6 de falsa mon. in Codice Theodosii.

Quod ferrum calidi solvant atque æra camini,
Consumantque foci Cererem, tua munera surgent.
Addis et in vestes studium, mercemque fugacem,
Frigore brumalem servans per sidera sortem,
Qua retrahis ductas summa ad fastigia noctes,
Nascentemque facis revocatis lucibus annum.
Hinc et mobilitas rerum, mutataque sæpe

251. *Consumantque foci Cererem.* Quia ferri fusio, item panificium non sine igne fit; propterea et fusores et furnarios dabit. Denique omnes circa ignem operantes sub eo nascuntur, etiam alchimistæ et ciniflones. Flaturarii, χωνευταὶ, χαῦσται, χαλκεῖς Ptolemæo dicuntur.—*C. foci Cererem.* Intelligit mediastinos balneariorum. Glossæ: *Mediastinus, Præfusor:* item ministri furnariorum his accensentur. Glossæ, *Furnarius.* Suetonius Vitellio: « Antiochi cujusdam furnariam exercentis filia ». Meminit et Ulpian. l. 24, ff. De dam. inf. — B. et Huet. emendant *Consumment:* consummatio enim frumenti est panificium in furno. Codd. veterrimi habent *Consumentque.*

252. *Addis et in vestes.* Noli putare dictum vestiarios, aut sagarios sub eo sidere nasci, sed potius vestis pretium accendi Sole in Capricorno posito: quæ quidem recta est interpretatio: cui favent sequentia: « Frigore brumalem servans per sidera sortem ». Sic etiam Plinius Vergiliarum sidus ait esse institorem vestium, quia mense Novembri *matutina parum cautos jam frigora mordent.* Verba ejus sunt ex lib. XVIII, cap. 25 (60): « Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui a. d. III Idus Novemb. ut diximus, servant; quoniam id sidus etiam vestis institor est, et est in cælo notatu facillimum. Ergo ex occasu ejus de hieme augurantur, quibus est cura insidiandi negotiatoris avaritiæ ». Post: « Nubilo occasu pluviosam hiemem denuntiat, statimque augent lacernarum pretia: sereno asperam, et reliquarum vestium accendunt ». Non poterat melior interpres Manilio dari. — *Mercemque fugacem.* Quia dixit Capricornum expergefacere institores vestium, et augere pretium lacernarum, sequitur, ut eam mercem fugacem vocet, quæ cito extruditur, neque in institorio manet. Tunc enim propter anni tempus, Sole Capricornum ingrediente, magna annt vestiariæ mercis incendia.

253. *Per sidera.* Ex Gemb. et Lips. codd. restituendum *per sæcula.* Ed.

255. *Nascentemque facis.* Gembl. *focis*, unde vellem *foves.* Vid. v. 243.

256. *Hinc et mobilitas.* Capricornus est sidus biforme: nam pars caper est, pars piscis. Prior pars caprinos mores efficit, hoc est, inconstantes: caprarum enim est nusquam consistere. Rursus Capricornus ex eadem pecudis natura producit salaces. At melior pars ultima: nam effeta vitiis senecta vel invita tandem ad temperantiam redigitur.

Mens natat : at melior juncto sub Pisce senecta est.
Pars prior at Veneri mixto cum crimine servit.
Ille quoque, inflexa fontem qui projicit urna,
Cognatas tribuit juvenilis Aquarius artes.
Cernere sub terris undas, inducere terris,
Ipsaque conversis adspergere fluctibus astra,
Litoribusque novis per luxum ludere ponto,
Et varios fabricare lacus, et flumina ficta,
Et peregrinantes domibus suspendere rivos.
Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda,

257. *Mens natat.* Horat. Sat. II, 7, vs. 7 : « pars multa natat modo recta capessens, Interdum vitiis obnoxia ». In veteribus Glossis : *Titubo*, *nato*, *vacillo*.

258. *Pars prior et Veneri. Pars prior at veneri.* Non solum salaces, sed etiam molles et effeminati.

259. *Ille quoque inflexa.* Qui sub Aquario nascuntur, studium habebunt circa aquæductus, expressiones aquarum, elices, naumachias, euripos, sphæram mundi. Dociles et mites erunt; liberales ac effusi.

261. *Undas inducere terris.* In versu bis posuit *terris*, si hanc vulgatam lectionem sequimur. Non dubium est posterius corruptum esse. Qui dubitat, aut contradicit, imperite facit, neque audiendus est. Quid substituam nescio, nisi, quod verum puto, *tectis* pro *terris* legamus. Significat expressiones aquarum, quæ epitoniis versis, salientibus suis excussæ sursum emicant. — *Litoribusque novis.* Per hæc, et quæ sequuntur, euripos, et nova fluminum emissaria in Circo intelligit, quæ vocat ficta flumina. Virg. Georg. III, 18 : « Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus ». Flumina, hoc est, Euripum Circensem. Cassiodorus : « Circenses, quasi Circuenses; propterea quod apud antiquitatem rudem, quæ necdum spectacula in ornatum deduxerat fabricarum, inter enses, et flumina locis virentibus agerentur ». Fluminibus ergo successit Euripus; qui, ut ait idem Cassiodorus, maris vitrei reddebat imaginem : unde illuc delphini æquorei aquas interfluebant. Servius ad eum locum poetæ idem quod Cassiodorus : « Olim in litore fluminis Circenses agitabantur, in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignominiæ præsens periculum ».

262. *Adspergere fluctibus astra.* Hoc non de antliis intellige, sed de aquis salientibus. Vid. Huet. ad h. l.

263. *Ludere pontes.* Veterrimi codices habent *inludere*, recte. Ed.

266. *Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda.* De Metone Atheniensi aquilice et astrologo hæc dicta esse olim in libro II operis de Emendatione temporum docuit Sc. Meton enim non solum astrologiæ studiis, sed etiam aquiliciis et aquarum librationibus nobilis fuit. Nam quos fontes hic

Quæ per aquas veniunt operum, pontesque sequuntur.
Quippe etiam mundi faciem, sedesque movebit
Sidereas, cælumque novum versabit in orbem.
Mite genus, docilesque fluunt ab sidere partus.
Pectora nec sordent : faciles in damna feruntur.
Nec deest, nec superest census : sic profluit urna.
  Ultima quos gemini producunt sidera Pisces,
His erit in pontum studium, vitamque profundo
Credent, et puppes, aut puppibus arma parabunt,
Quidquid et in proprios pelagus desiderat usus.
Innumeræ veniunt artes : vix nomina rebus
Sufficiunt : tot sunt parvæ quoque membra carinæ.

Manilius memorat, eos ipse induxit Athenas, auctore Phrynicho Comico in μονοτρόπῳ. — *Mille sub hoc habitant.* Post hunc versum transponendus huc is, qui quartus ab hoc erat : « Quæ per aquas, etc. »

267. *Quæ per aquas veniunt operum portisque sequuntur;* fœdata sunt hæc. Recte Gemblacensis et alter manuscriptus : *pontesque sequuntur*, id est, arcus operum; aquæductus arcubus pontium impositos. — B. hunc versum ineptum et spurium pronuntiat. Salmasius autem hunc interpretatur de horologiis hydraulicis, mutato tamen *pontesque* in *fontesque*. Vid. Exercit. Plin. p. 378, ed. 1629. Ed.

268. *Quippe etiam mundi faciem.* Parapegma ortuum et occasuum siderum edet. Ex illo parapegmate Metonis Plinius et Columella non raro ortus et occasus stellarum petunt. Vid. lib. IV de Emend. temp.

269. *Sedesque movebit Sidereas.* Instituet conversionem cæli, quam dicet fieri decem et novem annis. — *Cælumque novum versabit in orbem. Orbem* periodum novem et decem annorum, cujus auctor Meton. *Novum*, novam periodum, quæ veterem periodum, Harpali octaetericam sustulit, ut Harpalea Cleostrateam.

270. *Dulcesque fluunt ad sidera partus.* Scribe *ab sidere.* Non semel in hoc scriptore *ad sidera* pro *ab sidere* scriptum fuit. — Bentl. habet *dulces*, et omnes scriptos ita habere adfirmat. Cur mutaverit Scaliger, nescio.

271. *Pectora nec sordent.* Liberales sunt. Interdum prodigi. — *Faciles in damna feruntur.* Luxus amantes sunt. Ptolemæus δαπάνους vocat.

272. *Sic profluit urna.* Expletur et impletur.

273. *Ultima quos gemini.* Piscibus geniti maritimis studiis implicabuntur : naves et armamenta navalia parabunt : naucleri erunt : peritissimi rei navalis : piscatores, naumachi, fecundi, voluptarii, inconstantes, ac nullibi stabile stabulum habentes.

Adde gubernandi studium : pervenit in astra,
Et pontum cælo conjunxit : noverit orbem,
Fluminaque, et portus mundi, ventosque, necesse est.
Jamque huc atque illuc agilem convertere clavum,
Et frenare ratem, fluctusque effindere rectos:
Aut remos agitare, et lentas flectere tonsas,
Et placidum inductis everrere retibus æquor,
Litoribusque suis populos exponere captos,
Aut uncos celare cibis, aut carcere fraudem :
Navales etiam pugnas, pendentia bella
Adtribuunt, pelagique infectos sanguine fluctus.
Fœcundum genus est natis, et amica voluptas,
Et celeres motus, mutataque cuncta per ævum.
Hos tribuunt mores, atque has nascentibus artes
Bis sex materia propria pollentia signa.
Sed nihil in semet totum valet : omnia vires
Cum certis sociant signis sub partibus æquis,
Et, velut hospitio, mundi commercia jungunt,
Conceduntque suas partes retinentibus astris.
Quam partem decimam dixere Decania gentes.

279. *Pervenit in astra.* Argo enim in astra illata est.

282. Ante Scal. *Jamque hue atque illue ealigine vertere elavum.* Quis hæc probaverit? Gembl. *aliquem convertere.* Susius recte *agilem convertere.*

283. *Fluctusque effindere rector.* Aio rectam lectionem esse : « fluctusque effindere rectos ». Tò *frenare ratem* id ostendit : item sequentia. Nam dicit aut rector stabit ad clavum, aut remex remo aget navem. Vera est ea lectio.

285. *Et pl. ductis.* Scribe *inductis everrere.* Etiam infra dixit « inductis retibus ... everrere », proprium verbum. Nam inde *Everriculum.*

290. *Fecundum genus est nautis.* Ridicule. Scribe : *Fecundum genus est natis.* Qui hinc nascuntur, fecundi sunt, etiam voluptarii.

293. *Bis sex materia propria pollentia signa.* Pollentia propria materia, quatenus mores considerantur, et per se, sine conjunctione. — B. legendum ait *natura propria*, ut infra, vs. 318 : « natura per astrum Stat tamen et proprias miscet per singula vires ». Ed.

294. Vid. Excursus I ad calcem hujus libri. Ed.

295. Pro *partibus* B. *sortibus.* Ed.

298. *Quam partem decimæ dixere Decania gentes.* Tò *decimæ* deprava-

A numero nomen positum est, quod partibus astra
Condita tricenis triplici sub sorte feruntur,
Et tribuunt denas in se coeuntibus astris,
Inque vicem ternis habitantur singula signis.
  Sic altis natura manet consepta tenebris,
Et verum in cæco est, multaque ambagine rerum.
Nec brevis est usus, nec amat compendia cælum.
Verum aliis alia opposita est, et fallit imago,
Mentiturque suas vires, et momina celat.
Quæ tibi non oculis, alta sed mente fuganda est
Caligo; penitusque Deus, non fronte notandus.
  Nunc quæ sint conjuncta quibus, quove ordine, reddam,
Ne lateant aliæ vires aliena per astra.
Namque Aries primam partem sibi vindicat ipsi.
Altera sors Tauro, Geminis pars tertia cedit.
Sic in ter denas divisum ducitur astrum.
Totque dabit vires, dominos quotcumque recepit.
  Diversa in Tauro ratio est, nec parte sub ulla
Censetur. Cancro primam, mediamque Leoni,
Extremam Erigonæ tribuit: natura per astrum
Stat tamen, et proprias miscet per singula vires.
  Libra decem partes Geminorum prima capessit:
Scorpius adjunctas. Centauri tertia pars est.

tum. Non possum opem adferre. Tolerabiliter legeris *decimam*.—Sed scripti vetustiores non *decimam* habent, sed *decanæ* et *degane;* unde forte legendum « Quapropter Graiæ dixere Decania gentes », ut Noster, I, 751: « quapropter lacteus orbis Dicitur, et nomen caussa descendit ab ipsa ». Ed.

304. *Et verum in cælo est.* Correximus olim *in cæco est.* Neque debet nos sententiæ pœnitere. Gemblacensis babebat *in ceno est*, i. e. *in cœno*, in voragine, non male. Sed Manilius scripsit *in cæco*.

307. *Nomina celat. Momina celat* Semper conjungit hæc duo, vires et momina.—B. *munia* vel *numina*.

312. Olim legebatur, *Astrorum princeps primam servat sibi partem.* Repone quem habet Gembl. et quædam editiones: « Namque Aries primam partem sibi vindicat ipsi ». — B. vult *sortem sibi*, et vs. seq. *Geminis sors.* Nimirum *pars* est tricesima pars signi; at sors est tertia

Nec quisquam numero discernitur; ordine cedit.
  Cancer in adversum Capricorni dirigit astrum,
Bis quinas primum partes dignatus in illo
Temporis articulo, sub quo censetur et ipse;
Quod facit æquales luces brumalibus umbris,
Cognatamque gerit diverso in cardine legem.
Alterius partis perfundit Aquarius ignes,
Quem subeunt Pisces extremo sidere Cancri.
  At Leo consortis meminit, sub lege trigoni,
Lanigerumque ducem recipit, Taurumque quadrato
Conjunctum sibi : sub Geminis pars tertia fertur.
Hos quoque conjungit per senos linea flexus.
  Præcipuum Erigone Cancro concedit honorem,
Quoi tribuit primam partem : vicina relicta est
Vicino, Nemeæe, tibi : pars ipsius ima est,
Quæ fastidito concessa est jure potiri.
  Sed Libra exemplo gaudet, pariterque regentem
Noctes atque dies diverso in tempore secum
Lanigerum sequitur : veris juga temperat ille :

pars signi, sive partes decem. Ed.

322. *Nec quisquam numero discernitur : ordine cedit.* Quia dixerat in Tauro diversam esse rationem ac in Ariete, quia Aries primam suam sibi decuriam in signo suo vindicat, nec ideo tamen primus est Decanus signi sui Taurus; propterea, inquam, addit, hic non numeri, sed ordinis rationem haberi. Neque enim quia primus est Taurus post Arietem, propterea primam in suo signo decuriam obtinebit; sed cedit ordini. Cancer enim ordine venit.

323. *Cancer in adversum Capricorni dirigit astrum. Dirigit*, tendit, absolute, ut non semel apud Tertullianum.

324. *Bis quinas partes primum dignatur. Dignatus* Gemb. et nos olim.

328. B. hic quoque *sortis* pro *partis* reponit, ut et vs. 316, 321, 332, 335, 336, recte, ut videtur. Ed.

333. *Hos quoque conjungit.* Ita melius puto, quam quod exstat in Gembl. *His quoque contingit.* Ut Leo Tauro quadratus est, ita Geminis sextilis. Hoc vult; Bonincontrius enim somniat.

337. *Quæ fastidito concessa est.* Græcissat, *concessa est jure potiri.* Paullus l. ultima, ff. De aleatoribus : « Quod in convivio vescendi caussa ponitur, in eamdem rem familia ludere permittitur ».

340. *Veris juga temperat illa.*

Hæc autumnales componit lucibus horas.
Nulli concedit primam, traditque sequenti
Vicinam partem. Çentauri tertia summa est.
Scorpios in prima Capricornum parte locavit:
Alterius dominum, qui nomen fecit ab undis.
Extremas voluit partes sub Piscibus esse.
At qui contento minitatur spicula nervo,
Lanigero primas tradit sub jure Trigoni,
Et medias Tauro partes, Geminisque supremas.
Nec manet ingratus Capricornus crimine turpi,
Sed munus reddit Cancro, recipitque receptus,
Principiumque sui donat: conjuncta Leonis
Regna ferunt, summas partes at Virginis esse.
Fontibus æternis gaudens Urnaque fluenti
Jura sui Libræ permittit prima regenda.
Hærentesque decem partes Nepa vindicat ipsi:
Summas Centaurus retinet juvenile per astrum.
Jam superant gemini Pisces, qui sidera claudunt.
Lanigero primos tradunt in finibus usus.
Perque decem medias partes tu, Taure, receptus.
Quod superest, ipsi sumunt, atque orbe feruntur
Extremo: sic et sortis pars ultima cedit.

Immo *ille:* contra in sequenti *hæc*, non *hic*, et *lucibus*, non *lucidus*. To *lucidus* imposuit Bonincontrio. Itaque satis stolide *lucidus* in *lancibus* innovavit.

343. *Vicinam sortem* B.

356. *Hærentesque decem partes Nepa vindicat ipsi. Ipsi*, sibi ipsi, Manilianum. Nepam pro Scorpione usurpat etiam Cicero uterque Marcus et Quintus. Glossæ: Nepa, σκορπίος. Alii Veterum pro Cancro, ut Plautus; vide Varronem.

359. *Lanigero primos tradunt*. Piscium primam decuriam obtinet Capricornus, secundam Aquarius, tertiam Pisces ipsi. Atque ita rem habere, nisi prorsus insanimus, vel unum Diagramma nostrum convicerit. Ratio trigoni aliter non patitur. Et quemadmodum primum signum Aries primam decuriam in suo sibi signo obtinet, ita Pisces ultimam in suo. At Manilius primæ Piscium decuriæ Arietem decanum facit, secundæ Taurum, tertiæ ipsos. Magna est inscitia, an alogistia.

361. *Atque orbe*. Melius *utque*. Alterum enim alteri respondebit, *ut, sic* et *sortis*. Ed.

Hæc ratio retegit latitantis robora mundi,
In pluresque modos, repetitaque nomina cælum
Dividit, et melius sociat, quo sæpius, orbem.
Nec tua sub titulis fallantur pectora notis.
Dissimulant, non ostendunt mortalibus astra.
Altius est acies animi mittenda sagacis,
Inque alto quærenda manent, junctisque sequendum
Viribus, et cujus signi quis parte creatur,
Ejus habet mores, atque illo nascitur astro.
Talis per denas sortes natura feretur.
Testis erit varius sub eodem sidere fetus,
Quodque in tam multis animantum millibus, uno
Quæ veniunt signo, tot sunt, quot corpora, mores,
Et genus externum referunt aliena per astra,

364. Pro *nomina* C. *omina*. Vide an præstet *munia*. Horat. Serm. II, 2, 67: « dum munia didit ». Ed.

365. *Et melius sociat quoque sæpius orbem*. De vitio satis constat. De remedio consulendus Gemblac. « et melius sociat, quo sæpius, orbem ». Idem est, quod paullo ante dixit, *repetitaque nomina*, vel *momina*. Utrumque enim admitti potest.

366. *Ne tua sub titulis*. Signum natura in terna signa alia divisit, ne forte sub noto titulo fallaris, et hæreas illis tantum, quæ supra in Apotelesmatis signorum integrorum posuimus. Nam si duo sub eodem signo nati sunt, alter puta in sexta parte Arietis, alter in decima sexta, ne ideo putes similium morum fore. Fallet enim te titulus Arietis. Nam quamvis in eodem signo, tamen prior mores Arietis sortietur, quos supra in Ariete enarravimus; quia Aries suæ primæ decuriæ Decanus est. Alter vero, qui natos est sub decuria Tauri, habebit mixta Apotelesmata Arietis et Tauri.

367. *Dissimulant non ostendunt*. Tituli scilicet non ostendunt qualia sunt ipsa astra, sed dissimulant. Hic corruptus est Gemblac. Habet enim *ostentur*. An dicendum Manilium scripsisse: « Dissimulant non ostentum mortalibus astra ». Astra dissimulant non ostentum: quod nolunt ostendere. B. reponit: « Dissimulant, non se ostentant ».

368. *Inque alio quærenda manet*. Legebat Scal. *Inque alto*, i. e. obstruso, recondito. Sed melius *alio* retinere, et *sequentum* legere, i. e. sequentium signorum.

369. *Testis erit varius*. Pone Solem esse in VI parte Arietis, primo decano Arietis. Quia Sol animabus imperat, erit is animus perplexus, dubius, venditator, vanus. Rursus statue Solem in XVI parte Arietis, secundo decano Tauri. Dicemus eum animum laudis cupidum, taciturnum, amoribus ac deliciis deditum. Denique pone in XXVI

Confusique fluunt partus hominum atque ferarum.
Scilicet in partes junguntur condita plures,
Diversasque ferunt proprio sub nomine leges.
Nec tantum lanas Aries, nec Taurus aratra,
Nec Gemini Musas, nec merces Cancer amabit,
Nec Leo venator veniet, nec Virgo magistra,
Mensuris aut Libra potens, aut Scorpius armis,
Centaurusque feris, igni Capricornus, et undis
Ipse suis Juvenis, geminique per æquora Pisces:
Mixta sed in plures sociantur sidera vires.
  Multum, inquis, tenuemque jubes me ferre laborem,
Cernere quum facili lucem ratione viderer.
Quod quæris, Deus est : conaris scandere cælum,
Fataque fatali genitus cognoscere lege,
Et transire tuum pectus, mundoque potiri.
Pro pretio labor est, nec sunt immunia tanta.
Nec mirere viæ flexus, rerumque catenas.
Admitti potuisse sat est : sunt cætera nostra.

Arietis, decano Geminorum tertio. Dicemus solertem, vigilacem, lucri cupidum. Nam hæc omnia singulis signis suis exposita supra sunt. Vide quot diversitates morum in uno signo pro ratione decanorum.

378. *Scilicet in partes*. B. *in sortes*, iisdem de caussis, quæ dedimus vs. 312.

380. *Nec tantum lanas Aries*. Quia Luna corpora et actus regit, pone Lunam similiter esse in primo decano Arietis. Nascetur mercator. In secundo constituta aratorem faciet, in tertio musicum. Vides manifesta discrimina. Sed hæc pari levitate perierunt, atque inventa fuerunt. In solis enim Arabibus, tamquam in fundo, hæc fæx resedit.

387. *Multum, inquis*. B. post hunc versum subnectit v. 396 : « Rursus et in magna mergis caligine mentem ». Certe hic venit commode, et eo loco, quem vulgo obtinet, sensum valde perturbat. Ed.

388. *Cernere quum facili lucem ratione viderer*. *Viderer*, putarem. Sic apud Terent. Eunuch. vs. 454 : « Audire vocem visa sum modo militis », hellenismus.

391. *Et transire tuum pectus*. Et exire extra te.

392. *Pro pretio labor est*. Ad eamdem sententiam auctor Ætnæ : « immensus labor est, sed fertilis idem : Digna laboratis respondent præmia curis ».

393. *Nec mirere*. Ne primo aditu deterrearis : satis est potuisse intrare. Cætera in tua potestate.

At nisi perfossis fugiet te montibus aurum,
[Rursus et in magna mergis caligine mentem,]
Obstabitque suis opibus superaddita tellus.
Ut veniant gemmæ, totus transibitur orbis.
Nec lapidum pretio pelagus cepisse pigebit.
Annua solliciti consummant vota coloni.
Et, quantæ mercedis erunt fallacia rura?
Quæremus lucrum navi, Martemque sequemur
In prædas? pudeat tanto bona velle caduca.
Luxuriæ quoque militia est vigil, atque ruinis
Venter: et, ut pereant, suspirant sæpe nepotes.
Quid cælo dabimus? quantum est, quo veneat omne?
Impendendus homo est, Deus esse ut possit in ipso.
Hac tibi nascentum mores sunt lege notandi.
Nec satis est, signis dominantia discere signa
Per denos numeros, et quæ sint insita cuique.
Sed proprias partes ipsas spectare memento,

395. *At nisi perfossis.* Piget te modici laboris in divinæ rei investigatioue, at non immodicæ fatigationis in auro eruendo. Persequitur hoc argumentum auctor Ætnæ v. 267, sup. l. III, p. 119: «Scrut. rimas, et vertimus omne profundum».

400. *Annua solliciti consummant vota coloni.* Senec. Hercul. Fur. vs. 1039: «nondum litasti, nate; consumma sacrum». Sed Gembl. habet *consumunt*, et multum alternant apud illum et excusos *consummare* et *consumere.*

404. *Luxuriæ quoque militia est vigil.* Non solum militia est in castris, qua Martem sequentes in prædas ruimus: sed et sollicitudo circa gulam et ventrem est altera militia.—*Vigil, atque.* Omnes *vigilatque;* unde B. *vigilatque culinis*, non male. Scal. *ruinis* de nepotatu et prodigentia interpretatur.

406. *Quantum est, quo veneat omne?* aurum scilicet.

407. *Impendendus homo est.* Si aurum impendis, nihil magnum impendis. Impendenda major res, homo ipse, ut adipiscaris Deum.

411. *Sed proprias partes.* Non solum monomœrias inter se spectare sat est, sed et absolute. Est altera pars monomœriarum. Veteres Ægyptii in portiones et momenta signa dividebant; easque particulas etiam signa vocabant, ut quædam quasi signa in signis essent. Neque vero æqualiter ea diviserunt, ut in decanis fecerant; sed alias atque alias diversimodis portiones fecerunt, propter diversas rationes, quas absolutis stellarum circuitionibus ad-

Vel glacie rigidas, vel quas exusserit ignis,
Et steriles utroque tamen, quas largior humor,
Quasque minor jam succus obit: namque omnia mixtis
Viribus, et vario consurgunt sidera textu.
Est æquale nihil: terrenos adspice tractus,
Et maris, et notis fugientia flumina ripis.
Crimen ubique frequens, et laudi noxia juncta est.
Sic sterilis terris lætis intervenit annus,
Ac subitos rumpit parvo discrimine fetus,
Et modo portus erat pelagi, jam facta Charybdis,
Laudatique cadit post paullum gratia ponti.
Et nunc per scopulos, nunc campis labitur amnis:
Aut faciens iter, aut quærens uritve reditve.
Sic etiam cæli partes variantur in astris.
Ut signum a signo, sic a se discrepat ipsum,
Momentoque negat vires victumque salubrem.
Quodque per has geritur partes, sine fruge creatur,
Aut cadit, aut multis sentit bona mixta querelis.
Hæ mihi signandæ proprio sunt carmine partes.
Sed quis tot numeros toties sub lege referre,
Tot partes iterare queat, tot dicere summas,

tribuebant. Portiones igitur eæ in signis aliæ Saturni inveniuntur, aliæ Jovis, aliæ Veneris, ac deinceps reliquorum Planetarum. Quorum igitur stella quædam invenitur in domo benevolæ, ac terminis malevolæ, ea vitiat atque obscurat fortunam. Ita terminorum effectus alterat stellarum Apotelesmata. Sunt autem earum partium aliæ lucentes, aliæ obscuriores, aliæ steriles, aliæ ustæ, aliæ rigentes, seu algidæ. Puteales etiam addiderunt sive a se, sive a priscis Græcis Arabes maleferiati, ridicula ac joculari impudentia. Denique noxias aut utiles partes constituebant, prout decanorum potestates erant. Idem judicandum de partibus plenis ac vacuis apud Firmicum libro IV. Quæ omnia veterum Ægyptiorum otiosa curiositate reperta sunt ex illorum monomœriis, et Æsculapii Myriogenesi excussa.

413. Bentl. refingit: « Et steriles utroque modo, queis largior humor, Queisve minor justo nocuit ».

424. *Aut faciens iter aut quærens.* Suspectus versus. Gemblac. habet *uritve reditve*. B. *curritve*.

427. *Momentoque negat vires utroque salubres.* Præferimus lectionem

Per partis caussas faciem mutare loquendi,
Incinimus si verba piget? sed gratia deerit :
In vanumque labor cedit, quem despicit auris.
Sed mihi per carmen fatalia jura ferenti,
Et sacros cæli motus, ad jussa loquendum est :
Nec fingenda datur, tantum monstranda figura.
Ostendisse Deum nimis est : dabit ipse sibimet
Pondera : nec fas est verbis suspendere mundum.
Rebus enim major : nec parva est gratia nostri
Oris, si tantum poterit signare canendo.
Accipe, damnandæ quæ sint per sidera partes.
  Lanigeri pars quarta nocet, nec sexta salubris.
Septima pars illi a decuma, decumæque secunda,

Gemblacensis : *victumque salubrem.* Sequentia adtestantur.

433. *P. p. caussas*, per singularum partium caussas. — B. *Proque artis caussis*, i. e. pro necessitatibus, requisitis artis. Alii, *per varios casus.*

434. *Incinimus si verba piget.* Locus pessime acceptus. Opem ferre non possum. Nescio an legendum *Incidi*. Hoc est, si piget nos verborum inflexionis in hac egestate sermonis Latini. Nam nove impersonale cum verbo non transitivo posuit. Sic in sphæra barbarica : « Ardentem medios animum libet ire per ignes ». Eodem modo dictum fuerit hic, *incidi verba piget*, ut illic *animum ire libet. Incidi verba*, ut dolari. Aliud est verba cædere apud Terentium, pro verba facere. Quamobrem incidere verba fuerit nova incude recudere : quod faciendum necessario in paupertate eloquii Romani. Si ponamus ita intelligendum : Quomodo extraneam dictionem expressero, nisi verba ipsa quomodocumque inflectam ? nisi nova incude verba procudam ? —B. *Incipimus ... quod gratia.* Queritur enim de argumenti sequentis jejunitate.

434. *Sed gratia deerit.* Aliquis dixerit : Hoc non probabitur. Nam quid in poesi acceptum esse potest, nisi delectet? Frustra probatur, quod aurium judicio improbatur.

436. *Sed mihi per carmen.* Atqui mihi non fingenda arbitrio meo materia datur, ut poetis, sed monstranda. Non cuivis hæc erant obvia.

437. *Cæli motus.* Melius *monitus.*

442. *Oris si tamen hæc.* Τὸ *tamen* abundat, ut Horat. od. I, 3, vs. 23 : « si tamen Non tangenda rates transiliunt vada ». Scal. Sed Gemb. habebat : *si tantum poterit.* Et B. emendat *cavenda.*

443. *Ac. damnandæ.* Noxias dumtaxat monomœrias expositurus est.

444. *Lanigeri.* In Ariete hæ partes noxiæ sunt secundum Manilium : IV, VI, XII, XIV, XVII, XVIII, XXI, XXIV, XXV, XXVII.

445. B. satis feliciter : « Septima

Quæque duas duplicat summas, septemque novemque,
Unaque viginti numeris pars addita lædit,
Et quinta, et duram consummans septima partem.
Tauri nona mala est, similis quoque tertia pars est
Post decumam, nec non decumæ pars septima juncta,
Bisque undena nocens, et bis duodena nocentes.
Quæque decem tresque ingeminat, fraudatque duobus
Triginta numeris, et tu tricesima summa.
Pestifera in Geminis pars prima, et tertia signis.
Septima non melior : ter quinæ noxia par est.
Unaque bis denis brevior nocet, unaque major:
Et similis noxæ veniet vicesima quinta :
Quumque duæ subeunt, vel quum se quattuor addunt.
Nec Cancri prima immunis, nec tertia pars est :
Nec sexta, octavæ similis; decumæque peractæ
Prima rapit : nec ter quinæ clementior usus.

par illi ac decima est»; vult enim VII, X designare, non XVII, ante XII.

447. *Unaque viginti numeris pars addita laudet*. Lego, *pars addita lædit*. Gemblac. *gaudet*. Vera lectio, quam restituimus. Sic infra : *vicesima et altera lædit*.

448. *Et quintam*. Melius *quinta* Gemblac. — *Consummat septima*. *Consummans*, et ita B.

449. *Tauri nona mala est*. Tanri partes noxiæ, IX, XIII, XVII, XXI, XXIV, XXVI, XXVIII, XXX.

451. *Nocentes*. Al. leg. *nocens est*.

453. *Triginta numeris et tu*. Gemblacensis : *Triginta numero sextum*. Quæ profecto sunt vestigia nostræ emendationis. Nota autem, candide lector, fecunditatem ingenii poetæ in istis morosis numeris concipiendis. Nescio, an Ovidio melius cessisset.

454. *Pestifera in Geminis*. Geminorum partes noxiæ, I, III, VII, XV, XIX, XXI, XXV, XXVII, XXIX.

455. *Ter quinta et noxia per se*. Depravatissima sunt. Gemblacens. *ter quina et noxia pars est*. Noli dubitare, quin vera sit lectio : *ter quinæ noxia par est*. Sic infra : *et similis noxæ veniet*.

459. *Nec Cancri*. Cancri partea noxiæ, I, III, VI, VIII, XI, XV, XVII, XX, XXV, XXVII, XXIX.

460. *Decumæque peracta*. Scribo *peractæ*. — B. reponit : « Nec sexta : octava est similis : decimaque peracta, Prima rabit ». Decima peracta, prima, est undecima, ut mox vs. 475 : « Quartaque bis denis actis », pro XXIV. *Rabit*, furit æstu, io Cancro scilicet. Sic infra de Canicula, V, 208 : « Et rabit igoe suo ». Ed.

461. *Nec ter quintæ*. Scribe, *ter quinæ*. Ita etiam Gemblacensis. Sic supra : *ter quinæ noxia par est*.

Septima post decimam luctum, et vicesima, portat;
Et quinta accedens, et septima, nonaque summa.
Tu quoque contactu summo, Nemeææ, timendus,
Et quarta sub parte premis : bis quinta salubri
Terque caret cælo : vicesima et altera lædit,
Et tribus adpositis junctim totidemque sequutis :
Ultima nec prima melior tricesima pars est.
Erigones nec pars prima est, nec sexta, nec una
Ad decumam, nec quarta, nec octava utilis unquam.
Proxima viginti numeris, et quarta timendæ,
Et quæ ter decimam claudit sors ultima partem.
Et quinta in Chelis, et septima inutilis esto.
Septima, et undecimæ, decimæque et tertia juncta,
Quartaque bis denis actis, et septima, et ambæ,
Quæ numerum claudunt, nona, et tricesima, partes.

464. *Tu quoque contactu.* Tangit enim borizontem, quando exstare incipit supra horizontem. Leonis partes noxiæ, I, IV, X, XV, XXII, XXV, XXVIII, XXX.—*Contactu summo.* Reponendum videtur *primo*, h. e. parte prima, et sic libri omnes. *Summo* enim essel parte ultima. Hoc casu irrepsisse videtur. Ed.

465. Ante Scalig. *Et prima sub parte.* Gembl. *Et quarta sub parte.* — *Et quinta salubris.* Gemblac. *bis quinta salubris.* Atqui non loquimur de salubribus partibus, sed contrariis. Lege ergo « bis quinta salnbri Terque caret cælo : vicesima et altera lædit ». Desperatus erat locus: bis quinta et ter quinta (boc enim latinius) sunt insalubres. — *Bis quinta.* Mallem *quina*, ut supra *bis undenis*, *bis denis*, et vs. 461 *ter quinæ.* Ed.

466. *Terque caret cælo.* Jam dictum est. Bonincontrius: « Immo non caret; quia Leo est magnum signum, sed caret lumine, quia est nebulosa in juba Leonis », quasi de stellis loquamur. Sed multis ejusmodi emblematis vermiculatum est est ejus commentarium. — *Salubri Terque caret cælo.* Sic infra : « bis sexque peractis Octo bis ant denis metuendus dicitur aer ». Ibi *aer*, ut hic *cælum.* — *Vicesima et altera.* Vicesima secunda. *Alter ab undecimo* est tertius decimus.

467. B. pro *junctim* conjicit *vitium est*, i. e. nocent XXV et XXVIII.

469. *Erigones.* Virginis partes noxiæ, I, IV, VI, VIII, XI, XXI, XXIV, XXX.

473. *Et quinta in Chelis.* In Libra partes noxiæ, V, VII, XIII, XVIII, XXIV, XXVII, XXIX, XXX.

474. *Septimaqae.* Quia pars XVIII numeratur ante XIII, B. mutato ordine: «Tertia et undecimæ, decimæque et septima » : XIV ante XVII. Ed.

Scorpios in prima reus est, cui tertia par est,
Et sexta, et decima, et quæ ter quoque quina notatur,
Undecimam et geminans, et quæ vicesima quinta est,
Octavoque manet numero, nonumque capessit.
Si te fata sinant, quartam ne selige partem
Centauri, fuge et octavam: bis sexque peractis,
Octo bis aut denis metuendus ducitur aer :
Quumque iterum duodena refert, aut terna decemque,
Aut septena quater, vel quum ter dena figurat.
Nec pars optanda est Capricorni septima : nonæ
Consentit, decimamque sequens, quam tertia signat;
Et tribus, aut una quæ te, vicesima, fraudat ;
Quæve auget quinta, numero vel sexta feretur.
* Pars est prima nocens humentis semper Aquarî.
Damnanda est decimæ succedens prima peractæ.
Tertiaque et quinta, et numero quæ condita nono est;
Et post viginti prima, et vicesima quinta;
Cumque illa quartam accumulans vicesima nona.
Tertia per geminos, et quinta, et septima, Pisces,
Undecima, et decimæ metuenda est septima juncta,
Et quinta in quinos numeros revocata, duasque

477. *Scorpios.* Scorpii partes noxiæ, I, III, VI, XV, XXII, XXV, XXVIII, XXIX. — *Cui tertia pars est.* Lege « cui tertia par est »; item « et quæ ter quoque quina notatur ».

478. *Et.* B. *Ut... decima est, et,* ac omittit *quoque,* qui Scaligeri est.

480. *Votumque capescit.* Gembl. ut nos olim *nonumque capescit.*

481. *Si te fata sinant.* Sagittarii partes noxiæ, IV, VIII, XII, XVI, XX, XXIV, XXVI, XXVIII, XXX.

486. *Nec pars optanda.* Capricorni partes noxiæ, VII, IX, XIII, XVII, XIX, XXV, XXVII.

490. *Damnanda est.* Deest versus nomen Aquarii notans. Aquarii partes noxiæ, XI, XIII, XV, XIX, XXI, XXV, XXIX. Sed Bentl. dat versum quem asterisco notamus, et ait hunc ad vs. 232 lib. II, deerravisse, sic depravatum : « Parsque marina nitens fundentis semper Aquari ».

491. Vulgo *condita non est.* Vestigia scripturæ veteris archetypi, *nonest;* ut *partest, capitex, aliast.*

493. *Cumque illa quartam accumulans.* Gemblac. *accumulant :* est vestigium veræ lectionis.

494. *Tertia per geminos.* Piscium partes noxiæ, III, V, VII, XI, XVII, XXV, XXVII.

Accipiens ultra summas, metuenda feretur.
Hæ partes sterilem ducunt et frigore et igni
Aera, vel sicco, vel quod superaverit humor,
* Seu rapidus Mavors ignes jaculatur in illum,
* Saturnus sumet glaciem, Phœbusque calores.
Nec te perceptis signorum cura relinquat
Partibus: in tempus quædam mutantur, et ortu
Accipiunt proprias vires, ultraque remittunt.
Namque ubi se summis Aries extollit ab undis,
Et cervice prior flexa, quam cornibus ibit;
Non contenta suo generabit pectora censu,
Et dabit in prædas animos, solvetque pudorem.
Tanta audere juvat: sic ipse in cornua fertur,
Et ruit, et mutat, non ullis sedibus idem.
Mollia per placidas deludunt otia curas,
Sed juvat ignotas semper transire per urbes,

499. *Aera, vel siccum*. Gemblacensis recte *vel sicco*, i. e. siccitate: sterilem siccitate vel humore.

* *Seu* (al. *si*) *rapidus Mavors*. Mirum descriptionem Planetarum hic adponi, eamque duobus versiculis adstringi, quum antea non fecerit.— B. *Seu rapidos*, et v. seq. *Saturnusve suam... Phœbusve*.

* *Saturnus sumet glaciem*. Tò *sumet* suspectum. Quin et illi duo de Planetis versiculi, ut ingenue loquar, non sunt Manilii.

500. *Nec te perc*. Tertia et ultima hæc pars morum particularium, quæ quoad ortum signorum consideratur. In Gemblacensi lemma præibat: *orientia signa quid efficiant*, et vere. Nam orientium tantum habetur ratio; quia, ut inquit Poeta, orientia has vires habent, ultra ortum remittunt.

503. *Namque ubi se*. Aries oriens dabit inexhaustas et inexplebiles cupiditates, impudentia et audacia ingenia, inconstantia, otiosa, peregrinandi avida.

504. *Et cervice prior flexis quoque*. Interpolata sunt. Gemblac. sequor. Arietis astrothesia est sua terga respicientis. Alibi: « Et sua respiciens aurato vellere terga ». Ergo flexa cervix prior oritur, quam cornua.

507. *Tantum audire juvat*. Gemblacens. *Tantæ*. Legendum vero *audere*. Est epiphonema. Bonincontrii textus *Tantum haurire*. Quod ipse innovavit.

508. *Et ruit et mutat*. Gemb. *Ut ruat, et vincat*. Hinc B. *Ut ruat, aut vincat*, i. e. vincatur aut vincat.—*Non illos sedibus isdem Mollia per placidam delectant otia vitam*. Felix sane emendatio. Sensus est: Non juvat in iisdem sedibus placide vivere, sed peregrinari. Ed.

Scrutarique novum pelagus, totius et esse
Orbis in hospitio : testis tibi Laniger ipse,
Quum vitreum findens aurato vellere Pontum,
Orbatumque sua Phryxum per fata sorore
Phasidos ad ripas, et Colchida tergore vexit.
At quos prima creant nascentis sidera Tauri,
Feminei jaceant : nec longe caussa petenda est,
Si modo per caussas naturam quærere fas est.
Aversus venit in cælum, divesque puellis,
Pleiadum parvo referens glomeramine sidus.
Accedunt et ruris opes, propriaque juvencum
Dote per inversos exornat vomere campos.
Sed Geminos æqua quum profert unda tegitque

513. *Quum vitreum findens aurato.* Pro *aurato* B. *tranavit.* Gembl. *auravit.* Tamquam luce aurei velleris etiam ipsum mare adficeret. Sed vulgata lectio melior.

515. *Et Colchida regna revexit.* Innovatum ex alia vitiosa scriptura, *et Colchida terga revexit.* Facili errore. Semper hic poeta dicit tergus pro tergo : quod tamen negarent Grammatici, qui tergum νῶτον, tergus τὸ νώτειον δέρμα interpretantur. Sane verum est tergus et terginum pro corio usurpari, ut Lucilio : « dum salvo tergo et tergino licet ». Sed et tergus pro tergo vetus Sotadeus versiculus dixit : « Galli timidi semineces tergora vertunt ».

516. *At quos prima creant.* Tauro oriente ciuædi, agricolæ fiunt.

517. B. *Feminei incedunt.*

519. *Aversus venit in cælum.* Taurum aversum oriri, et posteriora ejus prius adscendere, supra tetigimus. Propterea qui eo oriente nascuntur, eos ait in posterioribus effeminatos esse. — *Divesque puellis.* Abundat puellis Taurus. Nam in fronte Hyadas et Pleiadas habet, quas alii Veteres in intercisione collocabant. Itaque a Pleiadibus oriri incipit. *Dives puellis,* ut infra : « jugis Bithynia dives ».

520. *Pleiadum parvo referens. Referens,* unde referri dicuntur sidera, quum oriuntur. Sidus Vergiliarum *parvo glomeramine* dixit, quia sunt in se conglobatæ, ac confertæ, ita ut minimum spatium occupent. Nihil enim aliud sunt, quam collectio astrorum, quod oculi et experientia docent : a qua mente Val. Flaccus lib. V dixit : « Pleiadumque globos ». Aratus quoque confertas describit et in se collectas, quum de Perseo loquitur; et eas Theo uvarum granis comparat. Ovidius in Phænomenis suis ita vertebat ex Arato (vertit enim Aratea) : « Pleiades ante genu septem radiare feruntur; Sed tantum adparet sub opaca septima nube ». — *Glomeramine.* Scalig. et vulg. *glomerabile,* non bene.

523. *Sed Geminos æqua profert*

Parte, dabit studia, et doctas producet ad artes.
Nec triste ingenium, sed dulci tincta lepore
Corda creat; vocisque bonis, citharæque sonantis
Instruit, et dotes alto cum pectore jungit.
At niger obscura Cancer quum nube feretur,
Quæ velut exsutus Phœbeis ignibus ignis
Deficit, et multa fuscat caligine sidus;

cum vincula cogit Parte. Quam multa delirare cogimur, ubi sine ope manu scriptorum profligatos locos, cujusmodi iste est, emaculare volumus. Gemblacensis diversam lectionem ostendit ab ea, quam olim proferebamus. Habet enim: « quum vincla tegitque Parte », quæ proxime absunt a vero. Lege ergo: « Sed Geminos æqua quum profert unda tegitque Parte ». In hoc scriptore, ut et in aliis codicibus, non raro literæ *cl* coaluerunt, et contra litera *d* divulsa: quare *unda*, *vincla* invicem commutantur apud hunc, et item *sedis*, *seclis*. Hoc in omnibus manu scriptis accidere sciunt, qui in illorum lectione accurate versantur. Sidera quum oriuntur, proferri ab unda Oceani, pluries dicit in sphæra barbarica, ut Aratus ab Oceano; et res exemplis non indiget. Quum unda profert et tegit, id est, quum prima pars Geminorum oritur ab Oceano, et reliquum adhuc tegitur: æqua parte, h. e. æqualiter ambo incipiunt oriri. Amborum enim capita prima oriuntur. — *At Geminos æqua quum profert unda tegitque Parte.* Geminorum ortus producit literatos, studiosos, hilares, facetos, cantores, fidicines, acres et acutos.

527. *Et dotes alto cum pectore jungit.* Non est sanus locus. Gembl. lectio etiam exulcerata est: « et dotes saltus ». Fortasse: « et dotes salium cum pectore jungit ». Urbanos et salibus abundantes, ut supra: « tincta lepore Corda ». In vulgari fortasse latet veritas: « et voces læto cum pectore jungit »; quod putamus verum esse. — B. felicius reponit « et dotem cantus cum pectine jungit ». Bonis vocis et citharæ, ut Ovid. Met. X, 563: « Fraude pedum, formæne bono præstantior esset ». Manilius his eamdem rem cum incremento dicit: voci respondet cantus, citharæ pecten. Dotem cantus, ut Ovid. de Sirenibus, Met. 562: « Tantaque dos oris ». Ed.

528. *At niger obscura.* Cancer oriens cæcos creat. Genitura OEdipodis.

529. *Quæ velut exsutus.* Sic tres vetusti et Vossianus. Ignis exsutus Phœbeis ignibus est Luna deficiens privata Solis lumine, quo illustratur. Sed sine exemplo est, ut ignis absolute positum Lunam notet, præsertim quum deficit. Ignem hic de foco accipe, qui Solis radiis verberatus lumine privatur. Pro *exsutus* Bentleius *exstinctus*, id est, qui lucere desiit; etsi sub cinere adhuc vivat. Ed.

530. *Deficit*, recte, non *defuit*, ut in Gembl. quæ nubes, inquit, deficit, velut deficere solet ignis

Lumina deficient ortos, geminamque creatis
Mortem fata dabunt: se quisque, ut vivit, et effert.
Si quoi per summas avidus produxerit undas
Ora Leo, et scandet malis hiscentibus orbem;
Ille patri, natisque reus, quas ceperit ipse,
Non legabit opes, censumque immerget in ipso.
Tanta fames animumque cibi tam dira cupido
Corripit, ut capiat semet, neque compleat unquam,
Inque epulas funus revocet, pretiumque sepulcri.

exsulos ignibus Solis, Luoa privata fraterno lumine. — *Et multa fuscat oaligine sidus.* Intelligit nubilosam astrorum collectionem, quæ est circa Caucrum. Eam dicit obscuram periode ut Luuam, quom deficit. Sed qunm hic agatur de prima parte signorum oriente, tam frustra est, quod Cancrum incipere oriri putat a Præsepi, quam quod Scorpium ab acumine caudæ.

531. G. habet *deficient artus.* Legit Scal. *ortus* vel *ortos*, quod melius. Bentl. *partus.* In Caocri uebula orti cæci erunt. Veteres etiam astrologi iu genitura OEdipodis prodideruot, eo nascente Horoscopum et Lonam in Cancri nubilam partem incidisse.

532. *Se quisque, ut vivit.* B. et libri omues *et vivit.* Sensus coustat: Cæcus et vivit, et effert se fonus quotidie. Mortuus enim viveos est. Propterea ait cæcis genitis geminam mortem dari. Nam et vita, quam vivunt, mors est, quia sine luce; et mors altera omnibus communis nihilominus eos manet.

533. *Si quoi.* Gemblacens. *Si qui*, quæ sunt vestigia veri. B. *Sed eui*, ut 516 *At quos*, et 513 *Sed Geminos.* — *Summas undas*, Oceanum, h. e. horizontem, more Veterum, qui Oceaoom quoque horizoutem vocant. Leo igitur oriens prodigos ac lurcones dabit. Genitura Erysichthoois.

534. B. emendat *seandat*, male.

535. *Ille patri, natisque reus, quas.* Tò *reus* iu cam significationem accipit, quam idiotismus Italicus: quod alibi non legi, nisi apud bonc. Nam et ita supra: *Scorpius in prima reus est. Reo*, funestus, it.

536. *Censuque immergit in ipso.* Lege *censumque immerget in ipso*, ot etiam habet Gemblac. *In ipso*, in se ipso. Manilianom.

537 et 538. Hos versos certe inficetos B. pro spuriis habet.

538. *Ut capiat semet neque compleat unquam.* Ovidius, Met. VIII, 841: « cibus omnis in illo Caussa cibi est, semperque locus fit inaois edendo ». Ut supra genitura OEdipodis, sic Manilius bic genituram Erysichthonis tangit.

539. *Inque epulas funus.* Etiam impensam fuoeris et culturam sepulcri absumet. Taota gula erit, ut ne ad justa quidem mortuo facienda, aut ad anuuam coltoram sepolcri, et ejus tutelam quidquam reliquom factura sit. — *Revocet.* Melius *rediget*; nam G. habet *retitet.*

Erigone surgens, quæ rexit sæcula prisca
Justitia, rursusque eadem labentia fugit,
Alta per imperium tribuit fastigia summum;
Rectoremque dabit legum, jurisque sacrati,
Sancta pudicitia Divorum templa colentem.
Sed quum autumnales cœperunt surgere Chelæ,
Felix æquato genitus sub pondere Libræ
Judex extremæ sistet vitæque necisque;
Imponetque jugum terris, legesque rogabit.
Illum urbes et regna tremunt, nutuque regentur
Unius, et cæli post terras jura manebunt.
Scorpios extremæ quum tollit lumina caudæ,
Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus,
Urbibus augebit terras; junctisque juvencis

540. *Erigone surgens*. Virgo summos honores ei defert, qui ea oriente nascitur. Civilis et Pontificii juris consultum, item æditu um templorum efficit.

545. *Sed quum autumnales*. Sub ortu Libræ nati erunt judices, legislatores, summa rerum potientur. Genitura Augusti.

547. *Judex extremæ sistet*. *Sistet*, erit. Supra: «Tempora quod sistunt propriis parentia caussis». Est verbum substantivum, ut Grammatici loquuntur: qualia apud Græcos τυγχάνειν, πέλειν, πεφυκέναι. Absolute etiam apud Plautum Curculione: «quin capite sistat in via de semita». In Captivis: «Nam qui obstiterit, ore sistet». — *Extremæ vitæque necisque*. Hæc sunt eadem. Extrema vita, nex est. Rarum autem *sistet*, absolute. Fortasse *Judex examen sistet*, i. e. ponet trutinam vitæ et necis. Ed.

548. *Imponetque jugum terris*. Omnia adulatoria. Nam propter Augustum dicit, cujus natalis in anno Juliano celebatur initio Libræ IX Kal. Octobris, vel, ut Suetonius et fragmentum Kalendarii, VIII Kalend. At supra sub Capricorno natum dixit. Non potest levitas excusari. — *Legesque rogabit*. Leges Julias Augusti intelligit. In sphæra mundi: «Qui regis Augustis parentem legibus orbem». Ovidius, Met. XV, 832: «Pace data terris, animum ad civilia vertet Jura suum, legesque feret justissimus auctor».

550. *Et cæli post terras jura manebunt*. Apotheosis futura Augusti, quæ contigit anno circiter quarto post scriptionem hanc in sphæra: «Cæsar nunc terris, post cælo maximus auctor».

551. *Scorpios extremæ*. Scorpios obtinet partes Zodiaci LX fere. Duo igitur dodecatemoria occupat. Prius dodecatemorion Chelæ com-

Mœnia subcinctus curvo describet aratro,
Aut sternet positas urbes, inque arva reducet
Oppida, et in domibus maturas reddet aristas.
Tanta erit et virtus, et cum virtute potestas.
Nec non Arcitenens prima quum veste resurgit,
Pectora clara dabit bello, magnisque triumphis
Conspicuum patrias victorem ducet ad arces;
Altaque nunc statuet, nunc condita mœnia vertet.
Sed nimium indulgens rebus Fortuna secundis,
Invidet in facie, sævitque asperrima fronti.
Horrendus bello Trebiam, Cannasque, Lacumque
Ante fugam tali pensabat imagine ductor.

plent. Eæ libræ dantur. Nam et Chelæ sæpe pro Libra ponuntur. Arabes vocant *Zuben elakrabi*, i. e. chelas Scorpii, ad differentiam *Zuben essartani*, i. e. chelarum Cancri. Alterum dodecatemorion est corpus ipsum Scorpii, cujus extremum cauda, quæ lucidissimis stellis constat, quarum in ortu Scorpii potior habetur ratio. Ea igitur cauda oriente qui nascentur, urbium conditores erunt et vastatores. — *Tollit lumina*. Libens conjicerem *acumina*. Ovid. Fast. IV, vs. 163: « Scorpios elatæ metuendus acumine caudæ ». Ed.

554. *Mœnia saccinctus*. Cinctu Gabino.

555. *Et in domibus maturas reddet aristas*. Horat. lib. I, od. 16, vs. 20 et 21: « imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens ». Aratur enim solum urbis dirutæ.

558. *Nec non Arcitenens*. Sagittario oriente nascentur bellatores, triumphatores, urbium conditores, ac dirutores. Infelicem exitum sortientur. Genitura C. Cæsaris. — *Prima quum veste resurgit*. Vestem Sagittarii vocat, quam Asterismi chlamydem. Quia vero illa chlamys utrimque alarum pensilium appendices imitatur, eam, quæ Aquilonem spectat, Græci boream chlamydem, alterum notiam chlamydem vocant; quod non intellexit Georgius Trapezuntius magni operis Ptolemæi interpres. Omisit enim, quia non intelligebat. Contactus igitur ille a partibus Aquilonis primo oritur. Eadem figura Sagittarius dicitur hic oriri veste, qua supra Cancer dicebatur oriri nube.

560. *Conspicuum patrias*. Triumphi Cæsaris.

561. *Nunc condita*. Gembl. et B. *nunc idem*.

562. *Sed nimium indulgens*. Cædes Cæsaris.

565. *Ante fugam talis pensabat in agmine*. Ineptissimam hanc lectionem eludit fides Gembl. codicis: « Ante fugam tali pensabat imagine victor ». Tali exitu, inquit, compensavit clades Cannensem et Trebianam Annibal antequam fugeret

Ultimus in caudæ Capricornus acumine summo
Militiam ponto dictat, puppisque colendæ
Dura ministeria, et vitæ discrimen inertis.
Quod si quem sanctumque velis, castumque, probumque,
Hic tibi nascatur, quum primus Aquarius exit.
Neve sit in primos animus procedere Pisces.
Garrulitas odiosa datur, linguæque venenum
Verba maligna novas mussantis semper ad aures.
Crimina per populum populi fert ore maligno.
Nulla fides inerit natis, sed summa libido
Ardentem medios animum jubet ire per ignes.
Scilicet in piscem sese Cytherea novavit,

a patria. Horrenda uimirum erat species, et imago fortunæ ejus, quæ tantum ab illa veteri mutaverat. — *Ductor*, passim de Hannibale: neque *victor* dici potest, qui *fugeret*. Ed.

566. *Ultimus in caudæ*. Caudæ Capricorni ultimum fastigium in Asterismis dicitur πάρουρον. Hoc oriente natus militabit in classibus et castris navalibus.

569: *Quod si quem sanctum*. Ortu Aquarii probi et sancti creautur.

571. *Neve sit ut primos*. Lege *in primos*. Piscibus orientibus creantur garruli, maledici, susurrones, infidi, libidinosi. Item gemelli nascuntur. — B. *Ne vero sit te primos producere Pisces*, non male. Id est, absit ut sub primis Piscibus nascaris. Ed.

574. *Crimina per populum populi*. Non est Manilii. Est ineptissimus.

577. *Scilicet in piscem*. Adscensio Veneris est in Piscibus, quia signum Piscium accedit ad naturam Veneris, hoc est, humificum est. Inde fabula Venerem in piscem mutatam, Chaldæorum utique et Syrorum commentum, apud quos Venus piscis figura colebatur, nomine Dagon et Derceto. Defectio vero Veneris est in Virgine, signo opposito, quod est signum sterile. Quod autem propter hanc fabulam piscibus abstinerent Syri, pleni sunt Veterum libri. Ovid. Fast. II, 473: « Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis, Nec violant timidi piscibus ora Syri ». Inde apud Timoclem Comicum jocus de quodam piscium avido, qui excalfaciebat forum piscatorium, ut loquitur Augustus. Fore enim, si ipse, ut solet, omnes pisces devoret, ut et lari ipsi, quibus pisces esca sunt, evadant Syri, i. e. non amplius pisces voreut. Quod autem Ovidius dixit *timidos Syros*, non frustra dixit, quamquam vulgo parum intelligitur. Timebaut enim, si piscibus vescerentur, ne illis venter, aut aliud membrum intumesceret. Nam id plane persuasum habebant. Menander hoc adserit, et testatur Venerem ab illis ut Deam coli, eamque in piscem mutatam haberi; quam ipsi, ut diximus, Der-

Quum Babyloniacas submersa profugit in undas
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Inseruitque suos squammosis piscibus ignes.
Nec solus fuerit, geminis sub Piscibus ortus.
Frater erit, dulcisve soror, materve duorum.
Nunc age diversis dominantia sidera terris

keto et Dagon vocabant. Itaque placabant eam more patrio in sterquilinio sedentes sacco operti, quod crebrum in sacris bibliis. Quare placabant? ut quemadmodum ipsa tumorem membrorum immiserat, ita tolleret ipsum. Hinc etiam Martialis loco male a grammaticis concepto lux adfulget, Epig. IV, 43, 17: « Juro per Syrios tibi tumores, Juro per Berecynthios furores ». Nihil enim aliud sunt Syrii tumores, quam quos describit Menander. Itaque eo quoque adludit satira: « Incussere Deos inflantes corpora ». Syriæ Deam esse Venerem, quæ in piscem mutata fuerit, docet Lucianus proprio ei rei dicato libro.

579. Olim *Anguip. alatos ungues.* Falsum alatos ungues habuisse; immo joculare. Gemblacensis legit *alatis humeris*, quem sequimur. Titanes, Gigantes, et Saturnus alatis humeris pingebantur; quod nemo nescit.—B. hunc pro spurio habet.

581. *Nec solus fuerit,* ut nos olim et Gembl. Nec, inquit, solus nascetur, qui Piscibus orientibus matris alvo educitur. Sed aut gemelli erunt, aut gemellipara. Id est, aut qui nascuntur, erunt gemelli, aut quæ nascetur, gemellos pariet. Vid. Ptolem. lib. III, cap. de Geminis. Gemellos autem, aut gemelliparas creant signa biformia.

583. *Nunc age diversis.* Mores, quæ quoad signorum separationem spectantur, aut particulares sunt, ut diximus, aut universales. Nunc de universalibus: præpostero sane ordine. Non enim ab universalibus, ad particularia, quod Ptolemæus fecit, sed contra, a particularibus, ad universalia progressus est. Porro hujus studii alteram partem astronomicam esse diximus; alteram ad effectus spectare. Rursus hujus posterioris duo membra fecimus: descriptivum et apotelesmaticum. Et vero descriptivum disputat, quomodo signa se habent aut per se, aut inter se. Per se, ut quæ sunt mascula, quæ feminea: quæ gemina, quæ duplicia: quæ stantia, quæ jacentia. Inter se, aut ex configuratione, ut quæ ex trigono, tetragono, hexagono, diametro sibi respondent: aut ex similitudine quadam: ut respicientia, audientia: amantia, inimica. Apotelesmatica versatur circa universalia et particularia. Aut enim effectus astrorum secundum gentes et urbes sunt, aut secundum hunc et illum hominem. Sed particularia sunt signa indivisa. Universalia vero in particulares caussas secantur: puta, quod signum huic, aut illi regioni præsidet: quo temperamento sunt gentes, quibus moribus, et similia. Ac sane illa prius tractari debebant, quam particularia. Nam universalia apotelesmata validiora et

Percipe : sed summa est rerum referenda figura.
Quattuor in partes cæli describitur orbis,
Nascentem, lapsumque diem, mediosque calores,
Teque, Helice : totidem venti de partibus iisdem
Erumpunt, secumque gerunt per inania bellum.
Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu :
Auster amat medium Solem, Zephyrusque profectum.
Hos inter binæ mediis e partibus auræ
Exspirant similes mutato nomine flatus.
Ipsa vacat tellus pelagi lustrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.
Inque sinus pontum recipit, qui vespere ab atro
Admissus dextra, Numidas, Libyamque calentem
Abluit, et magnæ quondam Carthaginis arces,

propiora quidem natura sunt, quam particularia. De qua re vide amplius Ptolem. lib. IV de divisione temporum. Sequutus est igitur sensus suos Manilius, quum particularia anteposuit, non ipsam naturam. Itaque ad generales mores nationum ea præmittit, sine quibus illæ explicari non poterunt. Sunt autem ea, quæ ad totius orbis terrarum descriptionem pertinent: non exacte tamen, ut res ipsa docet. — *Nunc age.* Titulus huic capiti in Gemblacensi: *de partibus terræ distributis ad signa, et de universa terra et mari.*

584. *Sed summa est rerum referenda figura.* Summa figura rerum, ut summa cutis. Sic in secunda Institutione dixit : « summamque colorem », in eumdem sensum.

586. Olim *Nascentemque ipsumque.* Andreas Melvinus Scotus eximie doctus restituit : « Nascentem lapsumque diem ».

588. *Secumque gerunt.* Fortasse *cæcumque.* Virg. Æn. IX, vs. 518 : « Nec curant cæco contendere Marte Amplius audaces Rutuli ».

589. *Asper ab axe ruit Boreas.* Falsum. Nam is oppositus Austro non est Boreas aut Aquilo, sed Septemtrio. Non tamen est error Manilii; sed est idiotismus. Sic opponuntur vulgo Borea Notiis. — *Fugit Eurus ab ortu.* Immo ab ortu spirat, non hinc *fugere* dici potest. Potes legere : « Asper ab axe ruit Boreas, furit Eurus ab ortu », minima mutatione. Ed.

590. Olim *Zephyrusque profundum.* Profundum Solem pro occasu dici semper miratus sum. Gemblacensis satisfecit. Is habet : *Zephyrusque profectum.* Arabes etiam dicunt Solem profectum pro occaso.

593. *Ipsa vacat tellus.* B. ut Scal. prius *natat*, haud absurda sententia. Terram enim in medio Oceani magni navigii instar vectari et agi-

Litoraque in Syrtes revocans sinuata vadosas,
Rursusque ad Nilum directis fluctibus exit.
Læva freti cædunt Hispanas æquore gentes,
Teque in vicinis hærentem, Gallia, terris;
Italiæque urbes dextram insinuantis in undam
Usque canes ad, Scylla, tuos, avidamque Charybdin.
Ac ubi se primum porta mare fudit ab illa,
Enatat Ionio, laxasque vagatur in undas.
Et prius in lævam se effundens circuit omnem
Italiam, atque Adriam comitatur nomine pontum,
Eridanique bibit fluctus : secat æquore lævum
Illyrium, Epirumque lavat, claramque Corinthum,

tari Veterum quosdam scripsisse sciunt omnes. Sed Gemblacensis habet : « Ipsa vacat tellus », longe melius. Ipsa tellus nuda est et exstans in medio Oceani.

597. *Abluit*. B. cum Voss. legit *Alluit*. Virgil. Æn. VIII, 149 : « Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra ». Ed.

599. *Rursusque ad Nilum*. Redundare videtur illud *que*. Vide an malis : « Rursum usque ad Nilum ». Ed.

600. *Læva freti cædunt... æquore*. Voss. *æquora*, melius. *Æquora freti*, ut Lucretius; Virgilius aliique *æquora ponti*. Ed.

602. *Italiæque urbes dextram sinuantis in undam*. Sinuare non legitur absolute. Sed Manilius scripsit *insinuantis*. Nam insinuat in dextram undam, id est, partes Africæ, qua Calabria excurrit in pelagus. *Dextram undam*, pelagus Africum. Supra : « qui vespere ab atro Admissus dextra ».

604. B. *Hac ubi..... fudit, aperto Emicat Ionio. Emicat*, i. e. ostendit se, exsultat in aperto Ionio.

605. *Et natat Ionio*. Gemblacensis *Enatat*, ut etiam nos olim. *Enatat*, exspatiatur libere.

606. *Et prius in læva se fundens*. Sic Scal. et Gembl. Vett. ut nos.

607. *Atque Adriam*. B. *Adriaco mutatum nomina ponto*. Gronovii emendatio. Ed.

608. *Secat æquore lævum Illyrium*. Similem mendam olim in Tibullo sustulimus : « Permisit læva ministro ». Nos : « permisit vela ministro ». Gemblacensis habet : « secat æquore bellum ». Nihil aliud est quam *bellum* pro *lebum*, et *lebum* pro *levum*, i. e. *lævum*. — B. autem dehinc *æquore lævum Illyricum Epironque lavat. Secat* enim inconcinne, et falso, nam Illyrium non dividitur æquore. Deinde legit *Epiron* et *Corinthon*, ut v. 688 *Epiros*.

609. *Claramque Corinthum*. Non ad Corinthum, quæ ab utraque isthmi ora sexagenis distat stadiis, sed ad Lechæum, qui est portus Corinthi occidentalibus negotiationibus, ut Cenchreæ est altera parte orientalibus. Lechæum etiam celebre ludis

Et Peloponnesi patulas circumvolat oras.
Rursus et in lævum refluit, vastoque recessu
Thessaliæ fines, et Achaica præterit arva.
His pontus, juvenisque fretum, mersæque puellæ
Truditur invitum, faucesque Propontidos arctæ
Euxino jungit ponto, Mæotis et undis,
Quæ tergo conjuncta manet, pontumque ministrat.
Inde ubi in angustas iterum se navita fauces
Hellespontiacis revocatus fluctibus effert,
Icarium, Ægæumque secat, lævaque nitentes
Miratur populos Asiæ, totidemque trophæa,
Quot loca, et innumeras gentes, arcumque minantem
Fluctibus, et Cilicum populos, Syriamque perustam,
Ingentique sinu fugientes æquora terras;
Donec in Ægyptum redeant curvata per undas
Litora, Niliacis iterum morientia ripis.
Hæc medium terris circumdat linea pontum,

trietericis, quæ Isthmia dicta. In VII libro Thebaidos Lycæo perperam editum pro Lechæo, vs. 97: « Nec sus pinifero magis adnatet umbra Lycæo ». De Palæmonis manibus et ejus trieteride sermo est.

610. *Patulas circumvolat oras.* Sane nullus poeta dixit mare circumvolare terram, sed circumluere. Malim igitur *circumluit.*

613. B. *Hinc intra, juvenisque. Pontus* enim abundat. Hinc mare invitum truditur in Hellespontum. —*Mersæque puellæ Truditur invitum.* Sic habet Gemblacensis. Neque multum laborandum fuit ad hæc divinanda. Sed et textus Bonincontrii habet *invitum*, ut nos olim emendavimus.

614. Pro *arctæ* B. *arctas*, nempe fauces.

617. *Inde ubi in angustas iterum se navita fauces.* — B. *revocatus navita*, et vs. seq. *Hellespontiacis iterum se.*

620. *Miratur populos.* B. *miratur campos.*

621. *Arcumque minantem.* Duos arcus faciunt geographi : alterum in ora Paphlagoniæ ad Colchida ; alterum, de quo hic sermo, ad sinum Issicum. — B. *Taurumque minantem.*

626. *Hæc medium terris.* Hoc est, mediterraneum. Omnino hæc divisio est ab Eratosthene, ducta linea a freto Gaditano ad sinum Issicum, quam lineam continuat cum monte Tauro. Quare quidquid citra Taurum, et lineam Boream versus, partem Boream, quod ultra in Austrum, partem Notiam vocavit.

Atque his undarum tractum constringit habenis.
Mille jacent mediæ diffusa per æquora terræ.
Sardiniam in Libyco signant vestigia plantæ:
Trinacria Italia tantum præcisa recessit:
Adversa Euboicos miratur Græcia montes,
Et genitrix Crete civem sortita Tonantem.
Ægypti Cypros pulsatur fluctibus omnis.

* * *

Totque minora solo tamen emergentia ponto
Litora, et æquales Cycladas, Delonque, Rhodonque,
Aulidaque, et Tenedon, vicinaque Corsica terræ
Litora Sardiniæ, primamque intrantis in orbem
Oceani victricem Ebusum, et Balearica rura
Innumeri surgunt scopuli, montesque per altum.
Nec tantum ex una pontus sibi parte reclusis
Faucibus abrupit orbem: nam litora plura

627. *Constringit arenis.* Lege *habenis.* Sæpe apud auctores hæc mutantur *harenis*, *habenis.* Vera lectio hæc.

629. *Sardiniam in Libyco signant vestigia plantæ.* Inde sandalio similis dicta, et Ichnusa. Sallustius in historia secunda: « Sardinia in Africo mari facie vestigii humani in occidentem, quam in orientem latior ». Sil. XII, vs. 355: « Insula fluctisono circumvallata profundo Castigatur aquis, compressaque gurgite terras Enormes cohibet undæ sub imagine plantæ. Inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis ». In vulgatis editionibus male *sub margine plantæ.*

633. Olim *Pulsatur Cypros Ægyptia.* Non frustra de vitio suspectus nobis olim locus iste. Gemblacens. « Ægyptia Cypros pulsatur ». — B. dedit *amnis* pro *omnis.*

634. *Totque minora solo.* Deesse versum ante hunc et pueri fatebuntur, nedum doctiores, et in hanc sententiam concipiendus videtur: Quid loquar tot urbes? Qui hoc negarit, ineptissime negarit. — B. autem mendum suspicatur, et reponit *Totque minora sola, et tamen emergentia ponto Prætereo, Ægæas Cycladas*, et *sola* explicat insulas.

636. *Terræ Sardiniæ*, ut terra Gallia. Libri omnes habent *terris*, quod membranæ scribunt *tris.* Forte *tristi.* Silius de Sardinia, XII, 37: « Sed tristis cælo ».

637. *Primamque.* Vetusti et Bentl. *primumque*, ut I, 256: « primumque canentur Quæ medium ».

638. *Rura.* Sic vett. Scal. habet *regna.*

640. B. aliter statuit: « Nec tantum... reclusit Objicibus ruptis orbis ». Quod metro et sensui satisfacit.

Impulit Oceano pontus : sed montibus altis
Est vetitus, totam ne vinceret æquore terram.
Namque inter Borean, ortumque æstate nitentem,
In longum angusto penetrabilis æquore fluctus
Pervenit, et patulis tum demum funditur arvis,
Caspiaque Euxini similis facit æquora ponti.
  Altera sub medium Solem duo bella per undas
Intulit Oceanus terris : nam Persica fluctus
Arva tenet, titulum pelagi prædatus ab iisdem,
Quæ rigat ipse, locis, latoque infunditur orbi.
  Nec procul in molles Arabas terramque ferentem
Delicias, variæque novos radicis odores,
Leniter adfundit gemmantia litora pontus,
Et terræ mare nomen habet : media illa duobus.

* * *

Quondam Carthago regnum sortita sub armis,

642. *Impulit Oceano pontus.* Est elegans repetitio τοῦ *pontus.*—Immo B. *potius sed ..... totam ne mergeret æquore terram,* h. e. mersisset pontus terras, nisi montes alti obstitissent.

644. *Ortum æstate nitentem.* Ortum æstivum. Sane Caspium est inter Borean et ortum æstivum.

645. *Penetrabilis æquore fluctus.* Sequitur Clitarchum auctorem, qui ex Scythico mari Caspium erumpere ait, ut Persicum et Arabicum ex Oceano australi. Idem sentit Strabo lib. II. At vetustissimus scriptor Herodotus et scivit, et testatus est esse instar lacus, neque aliunde fluere, sed suis litoribus circumscriptum esse.

647. *Caspiaque exigui.* Recte. Nam comparatione mediterranei est exiguum. Sed Gemblacensis lectio anteferenda *Euxini.* Instar Euxini esse ait. Immo Clitarchus dixit esse non minus Euxino mari, et fauces efficere instar Cimmerii Bospori, et dilatari, instar Mæotidos paludis. — B. aliter *Caspiaque Euxini pelage facit æmula ponti. Pelage* sunt maria. Catull. *truculentaque pelage.*

651. *Quæ regit ipse. Quæ rigat.* Sed et Gemblacensis habet *regat*, vestigium veri. — *Infunditur orbi.* Bentl. *ore.* Lato ore, contra ac Caspium quod augusto. Virg. Æn. II, 482 : « et ingentem lato dedit ore fenestram ». Ed.

655. *Et terræ mare nomen habet : media illa duobus.* Sic distingue : *Illa*, hoc est, Arabia media est duobus sinubus, Persico et Arabico, de quibus jam loquebatur. Ergo *illa*, hoc est, terra ferens delicias, et novos odores variæ radicis. Hic B. scribit: *multa desunt.*

656. *Quondam Carthago.* Deest versus ante hunc, qui continebat

Ignibus Albanas quum contudit Hannibal arces,
Fecit et æternam Trebiam, Cannàsque sepulcris
Obruit, et Libyen Italas infudit in urbes.
Huic varias pestes, diversaque monstra ferarum
Concessit bellis natura infesta futuris.
Horrendos angues, habitataque membra veneno,
Et mortis pastu viventia, crimina terræ,
Et vastos elephantas habet, sævosque leones
In pœnas fecunda suas parit horrida tellus,
Et portentosos Cercopum ludit in ortus,
Ac sterili pejor siccas infestat arenas,

nomen Libyæ. Manifesta est lacuna. Bonincontrius dicit Carthaginem esse mediam inter mare mediterraneum et Indicum. Propinqua sane loca, qui una Carthagine disjungantur. Tam vicina esse putavit Indum mare et Mediterraneum. Acute quidem.

657. *Ignibus Albanas*. Voss. *Alpinas* rectius, ex historiæ ordine, ante Trebiam et Cannas. Ed.

658. *Fecit et æternam Trebiam.* Æternavit Trebiam clade. B. *æternum*. Trebia enim genere masculino. Sil. IV, 645 : « Magnas, o *Trebia*, et meritas mihi, *perfide*, pœnas Exsolves ».

659. *Libyen*. Sic Huetius. Scalig. *Libyan*, haud recte.

661. *Bellis infesta*. Quis hoc capit : melius *sævis natura infesta futuris*.

663. Scalig. sine sensu *Et mortis partus, viventia crimina*. Mortis autem pastus, est pastus herbarum venenosarum. Ed.

666. *Et portentosos Cyclopum* olim vulgo. Itane Africa mater Cyclopum, quæ homines vescos et siccos producit, quæ, ut ipse Manilius dicit, suo pulvere exsiccat populos? Neque Africa ullos umquam Cyclopas tulit, sed angues, scorpiones et feras, de quibus omnibus jam dixit. Gembl. non *Cyclopum*, sed *Ceeropum* habet pro *Cercopum*: « Et portentosos Cercopum ludit in ortus ». Cercopes sunt simiarum genus omnium turpissimarum. Cercopas homines fraudulentos in simias conversos Pithecusis insulæ nomen dedisse habes apud Ovid. in Metam. XIV, vs. 91, sqq. Non solum, inquit, sævit Libya gignendo feras noxias et serpentes, sed etiam ludit producendo ridicula animalium portenta Cercopas. Apud Festum quoque potest legi « Cercops, genus simiarum »; et verum est, ut et vera lectio Maniliana, quam reposuimus. In Glossis legitur nomen mihi ignotum: κέρκωψ ζῶον, *Hasder*. Nam constat esse ζῶον, et quidem simiam.

667. *Ac sterili pejor siccas infestat arenas*. Habitatur quidem, sed inæqualiter propter illas arenas et syrtes, quibus habitationes Africæ tamquam insulæ mari cinguntur. Ideo Africam similem pantheræ

Donec ad Ægypti ponat sua jura colonos.
Inde Asiæ populi, divesque per omnia tellus,
Auratique fluunt amnes, gemmisque relucet
Pontus : odoratæ spirant medicamina silvæ.
India notitia major, Parthique vel orbis
Alter, et in cælum surgentis mœnia Tauri.
Totque illum circa divisæ nomine gentes
Ad Tanaim Scythicas dirimentem fluctibus urbes,
Mæotisque lacus, Euxinique aspera ponti
Æquora, et extremum Propontidos Hellespontum.
Hic Asiæ metam posuit natura potentis.

Quod superest, Europa tenet, quæ prima natantem
Fluctibus excepitque Jovem, Taurumque resolvit. *

scribit Strabo lib. II, p. 130. Αὐάσεις autem et, quod idem est, ὀάσεις Ægyptii vocabant loca habitabilia desertis undique obsessa. Cicero ejuscemodi habitationes maculas vocat, lib. V de Rep. quomodo Africa pardalis dicitur, quia illis habitationibus distincta, tamquam id animal maculis suis genuinis.—Hanc autem Scaligeri sententiam refutat Wernsdorfius, huj. op. tom. IV, pag. 410, 411. Et ibidem vide quæ ad Oases adtinent, pag. 412. Ed.

673. *Mœnia Tauri.* An *mœnia montis.* Fortasse *culmina.* Stat. Silv. I, vs. 1 : « ingesti portaret culmina montis ».

675. *Ad Tanaim Scythicas dirimentem fluctibus urbes.* B. vult *orbes* pro *urbes*, quia nullæ urbes Scythis. Orbes de Europa et Asia intelligit. Et *Scythicis fluctibus* conjungit. Ed.

677. *Æquora et extremum.* Non est Manilii, sed alicujus scioli, qui putabat imperfectam esse orationem, quia dictum *aspera Ponti.* Hunc autem et præcedentem pro spuriis habet B. Male prima in *Propontidos* producitur. Ed.

678. *Hic Asiæ metam.* Gemblac. *Hanc Asiæ.* — B. legit *Hunc* deletis duobus versibus. *Hunc*, sc. Tanaim. Et *Hanc* possit legi eodem sensu.

* *Pondere passa suo.* Et hic quoque vs. est supposititius, quem post 680 F. habet « Condere passa sibi signisque humerisque juvantem ». Librarius hic putavit imperfectam esse orationem. Putavit, inquam, τὸ *resolvit* suspensum esse, nisi adderetur nomen in sexto casu. At *resolvere pondere* quis umquam latine sciens dixerit? Quid denique volunt illa σολοικίζοντα, *signi onerisque juvavit?* Editio Lugdunensis agnoscit barbarismum quidem; sed pro eo supposuit *juvamen* non meliori sententia, neque emendatiore locutione. At bene Manilio dictum, *resolvit taurum*, hoc est, Jovem exsuit taurina forma; quemadmodum in prima Institutione taurus indutus Jovem dicebatur.

Ille puellari donavit nomine fluctus,
Et monumenta sui titulo sacravit amoris.
Princeps illa domus Trojani Græcia belli,
Maxima terra viris, et fecundissima doctis
Urbibus : in regnum florentes oris Athenæ,
Sparta manu, Thebæ divis, et rege vel uno
Thessalia, Epirusque potens, vicinaque ripis
Illyris, et Thrace Martem sortita colonum;
Et stupefacta suos inter Germania partus:
Gallia per census, Hispania maxima belli,
Italia in summa, quam rerum maxima Roma
Imposuit terris, cæloque adjungitur ipsa.

681. *Ille puellari donavit nomine fluctus.* Voss. pro *fluctus* dat *litus*, ita ut omnis Europa intelligatur, et vs. 683, Bentl. legit « Trojani gloria belli », ut de Achille dictum sit. Cæterum hos tres versus pro spuriis habet. Ed.

682. *Et monumenta sui.* Post hunc versum retrahe illum : « Princeps illa domus ». Quæ est egregis restitutio. Europæ, inquit, princeps ac primaria Græcia.

683. *Princeps illa domus.* Regionum Europæ princeps Græcia. Dextra Europæ Græcia, sinistra Thracia, cui succedit Germania, hoc est, ea vastissima regio, quam Κελτῶν nomine comprehendebant Græci. Deinde Gallia, tum Hispania, postremo Italia. Hunc ordinem sequitur Noster.

685. *Urbibus in regnum.* Locus hic insigniter perturbatus est, quem restituit Scalig. Florida oratio, et de qua sententiam ferre, non est plebei ingenii. — *In regnum florentes oris.* Regnum oris et linguæ pro eodem usurpat. Supra : « Illa decus linguæ faciet regnumque loquendi ». Tragicus dixit λόγος τύραννος. Pacuvius vertit : « Regina omnium rerum oratio ».

686. *Thebæ divis, et rege vel uno Thessalia Epirusque potens.* Thebarum urbs Deorum nutricula Bacchi, et Melicertæ, et Herculis : Thessalia magnorum regum, Achillis, et regum Macedoniæ. Quorum vel unus satis erat illustrandæ Thessaliæ Achilles, Macedoniæ Alexander Magnus. Epirus Pyrrhum Alexandrum cognomine Epiroten, et alios tulit. B. *Epirosque.*

687. *Vicinaque ripis Illyris.* Cur *ripæ* de quibus hic agitur non nominantur. Ingeniose B. *vicinaque Cadmum* nempe sortita colonum Illyris, ut Thrace Martem. De Cadmo ex Bœotia in Illyricum profecto, et coloniam condente, notæ sunt Veterum historiæ. Vide autem seriem orationis : Sparta manu insignis, Thebæ divis, Baccho, Hercule, Thessalia Achille, Illyricum Cadmo.

690. *Gallia per census.* Gallia dives, ut Hispania bellicosa. Gallia

Hos erit in fines orbis, pontusque notandus,
Quem Deus in partes, et singula dividit astra,
Ac sua cuique dedit tutelæ regna per orbem,
Et proprias gentes, atque urbes addidit altas,
In quibus efferrent præstantes sidera vires.
Ac velut humana est signis descripta figura,
Ut tamquam communis eat tutela per omne
Corpus, et in proprium divisis artubus exstet:
(Namque Aries capiti, Taurus cervicibus hæret,
Brachia sub Geminis censentur, pectora Cancro,
Te scapulæ, Nemeæe, vocant, teque ilia, Virgo:
Libra colit clunes, et Scorpius inguine regnat:
At femina Arcitenens, genua et Capricornus amavit,
Cruraque defendit Juvenis, vestigia Pisces:)
Sic alias aliud terras sibi vindicat astrum.

per census nobilis, Hispania belli laude. Inf. 790: «et quod fert Gallia dives». Poetæ ὀλβοδότειρα. — *Hispania maxima belli.* Sic Gemblacensis. Etiam nos olim pro *Italia*, divinavimus legendum Hispania. *Maxima belli*, hellenismus. — *Maxima rerum.* Virgiliana locutio. Conf. ad Æneid. VII, vs. 602. Ed.

694. *Hic erit in fines. Hoc* legebat Gemblacensis. Sed alia manu erasum, et *Hos* super scriptum, ut et nos olim emendabamus.

698. *In quibus efferrent præstantes.* Gemblac. *assererent.* Sed puto Manilium scripsisse *exsererent.* — Forte *exercent*, ut II, 455: «In quis præcipuas toto de corpore vires Exercent». Ed.

699. *Ac velut humana.* Longum hyperbaton ad illud: «Sic alias aliud terras sibi vindicat astrum».

700. B. aliter ex libb. «Et quamquam communis eat tutela per omne Corpus, et in proprium divisis artubus exit». Ordo est: Et tutela, quamquam eat communis per omne corpus, et (etiam) exit in proprium divisis artubus. — *Ut tamquam communis*, etc. Platice enim omnia signa in totum corpus humanum exercent imperium, et particuliter aliud alii membro. Supra in prima Institutione de signis, quæ membris præsunt, satis dixit; quæ tamen hic necessario repetuntur; quia ut corporis humani, sic orbis terrarum membrorum quædam structura est, et signorum tutelæ. Sed si analogiam servare volebat, oportebat prius orbem terrarum in membra tamquam humana tribuere, ut ejus esset tutela quædam; et secundum illam signa suis membris redderentur. Puta si India, verbi gratia, esset caput orbis, ei adtribueretur Aries. Si Arabia, aut quæcumque alia regio essent bra-

Idcirco in varias leges, variasque figuras
Dispositum genus est hominum, proprioque colore
Formantur gentes, sociataque jura per artus,
Materiamque parem privato fœdere signant.
Flava per ingentes surgit Germania partus.
Gallia vicino minus est infecta rubore.
Asperior solidos Hispania contrahit artus.
Martia Romanis orbis pater induit ora,
Gradivumque suum miscens bene temperat artus.
Perque coloratas subtilis Græcia gentes
Gymnasium præfert vultu, fortesque palæstras.
At Syriam produnt torti per tempora crines.
Æthiopes maculant orbem tenebrisque figurant

chia, Geminis subjicerentur. Eodem modo Minerva Indiæ, Apollo Arabiæ esset tutela. Ita enim esset quædam ratio. Nam duodecim Zodia Ægyptii Deos senatores vocarunt, qui simpliciter dicuntur Græcis duodecim Dii, suntque ii, quos disticho comprehendit Eonius, ut habes in iis, quæ in lib. II notavimus. Atque ut duodecim Zodia Deos senatores, ita et Planetas lictores, quasi adparitores magistratuum duodecim adpellabant. Sed a Manilio nulla hic analogia, nulla mundi tutela membrorum observata, ut infra dicetur, Excursu II, ad v. 742.

709. *Idcirco in varias.* Transitus ad mores gentium luculente, ut solet.

714. *Gallia vicino minus est.* Minus torrida est Solis rubore vicino, i. e. quia vicinus minus est Sol Galliæ, quam Hispaniæ, propterea Gallis Hispani sicciores, atque adeo asperiores. Contra Celtæ humidiores, et mitiori ingenio.

716. *Martia Romanis orbis.* Nihil moto. Indicabo lectionem scriptam in Gemblacensi: « Martia Romanas urbes pater induit ora », eodem sensu. Nam Romanæ urbes Italia. Sic supra Italiæ urbes dixit, et Scythicas urbes, pro Italia et Scythia. Græcorum poetarum est ἄστεα Κελτῶν, id est, Κελτοί.

717. *Gradivumque suum.* Recte. Sed Gemblacensis: « Gradivumque genus », unde B. *Venus*, quæ et Romanis origo. ED.

719. *Gymnasium præfert.* Coloratos innuit, propter cutem asso Sole, et gymnastico ceromate coctam. Propterea chromatarios, sive colorarios palæstritas vocat Juvenalis vetus scholiastes. Quin Græci colorem adfectabant per ipsos chromatarios. Et Lacedæmonum lex fuit, Ælian. Var. Hist. XIV, 7. Alioqnin et Græci sunt subfusci. Is color Ptolemæo et Theocrito dicitur μελίχροος· mel enim flavum.

721. *Æthiopes maculant orbem.* Maculare etiam vulgo in Gallia dicimus *bigarrer*, ut Hybridas dicimus

Perfusas homiuum gentes : minus India tostis
Progenerat, mediumque facit moderata tenorem.
Jam propior tellusque natans Ægyptia Nilo
Lenius inriguis infuscat corpora campis.
Pœnus arenosis Afrorum pulvere terris
Exsiccat populos, et Mauritania nomen
Oris habet, titulumque suo fert ipsa colore.
Adde sonos totidem vocum, totidem insere linguas,
Et mores pro sorte pares, ritusque locorum.
Adde genus proprium simili sub semine frugum,
Et Cererem varia redeuntem messe per orbem,
Nec paribus siliquas referentem viribus omnes,

esse maculatos, id est, ex differentibus parentibus natos. Lucanus lib. VIII, 286 : « Hannibal, obliquo maculat qui sanguine regnum, Et Numidas contingit avos ». Quasi discolor esset genus Hannibalis. Eo modo igitur hic Æthiopes dicuntur discolorem orbem terrarum facere. Hinc poeta tragicus Æthiopiam vocat μελάμβροτον. Et in sphæra mundi in eum sensum dixit « nigras supervolat urbes ». Et idem de Zona, sub qua habitant. Zonæ in figuris terræ, fuscæ, aut rutilæ pingebantur, ut ex Leontio novimus. Et hic Scalig. adducit Eratosthenem de Zonarum coloribus; quarum Zonarum auctorem esse Parmeniden scripsit Posidonius.

722. *Perfusas hominum gentes : minus India tostis Progenerat.* Ita Gemblac. ita ratio postulat : ea est elegantia. Sic inf. « Perfunduntque suo subjectas æquore gentes ». Hic olim, *Perfusas tenebris gentes.* Nam inde dicuntur Æthiopes, i. e. nigri. Melius *Perfuscas*, ut supr. *coloratas.* — *Minus India tostis Progenerat.* India progenerat homines non tostos, ut Æthiopas, sed minus tostis. Sed idem sensus fuisset, si dedisset *minus India tostas Progenerat.* Ed. — Hunc colorem Galli et Itali olivastrum vocant, medium quidem inter fuscum, qualis est Hispanorum et Afrorum, et tostum, qualis Æthiopum. Ideo subjicit : « mediumque facit moderata tenorem ».

724. *Jam propior tellusque natans.* Voss. *Jam proprior;* unde Bentl. *Jam proprio tellus gaudens Ægyptia Nilo.* Elegans emendatio.

726. *Pœnus.* Pœnus per synecdochen pro Pœnorum regione, h. e. Africa. Ovid. Am. III, x, 20: « Cretes nutrito terra superba Jove », i. e. Creta. — *Pœnus arenosis Afrorum pulvere terris.* Eodem modo loquitur Val. Flacc. I, 13: « Solymo ni grantem pulvere fratrem ». Non pulvis tamen regionis, sed adflatus Solis inficit corpora. Est autem metaphora a pulvere palæstrico. B. antem *Phœbus*, melius, ut opinor.

727. *Et Mauritania nomen.* Nam Μαυρούς Græci ab eo dixerunt.

Nec te, Bacche, pari donantem munere terras,
Atque alias aliis fundentem collibus uvas:
Cinnama nec totis passim nascentia campis:
Diversas pecudum facies, propriasque ferarum,
Et duplici clausos elephantas carcere terræ.
Quot partes orbis, totidem sub partibus orbes,
Et certis descripta nitent regionibus astra,
Perfunduntque suo subjectas æquore gentes.

Laniger in medio sortitus sidera mundo,
Caurum inter gelidum, tepidi per tempora veris
Adserit in vires pontum, quem vicerat ipse,
Virgine delapsa quum fratrem ad litora vexit,
Et minui deflevit onus, dorsumque levari.
Illum etiam venerata colit vicina Propontis,
Et Syriæ gentes, et laxo Persis amictu
Vestibus ipsa suis hærens, Nilusque tumescens
In Cancrum, et tellus Ægypti jussa natare.
Taurus habet Scythiæ montes, Asiamque potentem,

Itaque Μαυρίτης, Maurita Græca inflexione. Latina Mauritanus. Mauricatim extulit Laberius: Μαυρισί. Sed potius Maurusii dicuntur, ut Amathusii, Rhamnusii.

738. *Et duplici clausos elephantas carcere terræ.* In Asia scilicet et Africa: nam in Europa nulli.

739. *Totidem sub partibus orbes.* Non clara sententia. An legendum *sub partibus ora.* Scal.—Quot partes orbis sunt, totidem ora, facies hominum. Ed.

740. *Et certis descripta nitent regionibus.* Chorographiam hic innui fidem fecerit descriptio cosmographica, quam præmisit; cujus pars est chorographia. — Pro *et* melius *ut*, id est, prout regiones certis astris subjectæ sunt. Ed.

741. *Æquore gentes.* Sic supra dixit: « tenebris perfusas gentes ». *Æquore* Huet. pro *influxu (influence)* habet: sed hoc negat B. et reponit *æthere* vel *aere*. Ed.

742. Vid. Excursus II ad calcem hujus libri. Ed.

743. *Caurum inter gelidum.* Olim *Caurum inter.* Non leve mendum, neque cuivis manifestum, nedum emendandum. Sed B. retinet *Caurum*, et legit *Caurum inter gelidumque Caprum per...* quia hic lacuna in codd. Hic non excusamus audaciam Bonincontrii, qui textum hunc ita depravavit: « Cancrum inter gelidum per tempora vertitur axis ».

744. *Adserit in vires pontum.* Intellige Hellespontum.

Et molles Arabas, silvarum ditia regna.
Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus
Sub Geminis te, Phœbe, colit : post, brachia fratris
Ultimus ex solido tetrans. Colit India Cancrum :
Ardent Æthiopes Cancro, cui plurimus ignis.
Hoc color ipse docet. Phrygia, Nemeæe, potiris,
Idææ matris famulus, regnoque feroci
Cappadocum, Armeniæque jugis; Bithynia dives

751. *Taurus habet Scythicos*. Vides hunc conflatum ex sequentibus. Gemblacensis hunc retinet, sequentem non habet, præpostere.

753. *Euxinus Scythicos*. Val. Flacc. lib. IV, 728 : « Atque hae Europam curvis amfractibus urget, Hac Asiam, Scythicum specie sinuatus in arcum ». Phœbum autem facit unum ex Geminis, ut et Varro in libris rerum rusticarum, et Ptolemæus.

754. *Post brachia fratris Ultimus*. Alter ex Geminis est Hercules. Mythologi et Varro. Brachia dixit ob astrothesiam, quod connexis brachiolis pingerentur. Manilius : « His conjuncta manent alterno brachia nexu ». Euxinus igitur subjicitur alteri Geminorum Apollini, nempe arcum et sagittas tenenti, quia scilicet ora Eusini maris in arcum Scythico similem curvatur, auctore, quem modo produximus, Strabone. Et hæc quidem nimis curiosa explicatio. Similiter Persidem vindicat, ob lanificium, quia illi genti longæ vestes. Et reliquæ nugæ, quarum piget.

755. *Ultimus et solitus Ganges : colit India Cancrum*. Ubi est Ganges, ibi procul dubio et India. Quomodo igitur Ganges et India diversis signis adtribuuntur? Sane τὸ Ganges est infarctum, et in Gemblacensi versus est supra mensuram uno pede integro : « Ultimus et solidos Ganges et transcolit India Cancer ». Tolle *Ganges*, importune huc infultum. In reliquis videbis veram lectionem minima immutatione : « Ultimus ex solido tetrans. Colit India Cancrum ». Euxinus igitur alteri Geminorum : ultima pars reliqui tetrantis ex solido datur alteri. Ultimum tetrantem dixit, quomodo Jurisconsultus primum, secundum edictum, hoc est, primam, secundam partem edicti. Quod igitur in subsicivis illius quadrantis est nulli alii signo vindicatum, id totum adsignatur alteri Geminorum. Omnino prima pars tetrantis Arieti, secunda Tauro, tertia Geminis, cujus pars alteri Geminorum, pars reliqua ex solido alteri datur Et sane Euxinum et Clima sextum Geminis subjicit Firmicus libro primo. — *Ultimus ex solido tetrans*. Id est, reliquum tetrans. Nam tetrans τεταρτημόριον. Vitruvio vox Sicula, ut in libello de re nummaria ostendimus. In hac felici restitutione Gemblacensis fuit *Deus ex machina*. Ab Hipparcho autem, ut puto, habet illos tetrantes, qui et cælum et terram in quatuor tetrantes divisit, ut ostenderet cui te-

Te colit, et Macetum tellus, quæ vicerat orbem.
Virgine sub casta felix terraque marique
Es Rhodos, hospitium recturi principis orbem.
Tuque domus vere Solis, cui tota sacrata es,
Quum caperes lumen magni sub Cæsare mundi.
Ioniæ quoque sunt urbes, et Dorica rura
Arcades antiqui, celebrataque Caria fama.
Quod potius regat Italiam, si selegis astrum
Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,
Designat summas, et iniquum separat æquo,
Tempora quo pendent, coeunt quo noxque diesque?

tranti terræ quis cæli tetrans imperaret. — Huetius hunc locum sic interpolat: « post brachia fratris Ultimus ex solido Ganges: colit India Cancrum ». At sequente versu de Cancro agitur. Itaque B. adserit Cancrum nullum hic locum habere posse: venit huc forsan ex asterisco qui pro nota Cancri librarium fefellit. Igitur reponit et distinguit: « Sub Geminis te, Phœbe, colit post brachia fratris; Ultimus et colit hos Ganges et decolor Indus ». Ovid. Metam. IV, 21: « Decolor extremo qua cingitur India Gange ». Ed.

760. *Et Macedum tellus.* Placet lectio textus Bonincontrii *Macetum.* Non enim est commentum Bonincontrii. Vide Lectiones Ausonianas. Certe quotiescumque in poetis legitur *Macedum*, ego non dubitem *Macetum* reponere. Nam veteres libri habent *Macetum.*

762. *Et Rhodos.* Scribe: *es Rhodos.* B. cum libb. omnibus *Est Rhodos.* — *Hospitium recturi principis orbem.* Tiberii. Adulatorium. Jam enim constabat successurum Augusto. Nam quarto anno ante decessum Augusti hæc scribebat Noster. Notus vero Tiberii secessus vel potius voluntarium exsilium Rhodi: « Non es eques: quare? non sunt tibi millia centum. Omnia si quæras, et Rhodos exsilium est ». De Aquila, cujus Apollinidæ poetæ luculentum et acutissimum poematium meminit, habes apud Suetonium. — *Recturi principis.* Ovidius de Augusto, Met. XV, 836: « prolem sanctam de conjuge natam Ferre simul nomenque suum curasque jubebit ».

763. *Tuque*, unde editores *es*, *Et caperes;* sed lege *Tumque*, quia codices habent *sacrata est.*

764. *Quum caperes.* Voss. *caperet*, recte, si legitur *Tumque.* Ed.

767. *Quod potius regat Italiam.* Gembl. melius habet *colat Italiam*, Nam τὸ *regit* est in sequenti versiculo. Nihil tamen muto. Nam eleganter dictum, Quod astrum reget Italiam, nisi id quod regit omnia. — B. habet *colat*, bene.

769. *Designat summas.* Sic supra: « et nomina summis Imposuit ».

770. *Coeunt quo noxque diesque*, i. e. quo fit æquinoctium.

Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma
Et propriis frenat pendentem nutibus orbem,
Orbis et imperium retinet; discrimina rerum
Lancibus, et positas gentes tollitque premitque.
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.
Inferius victæ sidus Carthaginis arces, 776
Et Libyam, Ægyptique latus, donataque rura,

772. *Et propriis frenat.* Istum versiculum Scalig. subjicit ei, qui supra illum apud B. et in scriptis quartus est: « qua condita Roma Et propriis frenat pendentem nutibus orbem.

773. *Orbis et imperium.* Gemblac. habet *imperia;* dein repetitio τῶν *orbis, orbem* offendit. Lege et distingue: « Urbis in imperio retinet discrimina rerum, Lancibus et positis gentes tollitve premitve ».

775. *Qua genitus cum fratre.* L. Tarrutius Firmanus mathematicus consultus a Varrone, conceptum pronuntiavit anno primo Olympiadis secundæ, hora tertia, XXIII die mensis Choiac, id est, XIX Decembris. Intellige Choiac Actiacum, siquidem fingas semper Thoth fixum fuisse in XXIX Augusti. Præterea idem L. Tarrutius dixit fuisse integram Solis eclipsin, quod tam falsum, quam verum est fuisse proxime conjunctionem luminarium. Denique manifestam genituram, quam Ptolemæus vocat prænuntiam, XXI die Thoth, Sole oriente, sive XVIII Septembris. Conceptus igitur anno mundi 3179. Cujus Zygonos I, 21, 49, Kalend. Octobris, cyclo Solis 22, Lunæ 9, anno periodi Julianæ 3942. Proinde Toxonis neomenia fuit feria quinta, Novembris tricesima. Ergo Romulus cum fratre conceptus Toxonos vicesima, penultima Casleu anni Judaici 2990, quum sequentis Tebeth neomenia, cujus character 3, 8, 240, inciderit in noctem quæ sequuta est XX Decembris. Rursus neomenia Parthenonos ejusdem anni fuit feria sexta, Augusti ultima. Ergo editus in lucem XXI Parthenonos. In Virgine igitur, non Libra in lucem editi Remus et Romulus. Recte vero distantia servata est geniluræ et excessus, dies 273. Tot enim sunt, a XXIII Choiac ad XXI Thoth. — *Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Urbem.* Demonstrative dictum. Scribebat enim hæc Romæ. Romam vero ante Romulum conditam volunt multi. Vid. Solin. Junius Philargyrus: « Roma et ante Romulum fuit, et ab ea sibi Romulum nomen adquisivisse Marianus Lupercaliorum sic ostendit: Sed de Flavo et Cano * ita Roma Æsculapi filia Novum nomen Latio facit: Quod conditricis nomine Ab ipso omnes Romam vocant ». — *Qua genitus.* Versus barbarus et spurius. *Qua* referri deberet ad Libram, sed vi constructionis ad Romam. Inepte. Ed.

776. *Inferius victæ.* Scorpios.

777. *Ægyptique latus.* Cyrenaicam et Catabathmon. — *Donataque regna.* Gembl. *donataque rura.* Sequemur vulgarem lectionem. Ipsammet Æ-

Tyrrhenas lacrymis radiatus Scorpius arces
Eruit, Italiæque tamen respectat ad undas,
Sardiniamque tenet, fusasque per æquora terras.
Gnosia Centauro tellus circumdata ponto
Paret, et in geminum Minois filius astrum
Ipse venit geminus : celeres huic Creta sagittas
Adserit, intentosque imitatur sideris arcus.
Insula Trinacriæ fluitantem ad jura sororem
Subsequitur Creten, sub eodem condita signo,
Proximaque Italiæ, et tenui divisa profundo
Ora, pares sequitur leges, nec sidere ruptas.

gyptum, agros donatos vocat eruditissime, memor nimirum Herodoti, qui Ægyptum vocavit δῶρον ποταμοῦ, donum fluminis Nili. Vera est interpretatio. Nam quod Bonincontrius de Numidia Masinissæ a Romanis donata dicit, quam multis castigandum est? quasi propinqua sint Numidia et Ægyptus. Solennes ejus sunt nugæ. Hujus quoque aliam rationem adferre possumus. Nam Lucanus Ægyptum vocat regnum donatum, quod Ptolemæus Auletes penultimus Ptolemæorum in regnum a senatu, Pompeio auctore, restitutus sit in regnum, tamquam non regno restitutus esset, sed regnum illi a senatu donatum videretur: « Rege sub impuro Nilotica rura tenente, Hospitii fretus superis, et munere tanto In proavos, cecidit donati victima regni ». Vid. Pharsal. lib. IX, 130. Hæc interpretatio melior altera.

778. *Tyrrhenas lacrymis radiatus Scorpius arces*. Pretiosum hoc emblema huc insertum ab illepido homine, qui putavit deesse nomen Scorpii: atqui adposuit, quum dixit: *Inferius victæ sidus*, etc. Scorpius scilicet, qui est Libra inferior. Deinde quod hoc monstrum loquutionis, *radiis lacrymatus?* Denique quam bene cohærent antecedentia cum consequentibus, si hunc spurium versum admittamus? Postremo quid hoc est? eligit Tyrrhenas arces, et tamen spectat ad undas Italiæ? Perinde ac si dicas: Eligit Libyam, et tamen spectat ad Africam.

782. *Et in geminum Minois filius astrum*. Centaurus est geminus, biformis, qui et Minotaurus.

785. *Insula Trinacriæ... nec sidere ruptas*. Hos quatuor versus post nostrum 780 B. habet, et sic refingit: « Non ita Trinacriam, quæ dantem jura sororem Subsequitur gaudens, sub eodem... sequitur leges nec sidere rupta est ». *Insula Trinacriæ* ignave dictum pro Trinacria. *Fluitantem ad jura*, quis intelligit. Cretane tum, ut quondam Delos, erratica erat et nabat in pelago. Ed.

786. *Subsequitur Creten*. In Gemb. *Subsequitur Cremen*. Cretem eidem signo, nempe Sagittario, subjicit, cui et Siciliam. Nam Sagittarius est

Tu, Capricorne, regis quidquid sub Sole cadente
Expositum, gelidamque Helicen quod tangit : ab illo
Hispanas gentes, et quod fert Gallia dives,
Teque feris dignam tantum, Germania, matrem
Adserit ambiguum sidus terræque marisque,
Æstibus assiduis terram pontumque tenentem.
Sed Juvenis nudos formatus mollior artus
Ægyptum ad Leptimque, arces Tyriasque recedit,
Et Cilicum gentes, vicina et Aquarius arva.
Piscibus Euphrates datus est, ubi piscis * amator

Minotaurus, ut habes apud Hyginum, et Minos iam Cretæ, quam Siciliæ imperavit. Nota Dædali in Siciliam fuga, et Minois in eam Dædalum persequentis adventus. Quin et numismata oræ Tarentinæ et Siculæ hodieque inveniuntur Minotauri imagine signata.

788. *Tu, Capricorne, regis.* Capricornus occasum regit. Ab eo Propert. IV, 1, 86 : « Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua ». Servius in illud : « *Frigida Saturni quo sese stella receptet.* Hic autem, inquit, in Capricorno *facit* gravissimas pluvias, et præcipue in Italia ; unde et Horatius ait : *et tyrannus Hesperiæ Capricornus oræ* ». Nam delirat Bceceslenus, qui ad Augusti natalem refert, et de commento serio triumphat. An Capricornus apud illum Teutonice aut Brabantice loquatur, equidem nescio : hoc unum scio in Persica lingua *muder, brader, tochther, band, fader,* esse quod Brabantis matrem, fratrem, filiam, vinculum, patrem, et multa alia, quæ nos in lingua Persica passim notavimus. Quod si ille scisset, dubito, an Cimbros a Persis, an Persas ab illis deducturus fuisset.

789. *Gelidamque Helicen.* Quomodo Septemtrio sub Capricorno, quum prius Scythia sub Tauro, et Euxinus sub Geminis. Ed.

791. *Et quod fert Gallia dives.* Sed *quod* pro *quot* passim.

794. *Æstibus assiduis terram pontumque tenentem.* Intelligit de Germania ad Oceanum, quæ tunc tantum nota erat auspiciis Drusi, et in qua Quintilius Varus cum legionibus cæsus. Animose enim dixit *feris dignam*, propter recentem cladis memoriam : quod autem dixit æstibus assiduis ambiguam esse terræ marisque, idem et voluit Lucanus ad verbum : « Quaque jacet litus dubium, quod terra fretumque Vindicat, alternis vicibus quum funditur ingens Oceanus, vel quum refugis se fluctibus aufert ».

795. *Sed Juvenis nudos formatus mollior artus.* At Gembl. « nudo formatus mollior actu ». Nescio an actum vocet filum corporis, ut Lucillius et Arnobius loquuntur.

796. *Ægyptum ad G.* — B. *Ægyptum tepidam Tyriasque recedit ad arces. Leptis* enim ut tota *Libya* sub Scorpio, v. 777.

798. *Ubi Piscis amator.* Gembla-

Quum fugeret Typhona, Venus subsedit in undis.
Magna jacet tellus, magnis circumdata ripis,
Parthis, et a Parthis domitæ per sæcula gentes,
Bactraque, et Herios, Babylon, et Susa, Panosque*
Nominaque innumeris vix amplectenda figuris,
Et Tigris, et rubri radiantia litora ponti.
Sic divisa manet tellus per sidera cuncta.
E quibus in proprias partes sunt jura trahenda:
Namque eadem, quæ sunt signis, commercia servant.
Utque illa inter se coeunt, odioque repugnant;
Nunc adversa polo, nunc et conjuncta trigono,
Quæque alia in varios effectus caussa gubernat:
Sic terræ terris respondent, urbibus urbes,
Litora litoribus, regnis contraria regna.
Sic erit et sedes fugienda, petendaque cuique.
Sic speranda fides, sic et metuenda pericla,
Ut genus in terram cælo descendit ab alto.
Percipe nunc etiam, quæ sint Ecliptica Graio

censis habet *uruptor*. Quærant studiosi. —Voss. ad Catull. corrigit *ubi Pisce sub atro*. Conf. h. l. ad Ovid. Fast. II, 461, sqq. En.

802. *Bactraque*. Nescio an scribendum: « Bactraque et Arii Babylon et Susa Hypanisque ». Sed suspecta omnia. Gemblacensis magis turbat: « Bactraque ætherios Babylonem et Sispiniosque ». Versus est spurius, ni fallor. — Bentl. « Bactraque et Hyrcani, Babylon et Susa, Panosque ».

810. *Quæque...in varios effectus*. Vett. omnes *adfectus*. Repone *Quæve alia in varios adfectus*. Adfectus, odium, amorem, etc. Sic II, 476: « adfectus quoque divisit variantibus astris ».

813. *Petendaque*. Melius *petendave*.

816. *Percipe nunc etiam*. Pendent hæc a superioribus. Nam quum ex generalibus constitutionibus fata dignoscantur, nunc hic nos docet, in quibus universalia particularibus nocere possunt: quod accidit, quando in genituris præcipua loca, nempe luminarium, aut cardinum, quos φωσφοροῦντας τόπους vocat Ptolemæus, eadem fuerint cum illis, a quibus universalium casuum caussæ veniunt, id est, eclipticis ipsis, aut oppositis. Duo igitur cavenda: prius, locus, in quo eclipsis contigit; alterum, signum oppositum, ut aperte clamat Ptolemæus. Quare φωσφορίαν Lunæ quærat Manilius, supra in annia signorum diximus: nimirum quia imperium vitæ illi adtribuit. Ergo si adfecta

Nomine, quod certos quasi delassata per annos
Nonnumquam cessant sterili torpentia motu.
Scilicet immenso nihil est æquale sub ævo,
Perpetuosque tenet flores, unumque colorem.
Mutantur sed cuncta diu, variantque per annos,
Et fecunda suis subsistunt frugibus arva,
Continuosque negant partus effeta creando.
Rursus quæ fuerant steriles ad semina terræ,
Post nova sufficiunt, nullo mandante, tributa.
Concutitur tellus validis compagibus hærens,
Subducitque solum pedibus: natat orbis in ipso,
Et vomit Oceanus pontum, sitiensque resorbet,
Nec sese ipse capit: sic quondam merserat urbes,
Humani generis quum solus constitit hæres
Deucalion, scopuloque orbem possedit in uno.
Necnon quum patrias Phaethon tentavit habenas,

fuerit ἡ φωσφορία, quæ banc dominationem habet, hoc est, locus Lunæ, genituram, quæ sub illa contigerit, generali cum adfectu coincidere necesse est. Itidem ab opposito signo periculum denuntiat Ptolemæus. Quare hæc duo signa, in quo scilicet eclipsis contigit, item ei oppositum, ecliptica vocat Manilius. Nam semper, ut ait ille, subbina laborant. Itaque quamquam nomen binorum signorum eclipticorum non exstat apud Ptolemæum, res tamen ipsa conceptis verbis expressa est in illo testimonio, quod jam produximus.—*Quæ sint ecliptica Graio.* Manilius ecliptica signa vocat bina illa, quorum in altero deliquium contigerit, alterum autem ei oppositum.

817. *Nomine, quod certos.* Nimirum quare ecliptica dicta.

820. *Unumque colorem.* Vetusti quatuor *unumque tenorem.* Vid. II, 428.

822. *Subsistunt.* Melius *absistunt.* Desinunt fruges dare. Ed.

826. *Concutitur tellus variis.* Melius Gemblacensis: « Concutitur tellus validis ». Et sic B.

828. *Et venit Oceanus pontum, sitiensque resolvit.* Turpiter hæc erant fœdata. Correxit Scaliger, et sequitur eum B. Intelligit labes, quas aut subitis inundationibus, aut recessibus Oceanus facit.

829. *Sic quondam merserat urbes. Merserat orbem* Gembl. et propius historiæ poeticæ de diluvio. Nos nihil mutamus. Per hæc et sequentia satis fidem facit, se credere sæpe omnium rerum destructionem per incendium et inundationem accidere. — De diluvio vide luculentissimam dissertationem viri cl. Cuvier, quam Ovidii tomo III præmisimus. Ed.

Arserunt gentes, timuitque incendia cælum,
Fugeruntque novas ardentia sidera flammas,
Atque uno timuit condi natura sepulcro.
In tantum longo mutantur tempora cursu,
Atque iterum in semet redeunt : sic tempore certo
Signa quoque amittunt vires, sumuntque receptas.
Caussa patet, quod Luna quibus defecit in astris
Orba sui fratris, noctisque immersa tenebris,
Quum medios Phœbi radios intercipit orbis,
Nec trahit in se tum, quo fulget, Delia lumen,
Hæc quoque signa suo pariter cum sidere languent
Incurvata simul, solitoque excepta vigore,
Et veluti elatam Phœben in funere lugent.
Ipsa, docet titulus caussæ, quæ Ecliptica signa
Dixere antiqui : pariter subbina laborant,
Nec vicina loco, sed quæ contraria fulgent :
Sicut Luna suo tunc tantum deficit orbe,
Quum Phœbum adversis currentem non videt astris.
Nec tamen æquali languescunt tempore cuncta :

833. *Timuitque incendia. Timuit*, immo perpessum est : et versu altero redit illud *timuit*. Lib. I, 745, de eodem Phaethonte : « luit ipse incendia mundus Et vicina novis flagrarunt sidera flammis »; unde restitues : « luit ipsum incendia cælum, Fulseruntque novis radiantia sidera flammis ». *Fugerunt* hic pro *fulserunt*, ut contra IV, 24 vett. habebant *fulsissent* pro *fugissent*. Ed.

836. *Tempora cursu*. Editi habent *tempora cuncta :* forte *tempore cuncta*, quod dedit B. Ed.

837. *Sic tempore*. Melius *sic fœdere certo*. Ed.

839. *Caussa patet, quod Luna suis. Quod Luna quibus*, sententia postulante, et Gemblacensi adprobante.

840. *Orba sui fratris*, ἀρχαϊσμός. Orba suo fratre.

844. *Incurvata simul*. Eadem tralatione, qua dixit lugere. Nam atratorum et lugentium est pronus habitus. — *Solitoque excepta vigore*. Vett. *exempta*. Repone *exuta*, i. e. spoliata. Ed.

846. *Ipsa, docet titulos caussæ, quæ ecliptica signa Dixere antiqui*. Et ita etiam Gembl. B. autem *Ipse docet titulus caussas*. — Sic alibi, lib. II, 695 : « Dodecatemoria in titulo signantia caussas ».

847. *Pariter subbina laborant*. Subbina mihi eleganter dictum videtur, quod bina alternis laborent. Sed G. *sed bina*, quod probat B. et *subbina* barbarum pronuntiat. Sunt autem

Namque modo infectus totus producitur annus,
Nunc brevius lassata manent, nunc longius astra,
Exceduntque suo Phœbeia tempora casu.
Atque ubi perfectum est spatium, quod cuique dicatur,
Impleruntque suos certa statione labores
Bina per adversum cælum fulgentia signa;
Tum vicina labant ipsis hærentia signis,
Quæ prius in terras veniunt, terrasque relinquunt:
Sidereo non ut pugnet contrarius orbis,
Sed qua mundus agit cursus, inclinat et ipse,
Amissasque negat vires, nec munera tanta
Nec similes reddit noxas: locus omnia vertit.
Sed quid tam tenui prodest ratione nitentem
Scrutari mundum, si mens sua cuique repugnat,
Spemque timor tollit, prohibetque a limine cæli?
Condit enim quidquid vasto natura recessu,

bina signa ecliptica: nempe ἡ φωσφορία, iu qua contigit deliquium, et ei oppositum partiliter dodecatemorion. Igitur subbina vocat, ut diximus, id est, alterna bina. Nam exacto tempore laborant, et lauguent etiam ipsa, quæ eclipticis proxima sunt. Deliquium contigit in Ariete. Oppositum, hoc est, Libra et Aries sunt ecliptica signa: quæ quum luctus sui spatium exegeriut, aut, ut Jurisconsultus loquitur, postquam eluxeriut, proxima ecliptica erunt Taurus et Scorpius. Hoc est, quod dicit: « Atque ubi perfectum est spatinm, etc. »

852. *Namque modo infectus.* Sic alibi dixerat: « Aeraque inficiunt ». Gemblacensis tamen variat: « Sed modo in adfectus totus producitur annus », quod sequitur B. et Scaligerum vulgatam lectionem prætulisse miratur.

855. *Atque ubi perfectum est spatium.* Alia dicit intra, alia ultra annum lugere. Sed quænam tandem illa sint, non designat.

860. *Contrarius orbis.* Non quidem ut terra adversetur cælo. Nam cælo nihil contrarium.

861. *Sed quia mundus agit... ipse.* Orbis terrarum. Melius *Sed qua.*

864. *Sed quid tam tenui.* Epilogus, ubi multa luculenta ac divinitus dicta. Prænotatum erat lemma in Gembl. *fatorum rationem perspici posse.*

867. *Condit enim quidquid.* Mutila sententia est. B. *Condit enim se, inquit, vasto.* Inquit, ponit aliquem contra loqui, se desperantem hæc posse perspicere. Cui respondet: « Quid juvat, etc. » Ed.

868. *Mortalesque fugit visus et pectora nostra.* Quidquid natura abdidit, id fugit et visus nostros et

Mortalesque fugit visus, et pectora nostra.
Nec prodesse potest, quod fatis cuncta reguntur,
Quum fatum nulla possit ratione videri.
Quid juvat in semet sua per convicia ferri,
Et fraudare bonis, quæ nec Deus invidet ipse,
Quosque dedit natura, oculos deponere mentis?
Perspicimus cælum; cur non et munera cæli?
Quanta at pars superest rationem discere noctis;
Inque ipsos penitus mundi descendere census;
Seminibusque suis tantam componere molem;
Et pretium cælo sua per nutritia ferre;
Extremumque sequi pontum, terræque subire
Pendentis tractus, et toto vivere in orbe?
Jam nusquam natura latet: pervidimus omnem,
Et capto potimur mundo, nostrumque parentem
Pars sua conspicimus, genitique accedimus astris.
An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In cælumque redire animas, cæloque venire?
Utque sit ex omni constructus corpore mundus,

pectora nostra. Verissima lectio. Nam τὸ *hebetat* repositum ex Virgilio, et quidem nihil ad rem.

874. *Perspicimus cælum*. Post hunc versum reponit Scal. « Quanta at pars superest, etc. » qui in libris post 880 venit. Sed hunc B. irreptitium et insulsum judicat et reponit: « cur non est munere cæli Inque ipsos... » *Cur non est*, non licet? *Munere cæli*, cæli ipsius ope et beneficio.

875. *Quanta et*. Lege: *Quanta at*. At quid difficultatis superest ad discendum caussas latentes? quasi dicat, nihil. Sic Lucanus, ut Suetonius scripsit in ejus vita, dicebat: « Et quantum mihi superest ad Maronis culicem? » Vid. nost. edit.

877. *Seminibusque suis*. Mallem *segminibus*.

878. *Et pretium cælo*. Cognoscere cælum hoc vocat θρεπτήρια, id est, vices, pretium cælo retribuere. Sed Gronov. ex cod. Ven. « Et partem cæli, sua per nutricia ferre ».—*Partum cæli* habent Gemblac. Lips. et Voss. Hominem, qui *partus cæli* est, *ferre per sua nutritia*, per loca cælestia ubi initio factus, formatus, nutritus est. Ed.

881. *Pervidimus omnem*. B. *pervisimus omne*. Omne τὸ πᾶν. *Pervisimus*, tempore præsenti. Ed.

883. *Pars sua conspicimus*. Gembl. *perspicimus*. B. *Stirps sua*.

885, 886, sqq. Cf. loca similia ap. Virg. G. 219, sqq. Æn. VI, 724, sqq.

Aeris atque ignis summi, terræque, marisque;
Spiritus et toto rapido quæ jussa gubernans:
Sic esse in nobis terrenæ corpora sortis,
Sanguineasque animas animo, qui cuncta gubernat,
Dispensatque hominem? quid mirum, noscere mundum
Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis;
Exemplumque Dei quisque est in imagine parva?
An quoquam genitos, nisi cælo, credere fas est
Esse homines? projecta jacent animalia cuncta
In terra, vel mersa vadis, vel in aere pendent.

887. *Ætheris atque ignis.* Æther et ignis idem. Legendum *Aeris;* nisi dicamus *Æthera* quoqne pro aere nsnrpatum, qnod nescio an concedere debeam. — *Aeris* qnoque B. placet. Sic I, 137: « Aut neque terra patrem novit, nec flamma, uec aer », et alibi. Ed.

888. *Spiritus et toto rapido quæ jussa gubernans.* Verissime. Spiritns est gubernans, quæ jussa sunt in totn hoc rapido, in tnta hac mole rapida. Stat. Theb. VI: « quis fnlmen agat, quis sidera ducat Spiritus ». Codici restitutinnem banc accepto referimns. *Gubernant, movent* pro *Gubernans, movens*, sæpissime in G. adnotavimns. — Versus spnrius et barbarus. *Quæ jussa gubernans*, et mox altero abbinc versu *qui cuncta gubernat.* Mendum manifestum. Ed.

889. *Sic esse in nobis.* Immo *Sic esse et nobis.* Ed.

890. *Sanguineasque animas animo, qui cuncta gubernat.* Haud dnbie τὸ *animas* ennformatum ex sequenti. Sed quid reponendum sit, lubricum est statuere. Nam mults possnmus comminisci. Vult enim dicere, ut sit spiritus quidam in tnta hac rapida mole, qni jussa gubernet, sic esse ssugnineam vim animo nnstro, qni cuncta gubernet. Scio *minas* esse, quas poetæ dicunt ὁμοκλὰς, quibns instigantur bestiæ ad incessum tardiores: qnod valde cnnveniret hnic locn, ubi jussa facienda præscribuntur. Sed nnn ita temerarii sumus, ut sine codicis anetoritate admittamus. Valde tamen adridet conjectura. Festus Avienns: « instanti similis similisqne minanti ». Ex illo Arati θλάοντι ἐοικώς. Sed de hnc alibi diximus. Pnrro hoc argumentum tractat Firmicus libro VIII. — Sententia auctoris hæc: Ut mundus partim gravibus constat sqna et terra; partim subtilibus aere et igni; ita et hominibus sunt corpora terrenæ sortis, animi vero cælestis sortis. Si hoc est, quis credat sanguineas animas npponi terrenæ sorti? Quærendnm aliquid pnrius, subtilius, cælestius. Forte « Ætheriasque auras animo » Dogma Stnienrum. Ed.

893. *Exemplumque Dei*, etc. Cf. ad Ovid. Met. I, 83: « Finxit ad effigiem moderantum cuncta Deorum »; et quæ ibi notata snnt, nnst. edit. tnm. III, p. 55. Ed.

895. *Projecta jacent animalia cun-*

Omnibus una quies, venter, sensusque per artus,
Et quia consilium non est, et lingua remissa,
Unus et inspectus rerum, viresque loquendi
Ingeniumque capax varias educit in artes.
Hic artus quicumque regit, secessit in orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,
Imposuitque viam ponto, stetit unus in arcem
Erectus capitis, victorque ad sidera mittit
Sidereos oculos, propiusque adspectat Olympum,

eta. B. reponit *animalia muta*. Sic II, 99 : « Denique si pecudes et muta animalia terris ». Recte vero *muta*, cui mox opponuntur *vires loquendi*. Senec. ad Marciam, c. 8 : « mutorum animalium quam concitata desideria ». Ed.

897. *Venter sensusque*. Bentl. ad hæc : Sensus male convenit cum quiete, et reponit *venter somnusque*. — Sic Sallustius, Catil. 11 : « Sed multi mortales dediti ventri atque somno ». Tacit. Germ. XV : « Per otium transigunt, dediti somno ciboque ». Dein B. hos versus invertit sic : « Et quia consilium...Omnibus una quies ». Ed.

898. *Et quia consilium non est*. Aristoteli in Nicomacheis λογισμὸς dicitur, quod hic *consilium*. Eo dicit carere bruta, quia neque res aut sensus inter se componendi facultatem habent.

899. *Unus et inspectus rerum*, etc. Rectius B. « Unus in inspectus... variasque educitur artes ». Ex omnibus animalibus, unus, homo, educitur in inspectus rerum, etc. Ovid. Met. VIII, 533 : « Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis, Ingeniumque capax totumque Helicona dedisset ». Ed.

901. *Hic artus quicumque regit, secessit in orbem*. Spiritus scilicet, de quo est sermo, quo homo præditus, bestiæ autem, ut inquit, carent. Neque dubitandum. Virgilius, Æn. IV, 336 : « dum spiritus hos reget artus ». Infra : « Sic animi sedes tenui sub corde locata Per totum angusto regnat de limite corpus ». Eamdem rem mutatis verbis dixit. Sequentia magis probant. Nam dicit eum esse erectum in arce capitis. Deinde quam leve esset partum accipere pro homine ? — Sed intelligi possit partus cæli. Vid. sup. not. 878. Homo cunctorum dominus secessit in urbes, etc. Ergo lege : « Hic partus qui cuncta regit, secessit in urbes ». Ed.

902. *Et domuit*. G. et Voss. *Edomuit*. Ed.

903. *Stetit unus in arcem Erectus capitis*. Ovid. Met. I, vs. 84 : « Os homini sublime dedit cælumque tueri Jussit et erectos ad sidera tollere vultus » ; ibique vid. not. Sic nostras Buffon, *Hist. nat.* « Tout marque dans l'homme, même à l'extérieur, sa supériorité sur tous les êtres vivants ; il se soutient droit et élevé, son attitude est celle du commandement ; sa tête regarde le

Inquiritque Jovem, nec sola fronte Deorum
Contentus manet, et cælum scrutatur in alto,
Cognatumque sequens corpus se quærit in astris.
Hinc in tanta fidem petimus, quam sæpe volucres
Accipiunt, trepidæque suo sub pectore fibræ.
An minus est sacris rationem ducere signis,
Quam pecudum mortes, aviumque adtendere cantus?
Atqui adeo faciem cæli non invidet orbi
Ipse Deus, vultusque suos, corpusque recludit
Semper volvendo, seque ipsum inculcat et offert,
Ut bene cognosci possit, doceatque videndo,
Qualis eat, doceatque suas adtendere leges.
Ipse vocat nostros animos ad sidera mundus:
Nec patitur, quia non condit, sua jura latere.
Quis putet esse nefas nosci, quod cernere fas est?
Ne contemne tuas quasi parvo in corpore vires.
Quo valet, immensum est : sic auri pondera parvi
Exsuperant pretio numerosos æris acervos.
Sic adamas punctum lapidis, pretiosior auro est.
Parvula sic totum pervisit pupula cœlum.
Quoque vident oculi, minimum est, quum maxima cernant.

ciel, et présente une face auguste, sur laquelle est imprimé le caractère de sa dignité ».

907. *Cælum scrutatur in alvo.* Malim *in alto.*—B. « at cæca scrutatur in alvo ». *Alvus* interior mundi.

909. *Hinc in tanta fidem.* G. *Huic.* B. *Huic in fata*, sc. homini petimus fidem in fata. Ed.

910. Melius *trepidæque boum.* *Fibræ* enim pecudum sunt, ut reddatur vers. 912. Ed.

911. *An minus est.* An difficile est huic arti credere: haruspicinæ autem et Etruscæ disciplinæ credetur?

913. *Atqui adeo.* B. *atque ideo.* Ordo et series, Atque ideo non invidet faciem, ut possit bene cognosci. Ed.

916. *Doceatque videndo.* Quatuor vett. *videndus.* Forte *pateatque videndus. Doceat* enim, quia sequitur iteratum, certe mendosum est: sed vs. seq. Voss. habet *cogatque;* et *videndo* defendi omnino posset illo Virgilii, Georg. III, versu 215: « uritque *videndo* Femina ». Ed.

922. *Quo valet.* Sic Plin. XXXIII, 13, 5: « valet aureo nummo ». At Varr. de L. L. IV: « Denarii, quod denos æris valebant; quinarii,

Sic animi sedes tenui sub corde locata
Per totum angusto regnat de limite corpus.
Materiæ ne quære modum, sed perspice vires,
Quas ratio, non pondus habet : ratio omnia vincit.
Ne dubites homini divinos credere visus.
Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen,
Majus et Augusto crescit sub principe cælum.

quod quiuos ». — *Quod valet*, hoc loco erit casus nominativi. Id quod valet, animus scil. immeusum est.

932. *Jam facit ipse Deos.* Apotheosis Caii Cæsaris. Aug. Cæsar : « Iis ipsis ludorum meorum diebus sidus crinitum per septem dies in regione cæli, quæ sub Septemtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque et omnibus terris conspicuum fuit. Eo sidere significari volgus credidit Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam : quo nomine id insigne capiti simulacri ejus, quod mox in foro consecravimns, adjectnm est ». — *Mittitque ad sidera numen.* Stat. « et sidera dones ». — De Claudii apotheosi facete Juvenalis, Sat. VI, 622 : « tremulumque capnt descendere jussit In cælum ». Stat. Silv. III, III, 77 : « Nondum stelligerum senior dimissus in axem ». En.

933. *Majus et Augusto crescit.* In Gembl. *crescet.* Ita intelligendum fuerit de futura apotheosi Augusti. Sed nihil mutandum.

EXCURSUS I

AD MANILII ASTRON. LIB. IV, vs. 294.

Sed nihil in semet. Absoluta prima parte quæ mores universales signorum spectat, nunc ad secundam se confert, quæ est de individuis signorum moribus, sive monomœriis. Porro et monomœriæ ipsæ aut absolute, aut relative considerantur. Quæ relative eæ tantum uno modo considerantur, qui per denarium fit; ut per eos denarios numeros signorum commercia sint. Quum autem tricenarum partium signum sit, unum quodque decurias tres habet. Singulis decuriis singuli decani præsident : primæ parti Arietis præsidet Aries ipse, et reliquis novem. Undecimæ, ac reliquis novem Taurus. Vicesimæ primæ, ac reliquis novem Gemini. Idem ordo in cæteris signis constat, ut habes in tabula. Vid. Scal. ad h. l. Signa, quæ se ex trigono adspiciunt, eosdem decanos habent. Nam Aries, Leo, Sagittarius, quæ trigona sunt, eosdem decanos habent, Arietem, Taurum, Geminos. Eadem ratio in reliquis; ut nimirum in uno signo terni decani sint ; quia tribus contuberniis, seu decuriis distincta sunt. Res admodum prisca est. Nam et vetustissimus scriptor Teucer Babylonius de illis tractavit. Abrogata vero a Ptolemæo, et ab Arabibus relata, qui has partes vocant *Wageah.* Ac quamvis prisca res est, adpellatio tamen non vetusta. Nam sumpta est a militia Romana, ut pleraque alia in hac matæotechnia. Qui enim Græce et Latine sciunt, numquam concedent decanum Græca analogia inflexum esse. Nam si verum erat, etiam Græca analogia pentanum, heptanum, et similia formaret. Contra militiæ Romanæ sunt decanus, primanus, quintanus. Decanus in

castris est caput contubernii habens novem sub se : ipse decimus eis præerat : a quo nomen illi. Idem dicebatur caput scholæ : hodieque in collegiis ecclesiasticis qui decimus est, ac princeps collegii, alibi decanus, alibi caput scholæ vocatur, ut in Volscis Tectosagibus, et Arecomicis, et reliqua provincia Narbonensi. Nimirum quia schola et contubernium idem. Turcæ etiam omnem decanum vocant cameræ præfectum : hoc enim apud eos sonat *Odabassi*. Nam *oda* est camera, sive contubernium. Ubi enim magnus numerus est, distribuunt in decurias, quas, ut diximus, *Odas*, id est, contubernia vocant. Magis ostendunt morem Romanum, qui suis decanis singulos munifices adtribuerunt, quos Græci artis magistri συνεργεὺς vocant ; quod et ipsum Romanæ militiæ verbum esse non dubitat, nisi qui Latine nescit. Quare et nomen quoque illis a militia Romana Arabes, ut dixi, vocant *Wageah*. Ita ipsi hominem vocant aliquo honore præditum, aut aliquo in gradu constitutum, ut est decanus in decuria sua et contubernio. Esto Sol in x parte Arietis : quia domus magistra Martis est Aries, dicemus Solem esse in decano primo Arietis, qui Marti imperat. Rursus esto Sol in xx Arietis : dicemus Solem esse in secundo decano Arietis, qui Soli imperat. Et sic deinceps. Aries est Martis primus decanus, secundus Solis, tertius Veneris juxta seriem errantium.

EXCURSUS II

AD MANILII ASTRON. LIB. IV, vs. 742.

Laniger in medio. Constat signis alias tutelas regionum a Manilio, alias a Ptolemæo, alias ab Hipparcho adsignari. Arieti Ægyptii Babyloniam, Arabiam Ægypto conterminam; Ptolemæus Britanniam, Galliam, Germaniam, Basterniam, Palæstinam subjicit. Hipparchus Arietis humero dextro Thraciam, lævo Babyloniam, pectori Armeniam, lateribus Arabiam Ægypto confinem, dorso Persida, Cappadociam, Mesopotamiam, Syriam, Rubrum mare, etc. Manilii absurda et superstitiosa plane explicatio. Arietem Propontidi et Hellesponto præficit, quia a poetis Hellespontum tranasse fingitur: Phrygiæ Leonem, propter Magnam Matrem Deum, cui sacer sit: Babyloniæ Pisces, propter Typhonem et Venerem. Nam illius fabulæ scena in ea regione ponitur. Item alia propter alias caussas, quæ quamvis omnino fabulosæ non sunt, tamen rationes, quæ possunt adsignari, plus quam fabulosæ: quales illæ, Arictem rursus Persidi præesse, quia ea gens lanicii, et vestificii studiosa: Libram Italiæ, quia Romani unicuique genti æquum tribuunt: item Scorpion Libyæ, propter animalia venenata, quorum Africa feracissima: Sagittarium Cretæ, quia Cretes periti jaculatores: Capricornum toti Occidenti et Oceano, quia oræ Oceani occidui nunc accedente æstu cooperiuntur, nunc recedente denudantur. Ita eas regiones ambiguas inter mare et terram esse, quemadmodum Capricornus signum est ambiguum maris et terræ. Par superstitio, quum Aquarium oris maritimis præficit, propter aquam, quam ex urna dicitur projicere. Quæ omnia manifesto magnum otium illis ad

nugandum superfuisse testantur. Ita Manilius. Ptolemæi ingeniosius commentum, et tamen commentum, nihil aliud, ut alia omnia hujus vanæ scientiæ. Sed quemadmodum Ptolemæus terram universam dividit in quatuor tetrantes, ita etiam Manilius, sed diverso instituto. Ptolemæus per trigona signa distribuit regiones : Manilius per consequentiam signorum. Primus igitur tetrans Manilio comprehendit Hellespontum, Propontida, Euxinum, Scythiam, Asiam, Persida, Arabiam, Ægyptum; quarum Arieti adtribuitur Hellespontus, Propontis, Syria, Persis, Ægyptus : Tauro Scythia, Asia, Arabia : Geminis, Euxinus Pontus. Secundus tetrans continet Macedoniam, Bithyniam, Phrygiam, Cappadociam, Armeniam, Rhodon, Ioniam, Dorida, Cariam, Indiam, Æthiopiam : Cancro dantur India, Æthiopia : Leoni Phrygia, Cappadocia, Armenia, Bithynia, Macedonia : Virgini Rhodos, Ionia, Doris, Caria. Tertius tetrans continet Italiam, Sardiniam, Magnam Græciam, insulas, Cretam, Siciliam, Africam provinciam, ubi Carthago, Libyam, Cyrenaicam : Libræ Italia adtribuitur : Scorpio Africa provincia, Libya, Cyrenaica, Sardinia, insulæ, Magna Græcia : Sagittario Creta, Sicilia, atque iterum Italia inepte. Quartus et ultimus tetrans complectitur totum Occidentem, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Leptitanam, Africam provinciam, iterum inepte, Siciliam (1), Babyloniam, Bactrianam, Persicum sinum. Quæ sunt scopæ dissolutæ. Servat tamen ordinem quemdam horum tetrantum, sive tetartemoriorum. Melius fecisset, si structuram membrorum mundi prius constituisset, et singulis membris singula Zodia et tutelas Deorum adsignasset, ut supra notavimus.

(1) Forte legendum *Ciliciam*, quæ nondum occurrit. Scaliger scribit *Ciciliam*. Ed.

M. MANILII
ASTRONOMICON
LIBER QUINTUS*.

ARGUMENTUM LIBRI QUINTI.

Explicatis duodecim signorum Zodiaci ortibus atque occasibus, cæterorum siderum quum Australium, tum Septemtrionalium ortus atque occasus cum Zodiaci signorum ortibus atque occasibus collaturus est Poeta (toto libro). Exorditur ab eo, quod alius hic operi huic finem fecisset, eque supremo cælo descendisset, ut medios ignes planetarum per æthera observaret: ipse vero imperfectum opus relinquere non vult (ad v. 31). Itaque docet cum Arietis IV grad. exoriri et navim Argo, quæ procreet navium rectores, naucleros, navalia bella amantes; et Orionem qui det solertes animos, velocia corpora, mentes agiles officio, salutatores communes (ad v. 66.) Iterum cum ejusdem Arietis XV grad. surgere Heniochum, qui generet aurigas, equorum domitores, curulium Circensium agitatores, desultores, et ex equo arma tractantes (ad v. 101). Tertio cum XX grad. ejusdem Arietis oriri Hædos, qui luxuriosos ac pastores generent (ad v. 117). Quarto cum ejusdem grad. XXVII adtolli Hyades, quæ popularis auræ cupidos, seditiosos, bubulcos et armentarios procreent (ad v. 127). Denique cum ejusdem grad. XXX adscendere Oleniam, quæ timidas mentes ac ignota visendi cupidos det (ad v. 139). Cum VI grad. Tauri surgere Pleiades, quibus adspirantibus nascantur luxus ac cultus amatores, qui calamistratos capillos artusque lævigatos gerere gestiant (ad v. 156).

Tradit cum VII grad. Geminorum exoriri Leporem, quo sub sidere gignantur stadiodromi, pyctomachi, pililudii, saltatores, vigiles industrii, et qui per varios lusus otia dulcia exerceant,

* Vid. Excursus I ad calcem hujus libri. Ed.

(ad v. 173). Vult cum primis Cancri partibus emergere Jugulas, quos Asellos Cancri vocant, quibus suffragantibus procreentur venatores et piscatores. Pariter cum ejusdem Cancri grad. XXVII adtolli Procyonem (197), qui venandi arma atque instrumenta omnia ministret. Tradit cum primis Leonis (206) gradibus exoriri Canem majorem atque Caniculam, quo sub sidere nati sæpissime sint violenti, iracundi, minaces, litigiosi, feroces et impavidi. Similiter (234) cum ejusdem Leonis ultimis partibus surgere Craterem, quo sub sidere nati vitem colant, et merces mari committant (ad v. 250). Cum Virginis XV grad. scribit exoriri Coronam Ariadnæ, qua micante nascantur, qui hortos ac flores colant, unguenta coquant, et munditiam cultumque quærant (ad v. 269). Item cum ejusdem X grad. surgere vult Spicam, quæ suboriens det agricolas (ad v. 287). Cum Libræ grad. VIII surgere et Sagittam, quæ det sagittarum jaculatores; et Hædum, qui procreet solertes animos (ad v. 318). Deinde cum ejusdem Libræ grad. XXVI Lyram, quæ det fidicines ac cantores (ad. v. 331). Cum Scorpionis VII grad. adscendere Aram, quæ creet sacerdotes et prophetas (ad v. 342). Cum ejusdem Scorpionis grad. XII Centaurum meridionalem, qui fingit aurigas, equorum nutritores et medicos ac muliones (ad v. 351). Cum Sagittarii grad. V Cycnum, qui progignat aucupes (ad v. 383). Cum Capricorni primis partibus adscendere Serpentarium, qui generet marsos. Cum ejusdem vero Capricorni partibus posterioribus exoriri Fidem, seu Fidiculam, quæ det viros summæ æquitatis, scelerum vindices (405): similiter Delphinum, qui det urinatores et petauristas (ad v. 440). Cum Aquario surgere Cepheum, qui generet viros moribus integros. At cum ejusdem Aquarii XII grad. adtolli Aquilam, quæ creet prædatores, et regum per bella ministros (ad v. 496). Cum ejusdem vero grad. XX adsurgere Cassiopeam, quæ progignat artifices auri (ad v. 537). Cum Piscium XII grad. oriri Andromedam, quæ det pœnarum publicarum ministros carcerum custodes (ad v. 630). Cum eorumdem vero XXI grad. Pegasum, qui rhedarios, equorum domitores procreet. Cum eorumdem ultimis partibus exoriri ad dextram Herculem, qui det dolosos et mendaces: ad sinistram vero Cetum, qui procreat piscatores (ad v. 692). Denique docet occidentibus Leone et Scorpione oriri Helicen et Cynosuram, quæ dent mansuetarios (ad 709). — Tunc multa desunt. Fragmento, ubi de magnitudinibus stellarum pauca aguntur, liber concluditur.

Hic alius finisset iter, signisque relictis,
Queis adversa meant stellarum lumina quinque,
Quadrijugis et Phœbus equis, et Delia bigis,
Non ultra struxisset opus, cæloque rediret:
Ac per descensum medios decurreret ignes
Saturni, Jovis, et Martis, Solisque sub illis:
Post Venerem, et Maia natum, te, Luna, vagantem.
Me properare viam mundi lubet, omnia circum
Sidera vectatum, toto decurrere cælo;
Quum semel æthereos jussus conscendere currus
Summum contigerim sua per fastigia culmen.
  Hinc vocat Orion magni pars maxima cæli,
Et Ratis Heroum, quæ nunc quoque navigat astris,
Fluminaque errantes late sinuantia flexus,
Et biferum Cetum squammis, atque ore tremendo,
Hesperidumque vigil custos, et divitis auri,
Et Canis in totum portans incendia mundum,
Araque Divorum, cui votum solvit Olympus.
  Illinc per geminas Anguis qui labitur Arctos,

1. *Sic alius*. Gembl. *Hic alius*, ut etiam nos olim. Multi, inquit, contenti illis, quæ exposuimus, Zodiaci sola apotelesmata sufficere dixissent, non admixtis inerrantium auxiliis. Nam Zodiaco tenus Agyrtæ Astrologi apotelesmata promittebant. Propert. IV, 1, 107: « Adspicienda via est cæli, versusque per astra Limes, et a stellis quinque petenda fides ». — *Signisque relatis*. Gembl. *signisque relictis*, etc. Nam *iter* melius hic convenire, sequentia probant. *Signis relictis*, desistens in ipsis signis. — Sed B. *signisque relatis*, i. e. enarratis. Sic I, 602: « Inter se adversi, qui cunctos ante relatos Seque secant ».

2. *Stellarum lumina quinque*. Melius vett. habent *numina*: nam mox Sol et Luna quadrijugis et bigis non ut lumina, sed ut numina vehuntur. Ed.

5, 6, 7. *Ac per descensum*, etc. Tres hi versus adulterini. Similes vidimus I, 809.

8. *Me properare viam*. Differentia matheseos vulgaris et sphæræ barbaricæ. B. autem *me superare viam mundus jubet*. Nam *libet me* barbarum est. *Properare* vero non convenit. Virgil. Georg. III, 141: « non saltu superare viam ».

15. Versus barbarus. *Cetus* non *Cetum* dicitur. *Biferum* pro *semiferum*: sed neque Cetus *semifer*. Ed.

Heniochusque memor currus, plaustrique Bootes,
Atque Ariadneæ cælestia dona coronæ,
Victor et invisæ Perseus cum falce Medusæ,
Andromedamque negans genitor cum conjuge Cepheus,
Quaque volat stellatus Equus, celerique Sagittæ
Delphinus certans, et Juppiter alite tectus,
Cæteraque in toto passim labentia cælo.

Quæ mihi per proprias vires sunt cuncta canenda,
Quid valeant ortu, quid quum merguntur in undas,
Et quo de bis sex astris pars quemque reducat.

23. *Andromedamque negans genitor. Negans* abdicans eam, utpote quam Ceto tamquam alienam exposuerit. Hinc Cicero in Arateis: « Andromeda aufugiens adspectum mœsta parentis ».

24. *Quaque volat.* Constructio peccat, et *stellatus*, absolute, ignavum est epitheton. Melius « Inque alas stellatus ». Sic I, 341: « volitat stellatus in alas ». Ed.

28. *Quid valeant ortu, quid quum merguntur in undas.* Duos libros sphæræ barbaricæ scripsit: in priore, qui est hic, quem nunc in manibus habemus, quintus scilicet operis Maniliani, tractat, « quid valeant ortu »: in posteriore tractabat, quid valeant, « quum merguntur in undas ». Tempore Firmici uterque liber exstabat; et ex utroque apotelesmata sphæræ barbaricæ desumpsit, ita fideliter in omnibus sequens Manilium, ut commentarii vicem esse possit. Sed hominem ingratum piguit profiteri per quem profecisset, ut ne nomen quidem ejus memoraverit. Ubi erravit Manilius, et ipse quoque cum duce suo erravit. Ubi partem signi non adposuit, ne ipse quoque. Aliquando etiam perperam auctorem suum interpretatur, ut suo loco videbitur. Quare iste liber quintus operis Maniliani tractans de ortibus est primus apotelesmaticus sphæræ barbaricæ; alter, qui periit, erat secundus apotelesmaticus sphæræ barbaricæ. Sequebantur suffragia planetarum, de quo libro non semel meminit. Ex duobus igitur istis libris Manilii, qui perierunt, sua apotelesmata sphæræ barbaricæ concinnavit Firmicus, in quibus et occasus et decreta planetarum simul conjecta sunt. Neque alia decreta planetarum scripsisse Manilium credimus.

29. *Et quo de bis sex astris pars quemque reducat. Pars de bis sex astris.* Intelligit monomœriam. *Quo reducant quemque.* Qualem quemque efficiant monomœriæ. Nam hæc tractatio nihil aliud quam monomœriæ sphæræ barbaricæ.—B. hæc corrupta putat. Reponit « Et quota ... pars quodque reducat », i. e. quota pars de XII signis Zodiaci reducat quodque astrum ex illis quæ extra Zodiacum sunt. Hoc agit toto hoc quinto libro. Sic mox quartus gradus Arietis reducit navem Argo.

Has stellis proprias vires et tempora rerum
Constituit magni quondam fabricator Olympi.
Vir gregis et ponti victor, cui parte relicta
Nomen onusque dedit, nec pelle immunis ab ipsa;
Colchidos et magicas artes qui vertere Iolcho
Medeam jussit, movitque venena per orbem;
Nunc quoque vicinam puppim, ceu naviget, Argo
A dextri lateris ducit regione per astra.
Sed tum prima suos puppis consurgit in ignes,
Quattuor in partes quum corniger extulit ora:

30 et 31. B. spurios dicit et orationem turbantes.

34. *Colchidos et magicas artes qui vertere Iolcho Medeam jussit.* Medea mutavit Colchon Iolcho. Utraque urbs clara veneficiis. Sic dicitur vertere solum, ut supra: « et vertere Trojam ». Et mutare terram terra. Sed non explicatur *vertere artes Iolcho.* Voss. habet *visere*; unde B. « qui visere Iolcon Medeæ jussit », h. e. qui jussit magicas artes Colchidos Medeæ visere Iolcon, atque inde per totum orbem venena movit. Ed.

36. *Nunc quoque vicinam puppim.* Vicinam Argo Arieti dicens ostendit se astrothesiæ imperitum esse. Similes hallucinationes reperias apud Vitruvium.

37. *A dextri lateris ducit regione per astra.* Conjungenda vero sunt illa: « nec pelle immunis ab ipsa Nunc quoque vicinam puppim, etc. » Vult enim adhuc cum ipsa pelle aurata in cælo Arietem collocatum esse. Supra: « Et sua respiciens aurato vellere terga ». Versum 34 et 35 Scal. suspicatur adulterinos esse.

38. *Sed tum prima suos puppis consurgit in ignes.* Primos ignes puppis vocat, non Canopum, quæ stringit horizontem Rhodi, sed emergit supra horizontem Ægyptiacum, et est in gubernaculo australi: sed capiendum de stellis, quæ sunt in gubernaculo aquilonari. Duo enim gubernacula habet Argo, ut et omnis navis antiquitus. Ælian. lib. IX, cap. 40, et nummi veteres. Textus Bonincontrii agnoscit *ignes.* Quod autem Argo a puppi oritur, et prora ejus latet, sciunt et mediocriter docti; quod Latinis est remos inhibere; quod fit quando nautæ mutato situ in puppim navim aversam impellunt, non, ut antea, in proram. Ideo aversa Argo in cælo fingitur sita. Silius libro II: « Converso Tyrios petierunt remige patres », id est, inhibendo remos. Oritur igitur Argo a puppi, atque adeo aplustri ipso, cujus summitas χηνίσκος dicta a rostro anseris, ut etiam visitur in numismatis Romæ.

39. *Quattuor in partes.* Mendum ergo est in Firmico: « In Arietis parte decima oritur Navis ». Nam quum Manilium verbatim sequatur, videtur legendum *quarta*, non *decima.* Sed quæ hæc sphæra barba-

Illa quisquis erit terris oriente creatus,
Rector erit puppis, clavoque immobilis hærens
Mutabit pelago terras, ventisque sequetur
Fortunam, totumque volet tranare profundum
Classibus, atque alios menses, aliumque videre
Phasin, et in cautes Tiphyn superare trementem.
Tolle istos partus hominum sub sidere tali:
Sustuleris bellum Trojæ, classemque solutam
Sanguine, et adpulsam terris: non invehet undis
Sipara, nec pelagus Xerxes ferietque tegetque:
Vera Syracusis Salamis non merget Athenas,

rica, Navem oriri in Ægypto in quarta parte Arietis? Monstrum astrologiæ. Tempore Manilii iu finitore barbarico oriebatur ab XI Cancri ad XXII Virginis, hor. 4, 50'. Vides absurditatem.

40. *Illa quisquis erit.* Qui Argo oriente nascentur, uaucleri eruut, uavicularii, rectores puppis, sive gubernatores. — Male Scal. *Illo.*

41. *Clavoque immobilis hærens.* Sic Virgil. Æn. V, 902, de Paliuuro: « clavumque adfixus, et hærens, etc. »

45. *Tiphyn superare trementem.* Gemblacensis mendose « superare triremem ». Si Latinum esset superare uavem pro adigere, uon dubitarem legere: « et iu eantes Tiphys superare triremem ». Tamquam Tiphys alter adigere uavem, per medias cautes Symplegadas. Sed hæc incerta, et vulgata lectio proba. Nam tremens in cautes bono gubernatori accommodum.

46. *Tolle istos partus.* Gemblac. *Tolle istos ortus*, et sic B.

47. *Classemque solutam Sanguine, et adpulsam terris.* Nam ut soluta est sanguine Iphigeniæ, ita adpulsa Protesilai cæde. Auson. Epig. XX, 5: « Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt, Victima quod Trojæ prima futurus eras ».

48. *Non invehet undis Sipara, nec pel. Xerxes facietque tegetque.* Sustuleris istos partus: sustuleris omnem navigatiouem: neque Xerxes vela invehet undis, ueque faciet pelagus, ueque teget. — *Sipara.* Libb. omnes *sidera:* et siue exemplo *Sipara* velorum pro totis classibus poni. Cod. Voss. habebat *Per sidera;* unde Voss. ad Catullum *Persida* argute. *Persida invehit*, quasi totam geutem. Sic IV, 662: « Libyen Italas infudit in urbes ». Ed. — *Nec pelagus Xerxes facietque tegetque.* Fecit pelagus in Atho. Catullus, Carm. LXVI, vs. 45: « Quum Medi irrupere (alii *pepulere*) uovum mare ». — *Teget*, classibus scilicet. Tamen valde placet quod docti viri emendarunt, « ferietque regetque ». Vide Herodotum. Hic Gemblaceusis male, meo judicio, « Xerxen facietque tegetque ». — B. *faciet* adserit et Voss. dat.

50. *Vera Syracosis Salamis non*

Punica nec toto fluitabunt æquore rostra,
Actiacosve sinus inter suspensus utrimque
Orbis, et in ponto cæli Fortuna natabit.
His ducibus cæco ducuntur in æquore classes,
Et coit ipsa sibi tellus, totusque per usus
Diversos rerum ventis arcessitur orbis.
Sed summa lateris surgens de parte sinistri
Maximus Orion, magnumque amplexus Olympum;
Quo fulgente super terras cælumque trahente

merget Athenas. Sic Gemblac. Tantum abest, ut Salamis merserit Athenas, ut contra Athenienses Salamina vastarint. Sed male apud Syracusas rem gessisse Athenienses ducibus Nicia et Demosthene scimus, teste Ælian. Var. Hist. V, 10. An huc referenda, quæ Silius lib. IV canit, v. 285, ubi de Syracusis agit: « ter centum ante ora triremes Unum naufragium, mersasque impune profundo Clade pharetrigeri subnixas regis Athenas ». Et de hac clade Atheniensium rursus infra repetit: « Armaque fixa Deis, aut quæ Marathonius hostis Perdidit ». Quæ est historia, quam tangit Ælianus l. c. Quidquid latet sub involucro hujus versus, ad illud adserit Lucanus, III, 183: « Tresque petunt veram credi Salamina carinæ ». Nam tam hic, quam apud Lucanum, Salamis dicitur vera. — *Mergit Athenas.* Vett. *merget*, recte, ut *invehet.* Salamis *vera* est insula prope Athenas, Ajacis: altera urbs in Cypro, Teucri. Sententia est: Gloria et superbia ob Salaminiam victoriam, non merget Athenas Syracusis, dum ultra vires Siciliam adgrediuntur ». Ed.

52. Olim *suspensus uterque orbis.* Oriens et occidens; vel potius terra et cælum, quod magis placet. Sed Gembl. *utrumque.* Lego *utrimque.* Manifesta sententia, et probat B.

53. *Et in ponto cæli Fortuna natabit.* Adulatorium, ut I, 914: « et in ponto quæsitus rector Olympi ».

54. *Ducuntur in æquore. Ducibus* et *ducuntur* ibi offendunt. Forte *discurrunt æquore classes.* Ed.

57. *Sed summa lateris.* Firmicus designavit: « In Arietis sinistro latere, in parte scilicet decima oritur Orion ». Ex quibus adparet eum sensisse Navim non in quarta parte oriri, sed in decima. Hinc Bentl. habet *Sed decima.* Nam de quarta parte egit v. 39, et de decima quinta v. 67. Inter IV et XV recte venit decima. — *Sinistri.* A sinistra parte Arietis in quarto gradu oriente Orione, nascentur homines solertes, solliciti, urbanis togæ officiis et salutationibus matutinis occupati.

58. *De parte sinistri.* Quarta scilicet parte Arietis, sed a læva, ut in eadem quarta Navis, sed a dextra. En iterum astrologiam Manilianam. Sæculo Manilii in finitore barbarico oriebatur a XXIII Tauri ad XIX Cancri, horis duabus.

59. *Cælumque trahente.* Hoc dicit

Ementita diem nigras nox contrahit alas,
Solertes animos, velocia corpora finget,
Atque agilem officio mentem, curasque per omnes
Indelassato properantia corda vigore.
Instar erit populi, totaque habitabit in urbe
Limina pervolitans, unumque per omnia verbum
Mane salutandi portans communis amicus.
  Sed quum se terris Aries ter quinque peractis
Partibus extollit, primum juga tollit ab undis
Heniochus, clivoque rotas convellit ab imo,
Qua gelidus Boreas Aquilonibus instat acutis.
Ille dabit proprium studium cæloque retentans,
Quas prius in terris agitator amaverat, artes:
Stare levi curru moderantem quattuor ora

propter magnum cæli spatium, quod obtinet: de quo in sphæra satis.

64. *Totaque habitabit in urbe.* Simile de mercatore proximo libro: « totius et esse Orbis in hospitio ».

65. *Unumque per omnia verbum.* Hoc est, *ave.*

67. *Sed quum se terris Aries ter quinque peractis.* Ait in xv gradu Arietis Aurigam supra finitorem barbaricum tolli. Sæculo Manilii oriebatur a prima Arietis ad xx Tauri, hor. 2, 45'. Prima stella, borealissima in capite: ultima, quæ in dextro pede. — *Sed quum se terris.* Auriga oriente aurigæ nascuntur, equorum domitores, curulium Circensium agitatores, desultores, armaturis militaribus sese exercentes, cursores. Bellerophontis genitura. Salmonei genitura.

69. *Clivoque rotas convellit ab imo.* Quia oriens adscendit, non solum dixit eum adscendere, sed, quia auriga, convellere rotas ex clivo. Nam aurigæ plaustra aut carros per clivum nitentes solent posteriores rotas nixu adjuvare. Quod Manilius dixit ab imo clivo rotas vellere, tamquam hærerent rotæ, ni adjuvaretur. Alfenus Jurisconsultus dixit sublevare plaustrum in clivo Capitolino, ad legem Aquiliam, l. 52, § in clivo.

70. *Qua gelidus Boreas Aquilonibus instat acutis.* Firmicus « Aquilonem versus ». Sed quid est Borean instare Aquilonibus? Idem profecto, quod Istrum instare Danubio, Eridanum Pado. Nam Boreas est Aquilo. Effundebat versus hic Noster, neque ad incudem revocabat. Excusari non potest, ut illud apud Lucretium: « Matuta Auroram portat ». Nam est, ut illud: « leni fluit amne Garumna ».

71. *Cæloque retentans.* Miror Scalig. dedisse *retentas*, quum in prius editis reperisset *retentans.* Ov. Trist. V, 2: « At pulo si demens studium fatale retentem ». Ed.

Spumigeris frenata lupis, et flectere equorum
Prævalidas vires, ac torto stringere gyro :
Aut quum laxato fugerunt cardine claustra,
Exagitare feros, pronumque anteire volantes,
Vixque rotis levibus summum contingere campum,
Vincentem pedibus ventos: vel prima tenentem
Agmina, in obliquum currus agitare malignos,
Obstantemque mora totum perludere Circum:
Vel medium turbæ, nunc dextros ire per orbes
Fidentem campo; nunc meta currere acuta,
Spemque sub extremo dubiam suspendere casu.
Necnon alterno desultor sidere dorso

76. *Aut quum laxato fugerunt cardine claustra.* Laxatis carceribus. B. *fregerunt.* Vid. Virgil. Æn. VII, 621. — *Vincentem pedibus ventos.* Quis usus pedum stanti in curru? Vincit sane ventos pedibus equorum, non suis. At Latinitas postulat intelligi de ipsius aurigæ pedibus. Suspecta lectio. Fortasse : « Vincentem peuitus ventos ».

81. *Totum præcludere Circum.* Gembl. *percludere.* Legit Scaliger *perludere*, ludere per totum Circum. Sed omnia postulant *præcludere.*—Quum auriga prima agmina teneret, artis erat currus in obliquum agere, ut obstaret sequentibus, et ita Circum *præcludere.* Ed.

82. *Nunc dextros ire per orbes.* Dextratio in Circensibus curriculis, nimirum exterior flexus.

83. *Nunc meta currere acuta.* Sinistratio, interior flexus.

84. *Suspendere casu.* Non placet *casu*, quum agatur de arte; forte *calce.* Calx est meta, finis curriculi. Lucret. VI, 91 : « Tu mihi supremæ præscriptæ ad candida calcis ». Aliis est masculino genere. Ed.

85. *Nec non alterno desultor.* Desultor a veteri magistro redditur, qui jungit equos, Combinator. Desultores in Circo præmittebantur missuum nuntiandorum. Cassiodorus : « Equi desultorii, per quos Circensium ministri missus denuntiant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur ». Hyginus in Mythologico: « unde etiam Romani sumunt institutum, quum desultorem mittunt. Unus duos equos habet, pileum in capite: equo in equum transilit ». Recte ergo Combinatores sunt desultores. Juncti enim erant equi : ab equorum alterutro in alterum corpus transmittebant. Sed illi equi poterant etiam non esse juncti. Firmicus hunc locum transferens in suum librum, ut solet, *quadrupedum* interpretatur quadrigarum. « Aut, inquit, qui saltu quadrigas transeat ». Quod si verum erat, accipiendum fuerit de genere aurigarum, qui dicebantur Vertumni. Propert. IV, 2, 35: « Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus, Trajicit alterno qui leve pondus equo ».

Quadrupedum, et stabiles poterit defigere plantas;
Per quos vadit equos, ludens per terga volantum:
Aut solo vectatus equo, nunc arma movebit,

Atqui vertumnum non intelligit Manilius, sed potius simplicem desultorem equorum, cui opponit equitem singulatorem, quum ait: « Aut solo vectatus equo ». Hujusmodi equitum meminit Isidorus lib. XVIII, cap. 35. Sed Julius Firmicus, qui totam suam sphæram barbaricam sine ulla immutatione a Manilio mutuatur, in ipsius Manilii mente reddenda non semel lapsus est.

86. *Et stabiles poterit defigere plantas.* Talem describit Clœlium Silius lib. X, 467: « Milite non illo quisquam felicius acri Insultarat equo, vel si resupina citato Projectus dorso ferretur membra, vel idem Si nudo staret tergo, dum rapta volucris Transigeret cursu sonipes certamina campi ». Stantes in equo effusis in cursum habenis admisso et nos vidimus aliquando. Sed et Silius singulari equo modo insidentem, modo per ejus terga incedentem, inducit. At noster Manilius per equos combinatos, Homerus quoque per conquaternatos desultasse Veteres canit, Iliad. XV. Desultorem intelligit Valerius Flaccus, VI, 161: « comitumque celer mutator equorum Mœsus, et ingentis frenator Sarmata conti ». Comites equos vocat junctos. Ἀμίππους quidam desultores interpretantur. Nos rem similem, non eamdem scimus fuisse: similem quidem, quatenus ἅμιπποι erant equi juncti: dissimilem, quod in altero auriga insidebat, ex altero autem miles armatus pugnabat. — *Et stabiles poterit defigere plantas.* Vidimus Turcas, qui non solum equitantes subito surgentes equo plantis insisterent, sed etiam ita stantes jacularentur. Vide Itinerarium Martini nobilis *a Baumgarten*, lib. primo, cap. 20.

87. *Per quos vadit equos.* Vett. tres *Per quos labit*; unde B. *Perque volabit equos.* Scal. *ludet* pro *ludens*, sed cum mala interpunctione. Nos veterem revocamus. Vid. not. seq.

88. *Nunc arma movebit.* Firmicus: « Atque adprime vectus equo militares armaturas exerceat ». Et male mentem Manilii adsequutus est, qui nihil tale sentit, et armatura quid esset, ignoravit, quum ait ex equo armaturas militares exerceri. Decepit hominem vitiosa interpunctio, quam etiam vulgatæ editiones retinuerunt: « ludet per terga volantum, Aut solo vectatus equo nunc arma movebit ». Atqui Manilius scripserat: « Aut solo vectatus equo: nunc ». Aut, inquit, desultor erit, aut singulator, h. e. sidet alternis dorsis duorum equorum; et ludet aut duorum, aut unius dorso. Est autem ludicrum illud, quo se exercet nobilitas hodierna, cujus tirocinia et rudimenta prius periclitatur in equuleo ligneo. Armatura autem, seu armorum exercitatio, a campidoctore in castris docebatur diebus festis. Vegetius libro primo, cap. 13: Ejus numeros omnes et gestus studiose ediscebant milites, si quando vacabat illis a muneribus castrensibus. Suetonius Augusto: « Exercitationes campestres equorum et armorum statim post bella

Nunc licet in longo per cursus præmia Circo,
Quidquid de tali studio formatur, habebit.
Hinc mihi Salmoneus, qui cælum imitatur in orbe
Pontibus impositis, missisque per æra quadrigis
Expressisse sonum mundi sibi visus, et ipsum
Admovisse Jovem terris de fulmine fingit,
Sensit et immissos ignes, super ipse sequutus
Morte Jovem didicit, generatus possit haberi.
Hoc genitum credas de sidere Bellerophontem
Imposuisse viam mundo per signa volantem:
Cui cælum campus fuerat, terræque, fretumque
Sub pedibus: non ulla tulit vestigia campus.
Hæc erit Heniochi surgens tibi forma cavenda.
  Quumque decem partes Aries duplicaverit ortus,

civilia omisit ». Vides distingui armaturas ab equestribus exercitationibus contra Firmici sententiam. Armaturæ etiam dicebantur, quum armati currebant.

89. *Nunc licet in longo...præmia.* B. reponit *Nunc ciet... prælia.* Heniochus astrum surgens habebit, dabit, quidquid ad aurigandi studium pertinet. *Ciet prælia*, ut Virg. in ludis Trojanis, Æn. V, 586: « pugnæque cient simulacra sub armis ». Ed.

91. *Hinc mihi Salmoneus.* Contaminatissimum locum hunc egregie restituit Gemblacensis. Hyperbaton, sententia tamen aperta. Hinc Salmoneus possit videri generatus, qui cælum in terra imitatur, et missis curribus per pontes æneos putabat se admovisse Jovem fulminantem terris, sed malo suo, quippe veros ignes Jovis sensit, et sequutus ipsum verum fulmen didicit et expertus est Jovem. — B. *qui cælum imitatus in urbe*, ex Vossiano. Ed.

92. *Pontibus impositis.* Impositis et missis quadrigis per pontes et æra. Unum in duobus, i. e. pontes æneos. Cf. Virg. Æn. VI, 585 sqq.

94. *De fulmine fingit.* Hæc dura et obscura. B. emendat *admovisse Jovem terris;* male *fulmina fingi Sensit et immissos.* Pro *immissos* Scalig. male *immensos*, ut demonstrat Gronov. Obs. III, 15.

100. *Non ulla tulit vestigia campus.* Voss. *cursus*, alii *cursu.* B. *cursor*, i. e. cursor nulla vestigia campo impressit. Ed.

102. *Quumque decem partes.* In Arietis parte vicesima oriuntur Hœdi. Oriuntur cum Capra et humero Aurigæ. Vide supra. Lascivos creabunt, petulcos, illecebrosos, amoribus ac luxui deditos, sola libidine fortes. Caprarios etiam efficient, ac fistulatores. — *Duplicaverit ortus.* B. *ortu.* Sed nihil mutandum: intell. *Aries ortus.*

Incipient Hædi tremulum producere mentum,
Hirtaque tum demum terris promittere terga,
Qua dexter Boreas spirat : ne crede severæ
Frontis opus signo, strictos nec crede Catones,
Aut Brutum, atque parem Torquatum, et Horatia facta.
Majus onus signo est, Hædis nec tanta petulcis
Conveniunt : levibus gaudent, lascivaque signant
Pectora, et in lusus agiles, agilemque vigorem

105. *Qua dexter Boreas spirat.* Firmicus : *Aquilonem versus oritur Hædus.* Ita ad verbum Manilium suum interpretatur. — *Ne crede severæ Frontis opus signo : strictos nec crede Catones.* Hoc est, neque adeo putes severos ac graves sub hoc sidere promitti. Hoc Hædorum petulantiæ non convenit. Major et gravior res est, quam ut ei signo adtribuatur. Itaque quod dicit : « ne crede severæ Frontis opus signo », est, ne adtribue, neve adsigna severitatem illi sideri. Sic in fine Apotelesmatum : « Ne dubites homini divinos credere visus » : hoc est, adtribuere. Infra in apotelesmatis Libræ : « Teve Philocteta, cui malim credere parti ? » Ibi quoque est adtribuere. At Firmicus vulgarem hujus verbi notionem sequutus joculari errore egregiam sententiam depravavit. Scribit enim : « Hoc sidere quicumque nati fuerint, aliud ex fronte pollicentur, aliud latenter in moribus celant. Sunt enim austera facie, prolixa barba, obstinata fronte, ita ut Catonis prorsus institutum imitari videantur ; sed totum hoc fucato mentiuntur adfectu ». In quibus paraphrastæ Maniliani verbis vides τὸ *credere* vulgari notione acceptum. Imperite τὸ *ne crede severæ Frontis opus signo* putavit idem esse, ac si dixisset : Noli credere severæ fronti; vel « Fronti nulla fides ».

106. *Strictos nec crede Catones.* Alibi : « et strictas pondere mentes ». Firmicus libro V, cap. 2 : « facit strictos, avaros, sordidos ». — *Frontis opus*, inquit B. non *ipsam frontem. Opus* igitur Torquati filius cervice abscisa : opus Horatii, soror pectore perfosso. At si *Catones* legas, non *opus frontis*, sed ipsam tantum frontem habebis. Legit igitur : *strictas in colla secures.* Claudian. in Rufin. I, 249 : « juvenum rorantia colla Ante patrum vultus stricta cecidere securi ». Ed.

107. *Atque parem Torquatum*, ut etiam Gembl. et nos in priore editione. Nota sunt Manliana imperia e Livio, lib. IV, c. 29, et l. VIII, c. 7. Sed omnes libb. habent *Abruptamque patri*, cui scripturæ propius *Abreptumque patri* Torquatum. Abreptum patri ad cædem : ut Terent. Andr. IV, 47 : « Hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi ». Horatia facta, ut Propert. III, 2, de Ennio : « Et cecinit Curios fratres et Horatia pila ». Sic et Livius Horatia pila memorat, lib. I, 26. Ed.

108. *Majus onus signo est.* Illud onus, inquit, est impar molli et lascivo signo.

Desudant : vario ducunt in amore juventam.
In vulnus numquam virtus, sed sæpe libido
Impellit, turpisque emitur vel morte voluptas.
Et minimum cecidisse malum est, sed crimine victum.
Necnon et cultus pecorum nascentibus addunt,
Pastoremque suum generant, cui fistula collo
Hæreat, et voces alterna per oscula ducat.
Sed quum bis denas augebit septima partes
Lanigeri surgunt Hyades; quo tempore natis
Nulla quies placet : in nullo sunt otia fructu;
Sed populum, turbamque petunt, rerumque tumultus.
Seditio clamorque juvat, Gracchosque tenentes
Rostra volunt, montemque Sacrum; rarosque Quirites
Pacis : bella probant, curæque alimenta ministrant.

112. *In vulnus numquam virtus.* Plane est, quod ille ait : « solaque libidine fortis ». Quo acrotelentio hæc et sequentia explicantur. Nam ne hæc quidem adsequitur Firmicus, quum ita interpretatur : « qui omne pugnarum periculum perhorrescant ». Atqui Manilius vult contra eos audaces esse, non utique ullo virtutis consilio, sed libidinis impetu. Quos virtus non potest, eos fortes fecerit libido.

116. *Pastoremque suum generant.* Hædi non possunt dicere pastorem suum, nisi caprarium. Inepte igitur Firmicus ovium pastores intellexit. Neque enim magis pastorem hic pro opilione potes accipere, quam hædos pro ovibus.

118. *Sed quum bis denas.* In vicesima septima parte Arietis oriuntur Suculæ; quod est falsum. Tempore Manilii oriebantur supra finitorem barbaricum cum XVII Tauri. Ergo orientes Suculæ inquietos, impigros, populariter seditiosos, turbulentos, pacis ac quietis inimicos efficient. Nascuntur etiam subulci. Eumæi, Ulyssis subulci, genitura. Hyadas ob τὸ ὕειν putant dictas Græci: quo adlusit satis obscure Val. Flacc. V, 416 : « Pleiades et madidis rorant e crinibus ignes ». Latini Suculas non a succo, ut inepte Nigidius : sed tamquam Hyades sint ὕες nomine dulciori.

123. *Rostra volunt montesque Sacros.* Gemblac. *montemque Sacrum.* Prius magis poeticum : hoc magis ad historiam. Unus enim est mons Sacer.

124. *Pacis bella probant.* Male distinguitur vulgo. Ita interpunge : « rarosque Quirites Pacis : bella probant ». Quirites *raros pacis* vocat seditiosos, ut quum in montem Sacrum secesserunt. — Malim *raros* absolute, quia ex urbe secesserant. Tum junge *Pacis bella*, ut I, 883, *funera pacis. Pacis bella* sunt seditiones. Pro *curæ*, *furtim*. Amant seditiones et eas furtim, clam, alunt.

Immundosve greges agitant per sordida rura:
Et fidum Laertiadæ genuere syboten.
Hos generant Hyades mores surgentibus astris.
Ultima Lanigeri quum pars excluditur orbi,
Quæ totum ostendit terris, atque eruit undis,
Olenie servans prægressos tollitur Hædos,
E gelido stellata polo, quæ dextera pars est,
Officio magni mater Jovis: illa Tonanti
Fundamenta dedit, pectusque implevit hiantis
Lacte suo, dedit et dignas ad fulmina vires.
Hinc timidæ mentes, tremebundaque corda creantur,

125. *Immundosque greges agitant.* Immundos greges suum. Nam quia Hyades dicuntur, hinc Suculæ etiam Latinis ab eadem origine. Unde vanitatis damnes metaphrasten Firmicum, qui scribit: « Facit enim hoc sidus bubulcos, opiliones, armentarios, oviumque pastores ». Sub uno nomine immundorum gregum hæc omnia pecudum genera comprehendit, mendose.

126. Olim *Et fidi interdum non alium genuere bootem.* Bootem sub hoc signo natum immi putabamus non futili argumento, quod Hyades sint in Tauro. Sed et hoc modo sub Pleiadibus nati fuerint etiam subulci. Monstrum lectionis præfert G. « Et fidunt nerciadu gennere syboeten ». Non magni moliminis est veram lectionem eruere: « Et fidum Laertadiæ genuere syboten ». Hinc, inquit, subulcus, qui Græce συβώτης, Eumæus natus est Ulyssi. — *Et fidum Laertiadæ genuere syboten.* Εὔμαιε συβῶτα quoties legitur in Odyssea? Vise locos. Suculæ igitur, quas Græci ὑάδας vocant, subulcos faciunt ortu suo, qui nascuntur. Immerito Ciceronis libertus Tiro Latinos veteres reprehendit, qui ὑάδας Suculas verterunt.

128. *Ultima Lanigeri quum pars excluditur orbi.* Fortasse *orti*, non *orbi*. Utrumque probum.

129. *Quæ totum ostendit terris atque eruit undis.* Firmicus: « In Arietis parte tricesima, quæ pars totum signum supra terram semper ostendit ». Plane fucum Manilii se prodit, quem ne semel nominare pensum habuerit. Capram ait cum XXX parte Arietis emergere. Sed eo sæculo potius cum XXIII Arietis supra finitorem barbaricum existebat.

133. *Fundamenta dedit.* Nihil muto. Videndum tamen, an in archetypo fuerit, *Fidalimenta*; unde *Fundamenta* factum. Hæc dubitatio ratione non caret: immo vera est. Nam ita legit Firmicus: « Exoritur Capra, quam fabulosi poetæ alimenta volunt Jovi infantulo præbuisse ». Hinc B. vult *Nutrimenta dedit. Fundamenta* non nisi de arce dicitur.

135. *Hinc timidæ mentes.* Gembl. *Hinc fidæ mentes.* Non probo.

Suspensa trepidis, levibusque obnoxia caussis.
His etiam ingenitur visendi ignota cupido,
Ut nova per, montesque, ruunt arbusta capellæ
Semper, et ulterius pascentes tendere gaudent.
Taurus in aversos præceps quum tollitur artus
Sexta parte sui, certantes lucis ad oras
Pleiadas ducit; quibus adspirantibus almam
In lucem eduntur Bacchi, Venerisque sequaces;
Perque dapes, mensamque super petulantia corda,

136. *Suspensa in trepidis.* Dele τὸ *in*. In tricesima igitur parte Arietis oriente Capella, timidi, suspensi, trepidi, solliciti, novarum rerum cupidi nascuntur. — Sed *trepidæ* et *levibus* secum pugnant. *Trepidæ* enim res sunt periculosæ. Horat. Carm. III, 2, 6: « Vitamque sub dio et trepidis agat In rebus ». Voss. habet *suspensas trepitus*, unde corrigendum *suspensa in strepitus*. Timidi enim est strepitu terreri. Virgil. Georg. III, 79: « nec vanos horret strepitus ». Claudian. in Cons. IV Honorii, vs. 280: « qui talia curat, inanes Horrebit strepitus, nulla non anxius hora ». Ed.

137. *His etiam ingenitur visendi ignota cupido.* Sic emendat Scalig. *Ingenitur*, nimis antiquum: melius *ingenita est*. B. vult *His tamen ingenita est: quamquam* meticulosi sint, tamen (quod mirum) visere cupiunt ignotas regiones. Ed.

138. *Ut nova per montesque.* Malim, « Ut nova per montes quærunt arbusta capellæ », et hoc rectius, et B. probat. His significat, eos, qui sub Capra nascentur, fore ejuscemodi, otiosos et vagantes.

140. *Taurus in aversos præceps ut tollitur ortus.* Taurus oritur posteriore sui parte, hoc est, in sua sectione. Ita Pleiades oriebantur tunc. Nam Virgiliarum sidus constituit sectionem Tauri, secundum Veteres, quamvis posteriores hoc correxerint. Propterea dicitur aversus oriri, quod non ex fronte, sed posteriore parte oriatur. Deinde præceps oritur, ut dicitur hic; quia nimirum inflexus situs est in Zodiaco: quo nomine πεπτηῶτα dicit Aratus, ut et alibi monemus.

141. *Sexta parte sui certantes lucis ad oras Pleiades ducit. Certantes*, lumine scilicet. Sic I, 304: « Septem illam stellæ certantes lumine signant ». Gemblacensis habebat *lucis odores*, unde B., conj. *certantes luce sorores*, non male. Firmic. « In Tauri sexta parte oriuntur Pleiades ». Aliud est, Taurus ducit Pleiades sexta parte sui, aliud Pleiades oriuntur sexta parte vel gradu Tauri. Nam sexta parte sui intelligit sextam partem signi, h. e. quinque partes de triginta. Sexta parte Tauri, h. e. sextum gradum. Germ. mentem Arati de Pleiadibus non attigit.

143. *In lucem eduntur.* Tauro sexta parte sui oriente exsistunt et Vergiliæ. Sed temporibus Manilianis oriebantur supra finitorem barbaricum cum XXIII parte Arietis. Earum ortu generantur vinosi,

Et sale mordaci duces quærentia risus.
Illis cura sui cultus, frontisque decoræ

mulierosi, petulantes, mendaces, expoliti, effeminati, pumicati, cirrati, cinædi.

145. *Et sale mordaci.* Sunt apinarii, quos *Plaisantins* vocant Galli mei. Volcatius in Vero scurras mimarios vocat, qui dicteria funditabant, qualia scurræ, h. e. actores et Urbicarii in mimis. Proprie dicterium verbum scenicum, ut alibi ostendimus ex Varrone : « Quibus sonant in Græcia dicteria, Qui fabularum collocant exordia ». Propterea δεικτήρια dicebantur, tamquam δείγματα quædam : quod essent specimen futuri cantus, aut modorum fidicinorum. Nam experimentum in antecessum dabant mimarii scurræ, et pantomimi, et citharistæ. Quum autem scurra urbicarius prodiret in scenam, is citharam aut psalterium adferebat, aliquid proludii loco præcenturus ad colligendum studia et favorem spectatorum. Varro ex illis, quæ jam citavimus : « Et orthophallica adtulit psalteria, Quibus sonant in Græcia dicteria, Qui fabularum collocant exordia ». Multa autem ridicularia in eo specimine funditabant, adeo ut dicteria in maledicæ procacitatis infamiam abierint. Quin et psalterii, de quo jam diximus, nomine probra intelligebantur. Paullus Sententiarum libro V, de injuriis: « Psalterium, quod vulgo dicitur canticum, in alterius infamiam compositum, et publice cantatum ». Canticum, dicterium, psalterium, tria hæc idem significant, et ab eadem historia prodierunt. Nam sæpe ab auctoribus cantica mimorum, et dicteria mimorum citantur : qua ratione et mimus quoque ipse cantor dicebatur. Horat. Art. Poet. 155 : « donec cantor, Vos plaudite, dicat ». Quod Turnebus primus indicavit. Cantator etiam. Illa dicteria si ante fabulam erant, dicebantur exordia, si in media fabula interponerentur, ἐμβόλα. Unde mulier embolaria Plinio, mimaria. Si in fine fabulæ, exodia. Unde apud auctores passim mentio Atellanorum exodiorum. Juvenalis, Sat. VI, 71 : « Urbicus exodio risum movet Atellanæ ». Firmicus libro VI exitus fabularum vocat : « Cum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, et qui veterum fabularum exitus in scenis sæpe saltantes imitentur ». Porro dicterium perperam a dicendo Varro. Nam ne Latinum crederet, potuit eum movere character et flexus, item natio ; unde, etiam teste ipso, in Latinum venit. Nam ipsemet in Græcia hoc fieri dicit : quod quidem verum est. Primus enim Augustus pantomimos e Græcia in scenam Romanam evocavit. At dicteria ex eadem Græcia petita jamdudum in ea scena produci solebant. Claudianus scurram mimarium, sive actorem urbicum, item et pantomimum pulchre hisce versibus designavit : « Nec molles egeant nota dulcedine ludi, Qui nutu manibusque loquax ». Nam prior est scurra mimarius ; alter pantomimus. Hic vero Manilius non quidem mimarios intelligit, sed urbanos tantum, quos scurras vocant, ut ait Plautus.

Semper erit : tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, et vertice denso
Fingere, et adpositis caput emutare capillis,
Pumicibusque cavis horrentia membra polire,
Atque odisse virum, sterilesque optare lacertos.
Feminseæ vestes, nec in usum tegmina plantis,

147. *Tortos in fluctum ponere crines.* Undantes crines calamistratos intelligit, recte, inquam. Alii, *in flexum ponere crines.* Hanc lectionem videtur agnoscere Firmicus: « quorum inflexi crines torqueantur ». Nobis magis placuit Gemblacensis lectio.

148. *Aut undis revocare.* Ineptissime. Demissi crines sunt undantes, et in fluctum positi : quomodo contrario modo, hoc est, revocati, possunt esse undantes ? Non satis absurditas manifesta ? Non solum in hoc auctore, sed in omnibus manuscriptis non raro hæc commutant, et alternant *vincla*, *unda;* ut jam vidimus supra. Sic infra *Sanguineis vinclis* pro *undis* editum fuerat. Profecto et hic quoque legendum *vinclis.* Tæniis aut vittis crines revocare tam effeminatorum, quam in fluctum ponere. Utrumque enim feminæ faciunt : « tortos in fluctum ponere crines ». Firmicus : « quorum inflexi crines torqueantur semper in ostro », id est, purpureis vinclis aut vittis. — Quispiam etiam suspicari posset legendum, *Aut vinnis revocare.* Nam *vinnus* cincinnus dicebatur auctore Isidoro. Prior tamen lectio vera est.

149. *Et adpositis caput.* Adpositi capilli, falsi, suppositititii. Firmicus, « nec non adpositis alienis crinibus fictam et compositam pulchritudinem mentiantur ».

151. *Sterilesque optare lacertos.* Volsos intelligit, vel potius unguento, ne cresceret pilus, resinatos. Martialis : « Nullusque vivat in tuo pilus crure ». Intelligit ergo lævigatos, pice ac psilothro curatos. Capitolinus in Pertinace : « Vasa Samia calfactandæ resinæ, ac pici, divellendis hominibus, ac lævigandis ». Tales ministros Glabratores et Glabrarios vocabant, qui etiam, si Diis placet, in officio domus Augustæ. Vetus inscriptio : DIOPHANTVS. TI. CAESARIS. ORNATOR. GLABR. id est, ornator glabrarius. Adde ex Glossis σμήκτης, *Pumicator.* Miratus sum apud Martialem non solum corpus expilari, sed etiam caput ipsum, lib. III, LXXIV, 1 : « Psilothro faciemque levas et dropace calvum. Numquid tonsorem, Gargiliane, times? » Atqui decalvari in probris erat. Sequitur : « Quid faciem tingis ? » Ridicule : veteres libri : « Quid facient ungues? » Nam sequitur: « nam certe non potes illos Resina, Veneto nec resecare luto ». Si, inquit, tonsorem metuis, ut capiti tondendo operam ei dare nolis; saltem ungues dabis resecandos, quos non potes ullo dropace aut tali unguento tollere, ut pilos. — Vide quæ ad hunc Mart. locum notata sunt in nost. edit. t. I, p. 34. Ed.

152. *Femineæ vestes nec in usum tegmina plantis.* Locus depravatus.

Sed speciem, fictique placent ad mollia gressus.
Naturæ pudet, atque habitat sub pectore cæca
Ambitio, et morbum virtutis nomine jactant.
Semper amare parum est : cupient et amare videri.
Jam vero Geminis fraterna ferentibus astra
In cælum, summoque natantibus æquore ponti,
Septima pars Leporem tollit, quo sidere natis
Vix alas Natura negat volucresque meatus.
Tantus erit per membra vigor referentia ventos.
Ille prius victor stadio, quam missus, abibit.

Volebat Scal. « Femineæ vestes nec non sunt tegmina plantis ». Ita Statius VII Theb. « Brachiaque in manicis et pietæ vincula plantæ ». Totum huoe locum adumbrant ea Senecæ lib. VII Qoæst. Nat. « Qoidquid est boni moris, exstinguimus levitate et politura corporum. Muliebres munditias antecessimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus. Tenero et molli ingressu suspendimus gradum : non ambulamus, sed incedimus ». Diceres a nostro mutuatum. — Sed cor vitio vertat tegmina plantis? An soli cinædi calceis utebantur? Melios B. *nec in usum tegmina... sed speciem*. Sic II, 822 : « Effectu minor in speciem, sed major in usom ». Ed.— Sed et Petronius idem : « Scorta placent, fractique enervi corpore gressus, et laxi crines, et tot nova nomina vestis » ; unde malim *fractique placent*. D. Hieronymus : « qui gradum mollius incedendo frangunt ». Ed.

154. *Naturæ pudet*. Recte. Firmicus : « Eos pœnitebit, quod viri nati sunt ».

155. *Et morbum virtutis nomine jactant*. Accedit metaphrastes Firmicus : « Hos tamen sic ambitio sollicitat : qoem morbum sic adpetunt, ut hinc putent virtutem sibi, et maximum gaodium felicitatis accedere ». Satis his castigator *vitium*, quod vulgata lectio effert pro *morbum*. Quod morbus in malam partem accipiatur, nemo nascit. Claod. Carm. LXXVI (epigr. 26), 5 : « Quod torpem pateris jam cano podice morbum ». Firmicus refert ad ambitiooem : neque illud male.

156. *Semper amare parum est : cupient et amare videri*. Non solum amatores erunt, sed et tales credi volent. Nam Firmicus male : « Hi præterea semper amabunt, aut se amare simulabunt ». Non enim ad sensum Manilii.

157. *Jam vero Geminis*. A 14 Cancri ad 27 Gemioorum, in finitore barbarico oriebatur Lepus temporibus Manilianis, quem tameo ipse Manilius ait oriri eum septima parte Geminorum. Oriente Lepore nascontur velocissimæ pernicitatis homines, stadiodromi, pyctomachi, pililudii, et quibus pedes vicem manuum sint. Efficiet et vigilaces ac diligentes, otio deditos, voluptarios.

Ille cito monitu rigidos eludere cæstus;
Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas:
Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus pensare manus, et ludere saltu,
Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis;
Illepotens turba perfundere membra pilarum,
Per totumque vagas corpus disponere palmas,
Ut teneat tantos orbes, sibique ipse reludat,
Et velut edoctos jubeat volitare per ipsum.

163. *Ille cito monitu*, id est, animadversione: quod cito animadvertit imminentes ictus cæstuum et declinat. Sed valde placebat prior conjectura *cito motu*, ut agilitas designetur; et sic habent Voss. et B. recte. Virg. de Darete et Entello, Æneid. lib. V, vs. 430: « Ille pedum melior motu ». Ed. — *Eludere cæstus*, etc. Non sine cruore cæstibus dimicabatur. Qui incruento pugilatu magis delectabatur, sacculis tomento farctis manus muniebant, cæstuum vicem. In vita Imp. Galieni: «sacculis non veritate pugilantes ».

164. *Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas. Levis exire, levis mittere*, ut *indocilis pauperiem pati*. Exire palmas adversarii dicitur, qui declinatione corporis evitat. Contra mittere palmas, infligere palmas in pugilatu. Exire ictum Latinum est. Exire sanguinem dixit Lucretius. Exire hominem Solinus. — *Nunc exire levis*. Pyctomachos creat. Firmicus vocat pyctomacharios. *Pyctale certamen* pro pugilatu bis dixit Servius enarrator Virgilii.

165. *Ille pilam celeri fugientem reddere planta*. Habes apud Homerum pila ludentes saltare, et pedibus pilam reddere; quod hic dicitur ludere saltu.

166. *Et ludere saltu*. B. *et ludere folle*. Martial. XIV, 46: « Folle decet pueros ludere, folle senes ». Ed.

168. *Ille potens turba perfundere membra pilarum*. Ille potens perfundere membra turba pilarum. Correptas utrasque manu pilas, quot poterat, a tergo altera manu excipiebat, quas ab ante altera projecerat: contra ab ante accipiebat, quas a tergo projecerat: et ita per totum corpus pilis ludebat, tamquam duo essent, qui datatim pila luderent. Hoc ait Scaliger Turcarum pililudios dexteritate mira facere, quod hic innuit Manilius. Hi sunt, quos vocabant pililudios.

169. *Per totumque vagas corpus disponere palmas*. Valde differunt qui pila ludunt, et qui pililudii Firmico dicuntur. Pililudios jam descripsit. Pila ludentes sunt, qui pila datatim ludunt, quos pilicrepos vocat Seneca.

170. *Ut teneat tantos orbes*. *Tantos orbes*, tot orbes, tot pilas. Tertullian. Apologet. « et sunt tanti, quanti denotamur », id est, tot, quot denotamur. Terentianus: « Maurus item quantos potui cognoscere

Invigilat somnis : curas industria vincit.
Otia per varios exercet dulcia lusus.
Nunc Cancro vicina canam, cui parte sinistra
Consurgunt Jugulæ : quibus adspirantibus orti
Te, Meleagre, colunt flammis habitantibus ustum,
Atque Atalanteos conatum ferre labores,
Reddentemque tuæ per mortem munera matri;
Cujus et ante necem paulatim vita sepulta est.
Et Calydonea bellantem rupe puellam,

Graios? » id est, quot Graios. — *Sibique ipse reludat*, ex Gemblac. Nam pilas per totum corpus jacit et recipit, tamquam sibi ludat datatim et reludat.

172. *Invigilat somnis*. Huet. explicat, quia lepores apertis oculis dormiunt. Sed hoc est *vigilat in somnis*, quod multum abest. Quid autem industria curas vincit? Immo auget. Mutandus forte verborum ordo: « Invigilat curis somnus industria vincit». Silius, X, 332: « Sed mens invigilat curis ». *Vincit somnos*, i. e. pellit. Ovid. Met. I, 685: « Ille tamen pugnat molles evincere somnos ». Ed.

174. *Nunc Cancro vicina canam*. Asellis orientibus nati venatui dediti erunt, retibus feras capient, aut foveis decipient, aut ferro sectabuntur. Alatores, pressores, vestigatores erunt. Genituræ Meleagri et Atalantæ. Piscationibus etiam operam dabunt.

175. *Consurgunt Jugulæ*. Jugulas vocat, quos alii Asellos in sidere Cancri. Nam ita etiam Firmicus paraphrastes interpretatur. Nusquam memini me legere Jugulas pro Asellis Cancri. Sed Orion vocatur Jugula auctore Varrone, Glossario et scholiaste Germanici, apud quem male *Incola* pro Jugola. Itaque Bonincontrium decepit Papias suus, vel potius ipsemet seipsum, qui apud Papiam Orionem jugulam vocatum putat esse sidus, de quo hic agitur. Asellus ait oriri in prima parte Cancri in finitore barbarico. Verius dixisset in XIII Cancri.

176. *Flammis habitantibus*. Quid? An instar Caci, flammas sibi ingenitas habebat? Reinesius conjecit *latitantibus*. Sed certior Gronovii lectio Observ. II, 11, *absentibus*. Ovid. Ib. 603 : « Natus ut Althæa flammis absentibus arsit ».

177. Hunc vs. qui in membranis est 179, huc adduxit Scal. merito quidem si *Atalanteos* admittatur. Sed omnes habent *Atlanteos :* de Hercule intellige. Nam et Hercules venator. Claud. IV Honorii, 534: « Alcides pharetras Dircæaque tela solebat Prætentare feris ». Ed.

173. *Reddentem munera matri*, i. e. vitam, animam. Sed Reinesius ingeniose *post mortem mutua matri*, i. e. reddentem vices matri post tuam mortem. Quippe ea, sera pœnitentia, ut Ovidius narrat, se gladio transegit. Met. VIII, 530. Ed.

180. *Et Calydonea*, recte. Nam Atalantam hoc sidere natam vult Firmicus: « Sed et femina, si sic

Vincentemque viros, et, quam potuisse videri
Virgine majus erat, sternentem vulnere primo;
Quamque erat Actæon silvis imitandus, et ante
Quam canibus nova præda fuit : ducuntur et ipsi
Retibus, et claudunt campos formidine mortis,
Mendacesque parant foveas, laqueosque tenaces,
Currentesque feras pedicarum compede nectunt,
Aut canibus ferrove necant, prædasque reportant.
Sunt quibus in ponto studium est cepisse ferarum
Diversas facies, et cæco mersa profundo
Sternere litoreis monstrorum corpora arenis,
Horrendumque fretis in bella lacessere pontum,
Et colare vagos inductis retibus amnes,
Ac per nulla sequi dubitant vestigia prædas.
Luxuriæ quia terra parum, fastidiet orbem
Venter, et ipse gulam Nereus ex æquore pascet.
At Procyon oriens, quum jam vicesima Cancri
Septimaque ex undis pars sese emergit in astra,

nata fuerit, viraginis animo hæc eadem similibus rationibus persequetur ».

181. *Quam potuisse videri.* Voss. et Gronov. *videre*, rectius. Quam feram, belluam, etiam videre et contueri supra virginis animos erat. Sic infra, vs. 611, de Ceto bellua : « Tunc quoque terribilis nec virginis ore videnda ». Ed.

182. *Virgine majus erat.* Quam videri sternentem viros erat majus virgine. Mirum genus loquendi. Cujus species vincentis viros erat supra sexum muliebrem, etiam supra Actæonem ipsum, vel tunc, quum silvis formidandus erat, antequam a canibus devoraretur.

183. *Quamque erat.* Gronov. *Quaque erit.* B. *Quaque erat.* Sententia totius loci est, Colunt Meleagrum, Herculem, Atalantam, quin et Actæonem, quatenus erat imitandus.

184. *Quamque erat Actæon silvis imitandus.* Τὸ *imitandus* est nulli rei. Scribo *mirandus*, id est, tunc quum formidolosus esset silvis.

185. *Formidine mortis.* Lips. et Voss. *montis*, unde B. *claudunt vastos formidine montes.*

189. *In ponto.* Sed IV, 274 : « His erit in pontum studium ». — *Ferarum*, piscium. Quis hoc umquam vidit? Forte *natantum.*

193. *Et colare vagos.* Etiam cola Ausonio inter supellectilem piscatoriam : « Colaque et insutos terrenis vermibus hamos ».

197. *Quum jam vicesima Cancri Septimaque ex undis.* Castiganda

Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuit : catulos nutrire sagaces,
Et genus a proavis, mores numerare per artes,
Retiaque, et valida venabula cuspide fixa,
Lentaque contextis formare hastilia nodis,
Et quodcumque solet venandi poscere cura
In proprios fabricare dabit venalia quæstus.
Quum vero in vastos surgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,

etiam paraphrasis Firmici : « In Cancri parte vicesima oritur Argion ». Lege : « In Cancri parte vicesima septima oritur Procyon ». Dictus autem Procyon, quod ante Canem majorem oriatur, constitutus juxta lacteum circulum : unde Plinio Antecanis dicitur. Ciceroni Antecanes ἀρχαϊκῶς· « Antecanes, Graio Procyon qui nomine fertur ». Oriebatur sæculo Manilii a XXX parte Geminorum ad quintam Cancri. Quare errat Manilius. Nam id potius sæculo nostro convenerit, quam illi prisco. Oriente Antecane qui nascentur, erunt non quidem venatores, sed arma venatoribus parabunt, catulos nutrient, prolem et genus canum peritissime referent; cujusmodi fuisse dicitur P. Virgilius Maro.

199. *Venatus non ille quidem.* Firmicus ne uno quidem verbo plus aut minus : « Erunt quidem ab omni studio separati : verum arma venatoribus aut facient aut parabunt, ut retia, venabula ».

201. *Mores numerare per artes.* Vett. quatuor *per urbes*, quod Gron. adserit et explicat *per patrias.* ED.

206. *Quum vero in vastos surgit Nem. hiatus.* Primam partem Leonis intelligit. Nam os in ejus asterismo prima pars ejus est. Firmicus quoque in paraphrasi horum primam partem Leonis interpretatur. Melius dixisset Canem principio Cancri oriri in finitore barbarico. Sæculo Manilii oriebatur in VII Cancri. Intelligo autem cum Firmico stellam Sirium nomine in maxilla Canis, quæ est, quam proprie Caniculam Romani vocabant. Plinius dubitat, an ea, quæ Procyon dicitur, Canicula sit. Sed alia est. Et Columella distinguit recte Procyona a Canicula. Nam Procyon est, quem Vitruvius minusculum canem vocat. Quis ignorat quantum intersit inter Caniculam et Antecanem? tota constellatio dicitur Canis : Sirius autem in maxilla, aut ore Canis, dicitur Canicula. Itaque non immerito dubitat Plinius, an Antecanem vocare debeat Caniculam, quum constaret Canem alium esse ab Antecane. — Male B. *Quum surget.*

207. *Latratque Canicula flammas.* Qui igitur oriente Canicula nascuntur, erunt furiosi, violenti, iracundi, omniumque in odio et metu erunt : præfestinato loquentes, faciles moveri, rixosi, rabidi, temulenti. Feris subsistent, et eas venabulo collocabunt. Scal. *flammans.*

Et rabit igne suo, geminatque incendia Solis :
Qua subdente facem terris, radiosque movente,
Dimicat in cineres orbis, fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunus in undis,
Et viridis nemori sanguis decedit et herbis.
Cuncta peregrinos orbes animalia quærunt;
Atque eget alterius mundus : natura suismet
Ægrotat morbis nimios obsessa per æstus,
Inque rogo vivit : tantus per sidera fervor
Funditur, atque uno ceu sint in lumine cuncta.
Hæc ubi se ponto per pronas extulit oras,
Nascentem si quem pelagi perstrinxerit unda,
Effrenos animos, violentaque pectora finget,
Irarumque dabit fluctus, odiumque, metumque
Totius vulgi : præcurrunt verba loquentes :

208. *Et rabit*, ut jam monuimus. Idem error infra : *Lingua rapit*, pro, *Lingua rabit*. Canicula rabit, ut *insana Canicula* Satirico.

210. *Fatumque supremum Sortitur*. Nam ardores Caniculares iram Deorum, quasi quamdam vim majorem vocat Valerius Flaccus : eoque nomine ait illud astrum a Calabris propitiari. Ita enim libro I, 682 : « sic quum stabulis et messibus ingens Ira Deum, et Calabri populator Sirius arvi Incubuit, coit agrestum manus inscia priscum In nemus, et miseris dictat pia vota sacerdos ». Sed et Aristæus Apollinis et Cyrenes filius aram Jovi imbrifero in insula Ceo statuit, et ipsi quoque Sirio astro, ut Apollonius ait libro II, hostias immolavit. Unde factum, ut in Ceo insula per XL dies, quot scilicet astri illius incendia vigent, Etesiæ flare soleant. Sed Sirium a Ceis observari solitum ex Ciceronis primo de divinatione alibi notamus : quæ est lex Aristæi.

212. *Et viridis nemori sanguis decedit. Sanguis* succus. Arborum succus ille vulgo dicitur sapa (*sève*), et sane ita vocatur a Palladio. De intensionibus æstuum in diebus, qui dicuntur Caniculares, vide Gemini eruditissimam disputationem, qui æstuum illorum caussam non Caniculæ tribuit, sed aliis rationibus nititur.

217. *Ceu sint in lumine*. B. *Aque uno se accendunt lumine*.

219. *Nascentem si quem pelagi. Pelagi unda* horizon.—*Perstrinxerit*. Gemblac. *restinxerit*, unde Bentl. conjicit : « Tusta siti, quam nec pelagi restinxerit unda ». Voss. enim *quam nec* pro *si quem*. Ed.

221. *Odiumque metumque*. Notum : « oderint, dum metuant ». Paraphrasis Firmici : « Furiosi, iracundi, terribiles, minaces, et quos omnes

Ante os est animus ; nec magnis concita caussis
Corda micant, et lingua rabit, latratque loquendo ;
Morsibus et crebris dentes in voce relinquit.
Ardescit vitio vitium, viresque ministrat
Bacchus, et in flamma sævas exsuscitat iras.
Nec silvas rupesque timent, vastosque leones,
Aut spumantis apri dentes, atque arma ferarum,
Effunduntque suas concesso in robore flammas.
Nec tales mirere artes sub sidere tali.
Cernis, ut ipsum etiam sidus venetur in astris?

homines et oderint pariter et metuant ».

223. *Ante os est animus.* Legimus apud veterem poetam nescio quem : ἡ δὲ γλῶσσα τοῦ νοῦ προτρέχει· quod est plane horum omnium interpretamentum. An dixit ante os esse animum, h. e. ex garrulitate ejus aperiri, qualis ejus sit animus?

224. *Corda micant.* Pueri sciunt quid sit *corde micante* toties apud poetas. Sed audi paraphrasten Firmicum nobiscum facientem : « Hi etiam nova caussarum jurgia concitantes cor habent crebris agitationibus palpitans ». Sane nemo sanus dixerit *cor micare* esse cor lucere, sed quod Firmicus dixit *palpitare*. Sic Virgil. Æn. X, 396 : *semianimesque micant digiti.*

225. *Morsibus et crebris.* Non male olim legebamus : « Morsibus increpitis ». Nam non solum ita poetæ loquuntur, quum dicunt frendere dentibus, sed etiam omnino ita legit Firmicus paraphrastes : « ita sæpius impetu et furore commoti, aut dentes quatiant, aut adtritos semper exacuant ». Sed potest ferri lectio Gemblacensis : « Morsibus et crebris ».

226. *Ardescit vitio vitium viresque ministrat Bacchus.* Firmici paraphrasis : « Sed si hunc locum Mars viderit, fortius hæc, quæ diximus, convalescunt ». Ut ponamus verum dicere, non tamen mentem auctoris sui adsequitur. Nam recte quidem vitium vitio ardescere interpretatur fortius vitium convalescere : sed non advertit naturam iracundam, si accedat temulentia, perinde esse, ac si oleum camino addatur : et ita accipiendum apud Manilium. — B. vult *Ardescit vino vitium*, sed repetitio sequentium erit.

228. *Rupesque timent*, etc. B. *rupesve timent, unguesve leonis, Aut spumantis apri dentes, aut cornua tauri.* Sed audacior videtur emendatio, quam tamen a literarum ductibus non admodum abscedere ait. *Timent*, et infra *effundunt*, habent libb. Scalig. *timet* et *effundit.* Ed.

229. *Arma ferarum* dentes et ungues; unde Exarmare leones.

230. *Effunduntque suas concesso in robore flammas.* Effundunt furores suos in quovis obvio hoste : componunt se pares cum quavis fera in silvis, quamcumque illis fors concesserit. Paraphrasis Fir-

Prægressum quærit Leporem comprendere cursu.
Ultima pars magni quum tollitur orbe Leonis,
Crater auratis surgit cælatus ab astris.
Inde trahit quicumque genus, moresque, sequetur
Irriguos ruris campos, amnesque, lacusque;
Et te, Bacche, tuas nubentem junget ad ulmos,
Disponetque jugis imitatas fronde choreas,
Robore vel proprio fidentem in brachia ducet,

mici: «Ita ut frequenter illis pericula et a feria et ab incendiis inferantur». Et *flammas* pro incendio accipit, non pro furore, et ab illis illi exitium imminere somniat contra mentem auctoris sui, quem non adsequitur.

233. *Prægressum*. Post hunc fortasse versum inserendus, qui lib. I, vs. 442 alienus videtur: *Intentans morsum*, etc. Sic enim Avienus de Lepore: «Urgetur cursu rutili Canis: ille per æthram Effugit instantem: premit autem Sirius ore».

235. *Surgit cælatus ab astris*. In Leonis parte tricesima oritur Crater. Hoc sidere oriente qui nascetur, irriguos campos, fluvios et lacus amabit: ulmos vitibus adsitis maritabit: vites jugamentis, palis, ridicis eriget, aut arbustis disponet. Vino etiam liberalius sese invitabit: annonæ vectigalia redimet: merces humidas tractabit. Crater sæculo Manilii oriebatur hor. o, 40', a XXIX Leonis ad IX Virginis. Quare hic Manilio constat ratio.

237. *Sequetur Irriguos ruris campos*, etc. Paraphrasis Firmici: «Irriguos amabit campos: et fontes aut rivos seu fluvios ab alveo suo ad alia loca deducet». Male concipit τὸ *sequetur*. Ipse putat dictum in deducendis rivis eum sequuturum quos ducet rivos. At nulla apud Manilium rivorum deductio. — B. reponit: *Irriguos rivis*. Horat. Carm. I, 7, 13: «et uda mobilibus pomaria rivis». Ed.

239. *Disponetque j. imitatas*. Dispositos vitium versus choreas vocat. Firmici paraphrasis: «vel qui buxeas arbores tondens in belluas fingat», falso. Nam quid Crater ad buxeta, et opera ex buxo topiaria? Sed corrigit se mox: «Aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciat». Intelligit haud dubie vites compluviatas: in quo mentem quidem Manilii non adipiscitur, sed tamen propius ab ea abest. Nam choreas Manilius dixit gemmas vitium instar eorum, qui manibus consertis choreas ducunt, et, ut Terentius loquitur, restem ducunt. Voss. *Disponetve... imitatus*. Rectius *Disponet Bacchum*, i. e. vitem.

240. *Robore vel proprio fundentem in brachia ducit*. Inepte. Gemblac. *findentem*, ne id quoque bene: sed tamen propius veritati: quin etiam vetustissima est menda. Agnoscitur enim a Firmico, cujus paraphrasis hæc: «Et qui in fecundis arboribus fecundos inserat surculos». Nam *infindere* est inserere apud

Teque tibi credet semper : quin matre resectum
Adjunget calamis, segetemque interseret uvis:
Quæque alia innumeri cultus est forma per orbem,
Pro regione colet : nec parce vina recepta
Hauriet emiscens, et fructibus ipse fruetur,
Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.
Nec solum terræ spem credet in annua vota:

Ciceronem in Bruto. Vide notas nostras in Computum Judaicum libro VII de Emend. temp. Sed hæc nugatoria sunt. Notum enim, vetustiores libros habere *findere*, *relinquisti*, *instinguo*, pro *fidere*, *reliquisti*, *instigo*. Et hic quoque haud dubie *fidentem* scripsit Manilius, librarius *findentem*, non quidem habens in animo sententiam mutare, sed utens vitio sæculi ita scribentis. Vites aut junguntur, aut solutæ in suo sibi stipite singulari relinquuntur. Junguntur multifariam : nam aut maritantur, aut jugantur, aut impluviatæ flectuntur. Singulari stipite relinquuntur, aut adminiculatæ, aut solitariæ : et quidem solitariæ, hoc est, sine ridicis, minus quidem vini, sed præstantius edunt, ut in multis locis Galliæ nostræ. Eæ igitur, quæ ita singulari stipite sine adminiculo nituntur, manifesto fidunt robore suo, utpote quibus ridicis opus non sit, neque adminiculis. Vel igitur, inquit, vites jugat, vel fidentes suo stipite in brachia ducit. Ista brachia habent nomina sua apud auctores rei rusticæ, et in Gallia nostra, aliis nominibus in Tectosagibus, et Aquitania, aliis in Celtis, aliis in Belgio. Vides quam vetustæ sint librorum mendæ, quæ etiam a veteribus auctoribus agnoscantur. Itaque qui dicunt non temere recedendum a vett. codd. opponi illis potest, ne temere quoque illis fidendum. Habes hic exemplum illustre.— *In brachia ducit.* Brachia vitis scilicet. Cic. sup. p. 40, v. 678 : « Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Chius, Brachia cui viridi convestit tegmine vitis ». I. e. cui insulæ frondescit vitis in sua brachia. Nam in Chio tunc erat Orion.

241. *Teque tibi credet.* Elegantissime. Nam fidentem proprio robore dixit eadem mente, qua nunc dicit ipsum sibi ipsi credi. Te tibi credit, non ridicis, aut palis, aut ulmis. — *Qui matre* olim. Plana sententia. Sarmentum e matrice resectum pangit in segete: quod in multis locis Campaniæ in Italia, et in agro opimo ad Tarnim Aquitaniæ meæ. Lege igitur : « quin matre resectum Adjungit calamis ». Recentes enim surculi pacti adjunguntur calamis in novelletis. — B. autem *Teque tibi credet : Semeleve a matre resectum Adjunget palis. Palis*, ut Tib. I, 8, 33.

244. *Pro regione colet.* In agro Neapolitano in Italia, Bigerritano in Novempopulanis, maritabit arbores : in agro Vicentino et Vibiscorum jugabit : in Nitiobrigibus singulari stipite et fidentem suo robore educet.

245. Ante Scal. *Hauriet e miseris.*

Anuonæ quoque vectigal, mercesque sequetur,
Præcipue quas humor alit, nec deserit unda.
Tales effinget Crater humoris amator.
Jam subit Erigone : quæ quum ter quinque feretur

Ubi *miseere* scriptum erat, Gembl. habet *miserere*, quod mendum in aliis quoque manuscriptis non raro occurrit. Ita hic sine ullo dubio *emiscens* legendum pro *e miseris*. Emiscere ex cratere haurire. Miscere Falernum Martiali, haurire. Scio principem et ornamentum harum literarum Adrianum Turnebum *mystris* legere. Sed cur Latini voce peregrina utantur, relicta propria *cochlear*, sive *ligula*? Sane illud joculare, ligulis aut cochlearibus in conviviis vinum haurire. Crater erat ingens vas vinarium, quod in media mensa supra machinulam incitegam destituebatur. Ex eo cyathis vinum emiscebant, i. e. hauriebant.—*Hauriet emiscens*. Vera conjectura. Firmicus agnoscit. Sed *emiscere* paullo sequius, quamquam non male, interpretatur : « quod hic vinum sine aquæ admixtione libenter bibet ». *Emiscere*, interpretatur contrarium τῷ *miscere*. At non est. Est enim e cratere in scyphum miscere. Miscere vinum, ut diximus, est haurire, in pocula defundere. Constat a paraphraste Firmico correctionem nostram agnosci. —Bentl. agnoscit *Hauriet e cratere*, nempe ut qui sub Cratere natus sit. Ex crateribus autem vinum bibebant. Virg. Æn. I, 724 : « Crateras magnos statuunt » ; Æn. III, 525 : « ...Anchises magnum cratera corona Induit », et Æn. IX, 165 : « Indulgent vino et vertunt crateras ahenos ». Ed.—*Et fr. i. fruetur.* Ipse, inquit, ipsos fructus absumet, neque ex illis negotiabitur, aut compendium faciet : ebibet enim omnes.

248. *Annonæ quoque vectigal.* Anuonæ quoque publicum redimet. Firmicus libro tertio : « Exactorem retiarum annonarum, vel fiscalium pecuniarum ». Ita reponimus ex veteri codice. Retiæ seu reticæ annonæ meminit Augustinus de Civitate libro XVIII, cap. 18.

249. *Præcipue quas humor alit.* Firmicus alicubi aquaticas negotiationes, item aquarum opera vocat. Quia vero crater non solum vini, sed et omnium liquorum capax est, ideo et aquam quoque capit : nisi ideo dixerit, quia quidam Veterum non craterem, sed urnam, hoc est, κάλπην vocarunt, ut scholiastes Germanici. Cicero feminino genere crateram : κάλπην etiam fontem vocabant Veteres, Plautus et Varro.

251. *Jam subit Erigone.* In decima quinta parte Virginis oritur Corona. Sub hac natus erit delicatus ac mollibus studiis deditus : hortos colet, corollas plectet. Seplasiarius, pigmentarius, turarius erit. — *Ter quinque feretur Partibus.* In xv parte Virginis ait oriri Coronam. At Firmicus *quinta parte*. Et sane corruptus est locus. Nam infra Spica oritur decima parte. Non ergo scripsit Manilius « quæ quum ter quinque », sed « quæ quando quinque », aut simile quid. Sed nugatur. Nam illius sæculo Corona oriebatur supra finitorem barbaricum a xxx

Partibus ereptis ponto, tollentur ab undis
Clara Ariadneæ quondam monumenta coronæ,
Et molles tribuent artes : hinc dona puellæ
Namque nitent; illinc oriens est ipsa puella.
Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,
Pallentes violas, et purpureos hyacinthos,
Liliaque, et Tyrias imitata papavera luces,
Vernantisque rosæ rubicundo sanguine florem.
Cæruleum foliis viridi quin gramine collem
Conseret, et veris depinget prata figuris:
Aut varios nectet flores, sertisque locabit;
Effingetque suum similes : in mutua pressos

Virginis ad ix Libræ hora una fere. Sed mirum Coronæ austrinæ nullam fieri mentionem ab Arato in Phænomenis, neque a Manilio libro primo. An dicemus ante Hipparchum in asterismos non relatam? Non ita videtur. Hyginus enim, qui ex Eratosthene, et antiquioribus Astronomicon suum describit, vocat eam Sagittarii Coronam.

255. *Illinc oriens est ipsa puella.* Sequitur eos, qui dicunt non solum Coronam, sed etiam Ariadnam, in cælo effingi. Propertius : « Te quoque enim non esse rudem testatur in astris Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis ». Et ipse Manilius Coronam in cælo capiti Ariadnæ impositam canit in sphæra. At contra Aratus ait Coronam in cælo positam a Baccho monumentum relictæ Ariadnæ esse. Quid si non de Ariadna, sed de ipsa Erigone intelligas?

258. *Tyrias luces.* Hoc ineptum : lege *Tyrios...fucos.* Ovid. Met. VI, 222 : « Tyrioque rubentia fuco ». Ed.

260. *Cæruleum foliis viridi quin gramine collem Conseret.* Viridem et cæruleum confundunt poetæ. Nam et Ovidius aerem viridem dixit pro cæruleo, et aquas virides pro eodem. — B. *Cæruleumque oleis.* Viridemve in palmite. Olea enim cærulea et glauca. Ovid. Art. Am. II, vs. 518 : « Palmite collem », ut Stat. Silv. IV, 2, 36 : « vitifero sub palmite nudos Umbravit colles ». Ed.

261. *Conserit et veris.* Potes et legere *vernis.*

263. Olim *Effingetque sinu, similesque.* Quid est *effingere sinu flores?* quid similes excoquere? Nugas egerit tam qui interpretationem exiget, quam qui dabit. Gemblacensis : « Effingetque suum similes ». Quod est verissimum. Effinget suum similes, suorum similes flores : suorum florum coronæ est idiotismus Manilianus. Effinget flores sertis, cujusmodi flores habet Corona ipsa Ariadnæ : omnino effinget similes suorum coronæ florum, ut Maniliane loquar. Virgil. Æn. IV, 634 : « Namque suam antiqua patria cinis ater habebat ». Suam Didonis nutri-

Incoquet, atque Arabum silvis mulcebit odores;
Et medicos unguenta dabit referentia flatus,
Ut sit adulterio succorum gratia major;
Munditiæ cultusque adsunt, artesque decoræ,
Et lenocinium vitæ præsensque voluptas.
Virginis hoc anni poscunt, floresque coronæ.
At quum per decimam consurgens horrida partem
Spica, feret præ se squallentis corpus aristæ:

cem dixit, ut Noster suorum coronæ florum. — Voss. *Effingetque suum sidus.* B. *quin mutua.* Scil. effinget ex floribus, coronam sub quo sidere natus est. *Mutua* pro *mutuo*, quod durum mihi videtur. *Pressos* subaudi flores. Ed.

264. *In mutua pressos Incoquet.* Simul omnium succos expressos excoquet: ad opus seplasiarium scilicet. Hæc clausula manifesto a superioribus tam sensu, quam argumento separata est. Seplasiarios intelligit.

265. *Medicos flatus.* Vett. quatuor *Medios*: forte *Medos*, i. e. malum Medicam.

267. *Cultusque placent* Bentl. ut supr. 153.

268. *Et lenocinium vitæ.* Paraphrasis Firmici: «corpusque suum lenocinio pulchritudinis excolens». Non prorsus hoc voluit, sed plus. Nam lenocinium vitæ plus est, quam lenocinium corporis. Intelliguntur enim molles et delicati, quos non semper sequitur esse mœchos, aut adulteros. — *Præsensque voluptas. Virginis hoc anni poscunt.* Paraphrasis: «et qui stupra et adulteria latenter exerceat, ad virginum pulchrarum puerorumque concubitus prona libidinis animositate festinans et currens». Stupor hominis. Nam τὸ *Virginis hoc anni* est epilogus, ut et cæco adparet. Itaque plane hic deliravit.

269. *Floresque coronæ.* Potuit etiam ad mythologiam adludi. Nam Timachides, poeta scripsit coronam Ariadnæ ex quodam flore plexam fuisse, qui dicebatur Theseius.

270. *At quum per decimam.* Oriebatur Spica cum XXVI parte Virginis, quam cum decima parte Virginis oriri vult in finitore barbarico. Spica igitur oriente qui nascentur, erunt adtentiores ad agricolationem et ad condita frugum. Pistrinorum mancupes erunt, pistores dulciarii. Erunt etiam publicorum horreorum curatores.

271. *Squallentis corpus aristæ. Corpus*, adpositive, *squallentis* seu *squallentes* aristas. Rectissima lectio. Magis placeret «squallentis corpus aristæ». Quare aristæ dicantur squallidæ, non magis ratio exigi debet, quam quare dicantur horridæ. Alioqui squallere est contaminari, et squallor contaminatio. Firmicus in partium Scorpii Myriogenesi: «turpes faciet homines, meretricio squallore sæpe pollutos». Tertullian. exhortatione ad castitatem, c. 10: «ingredi in disciplina Domini non secundum carnis et squallentiæ concupiscentiam».

Arvorum ingenerat studium, rurisque colendi,
Seminaque in fenus sulcatis credere terris,
Usuramque sequi majorem sorte, receptis
Frugibus innumeris, atque horrea quærere messi,
Quod solum decuit mortales nosse metallum.
Nulla fames, non ulla forent jejunia terris.
Dives erat census saturatis gentibus orbis,
Et si forte labor ruris tardaverit artes,
Quis sine nulla Ceres, non ullus seminis usus,
Subdere fracturos silicis frumenta, superque
Ducere pendentes orbes, et mergere farra,
Ac torrere focis, hominumque alimenta parare,
Atque unum genus in multas variare figuras.
Et quia dispositis aptatur spica per artem

274. *Usuramque sequi majorem sorte.* Et nos quoque ita olim edidimus. Imperite, ut alias, lectionem innovavit Bonincontrius : «Versuramque seqni». Nam quæ versura bic intelligenda est, quum loquatur de terræ fide, quæ majore fenore fruges reddit? Est enim metaphora. Neqne Danistæ bic magis locnm hsbent, quam agricolatio in foro Romano. Sine metapbora aut allegoria extulit paraphrastes Firmicns : «qui novis seminibns per annos singulos novitatem etiam frngibus psriat».

276. *Nosse metallum*, bellenismus, metallnm pro conditis. In Hadriani vita : «Laborabat præterea, nt condita militaria inspiceret», id est, annonam militarem in borreis. Sed de conditis mentio est etiam in Cod. Theodos.

278. *Dives erat.* Conditionale est. pro *Dives foret.* Virgil. Georg. II, 132 : «Et si non alinm late jactaret odorem, Laurns erat». Sed vitiosnm hic, quia jam Noster dixit *forent.* Ordo est : Dives erat census orbis, saturatis gentibus. Sed B. hunc versum irreptitium putat. Ed.

281. *Subdere fracturos silicis.* Melius *fracturo silici.* Vid. Virg. Georg. I, 267, et Æn. I, 182. Ed.

285. *Et quia dispositis aptatur,* etc. Qnemadmodnm in spica grana snis cellis et folliculis inclusa ac disposita sunt, ita etiam qui sub boc sidere nascuntur, disponent fruges per horrea et cellas. Intelligit vero publica horrea, cujnsmodi horrea Sulpitia, et qnæ præterea in singulis regionibus Urbis ponit Sext. Aurel. Victor; quibus etiam curatores præficiebantur, quorum crebra mentio in veteribns monumentis. Fruges accipit pro grano ipso frumenti. Unde proverbiale dictnm, Frugem non faciet. Nam proprie dicitur de culmo, qui granum non cepit suo tempore.

Frugibus : exstructu simili componitur ordo,
Seminibusque suis cellas atque horrea præbet.
Sed parte octava surgentem cerne Sagittam
Chelarum : dabit hæc jaculum torquere lacertis,
Et calamum nervis, glebas et mittere virgis,
Pendentemque suo volucrem deprendere cælo,
Cuspide vel triplici securum figere piscem.
Quod potius dederim Teucro sidusve genusve?
Teve, Philoctete, cui malim credere parti?
Hectoris ille faces arcu, teloque fugavit,
Mittebat qui vos, ignes, in mille carinas.

In Gemblacensi erat : « exstructos similis componitur ordo ». Fortasse *exstructu* legendum. Nihil interest ad sententiam. Firmicus recte concepit hæc : « qui ad vitæ subsidium multas fruges in horreis condat ». — Pro *aptatur* G. et Lips. *habeatur*. Voss. *habitatur*, quod sic intelliges : Spica habitatur frugibus, sive granis, quas in glumis tamquam in cellis atque horreis conditas tenet.

286. *Exstructu simili*. Propius ad Gembl. *structo similis*, i. e. ordini humana arte structo. Quinque autem versus, qui in vulgatis sequuntur, B. vult esse hic necessarios, et artem architectonicam ex ordine spicarum deductam dici. Sed de templis tantum agitur. Locus certe difficillimus. Vid. inf. 508. Ed.

* *Sculpentem faciet*. Quid bractearii et pictores ad horrea et fruges? Quo pertineant, infra dicetur. Nam, ut toties dixi, a Bonincontrio criticen non exigimus, cui nihil horum mendorum oboluit. Scalig. hos quinque vs. post 508 retraxit.

288. *Sed parte octava*. Parte octava Libræ ait Sagittam oriri. Quod falsum est. Sæculo Manilii Sagitta oriebatur a III Sagittarii ad VII ejusdem, hor. 0, 15', in finitore barbarico. Non igitur oritur in octava Libræ, neque in ultima facie Capricorni, quod nugatur Bonincontrius, rem mihi plane novam et obscuram, et quam puderet astronomum etiam cogitasse. Igitur oriente Sagitta nati erunt jaculatores periti et sagittarii : thunnos etiam et alios majores pisces fuscina trajicient. Philoctetæ et Teucri genitura.

290. *Glebas et mittere virgis. Virgis*, sagittis, quibus glebas plumbeas mittebant, quæ jactæ in aere ignem concipiebant, ut, præter poetas, meminit etiam Aristoteles in libris de cælo. Statius, X, 257 : « et arsuras cæli per inania glandes ». Vid. Virg. Æn. VII, 686.

291. *Pendentemque suo*. Silius lib. II, 96 : « Ille vagam cælo demisit sæpe columbam ». — *Deprendere nube*. Silius, XVI, 565 : « volucresque vagas deprendere nube Adsuetus jaculis ».

296. *Mittebatque suos ignes*. Ita intelligeretur de Philoctete, quod est Hectoris. Sane vetus poeta di-

Hinc ortam pharetram, Trojæ bellumque gerebat,
Major et armatis hostis subsederat exsul.
Quin etiam ille pater tali de sidere cretus
Esse potest, qui serpentem super ora cubantem,
Infelix, nati somnumque animamque bibentem,
Sustinuit misso petere ac prosternere telo.
Ars erat esse patrem : vicit natura periclum,
Et pariter juvenem somnoque ac morte levavit
Tunc iterum natum, et fato per somnia raptum.

xisset: « Mittebat qui suos ignes », ut Ennius et Lucretius. Sed Manilius numquam hoc dixerit.—Hunc versum B. interpolatum putat, et conjecturam Scal. indignam tanto viro dicit. Cui adsentior. Forte : « Mittebatque suos ignes e mille carinis ».

297. *Hic autem pharetram*. Gembl. « Hic ortam pharetram ». Legit B. « Hic sortem pharetra Trojæ bellique gerebat ». *Hic* est Philoctetes. Infra *ille* est Teucer. Sed Scal. *Hinc*, i. e. ex hoc sidere, quod genus loquendi in his apotelesmatis frequentissimum. Infra, 324 : « Hinc veniunt vocis dotes ».

298. *Major et armatis hostis subsederat*. Eleganter traduxit a gladiatoribus, aut a bestiariis, qui victis sufficiebantur. Latini hos subdititios vocant, Martialis etiam supposititios. Proprie autem quos Græci dicunt ἐφέδρους, Latini in ludo gladiatorio secutores vocaut. Nam, nisi fallor, non bene exponunt grammatici. Admodum venuste transtulit Apuleius Milesia quarta: « Non diu cruciatus vitam evasit, quem, prioris exemplo, sepulturæ traditum bonum secutorem Lamacho dedimus». Secutorem dicit τὸν ἔφεδρον. Veteres Glossæ τὸν ἔφεδρον etiam tertiarium vertunt; quod nimirum altero interfecto tertius sufficeretur. Secutor igitur, supposititius, idem. — Sed nimia forte hic eruditione peccat Scaliger. Sententia enim per se facilis. *Major armatis*, quia qui arcum gerebant cætera inermes erant. *Subsederat exsul*, i. e. hæserat, cessaverat, substiterat in Lemno.

299. *Quin etiam ille pater*. Intelligitur Alcon Phaleri unius ex Argonautis pater. Val. Flacc. lib. I, 398 : « Insequeris, casusque tuos expressa, Phalere, Arma geris : vacua nam lapsus ab arbore parvum Te quater ardenti tergo circumvenit anguis. Stat procul intendens dubium pater anxius arcum ». Sed et Sidonius Apollin. eamdem historiam luculentis versibus descripsit, qui cum Manilianis certant : « non sic libravit in hostem Spicula, qui nato serpentis corpore cincto Plus timuit, dum succurrit; dum jactibus iisdem Interitum vitamque daret, stabilemque teneret Corde tremente manum, totamque exiret in artem Spe propiore metus, dans inter membra duorum Unius mortem ».

305. *Tunc iterum natum*. Nam verbo palingenesiæ ad eam rem utebantur Veteres.

At quum secretis improvidus Hædus in astris
Erranti similis, fratrum vestigia quærit,
Postque gregem longo producitur intervallo,
Solertes animos, agitataque pectora in usus
Effingit, variis nec deficientia curis,
Nec contenta domo : populi sunt illa ministra,
Perque magistratus, et publica jura feruntur.
Non ullo careat digito, quaque iverit, hasta:
Defueritve bonis sector, pœnamve lucretur

306. *At quum secretis improvidus.* Ait Hædum oriri, et non ponit in quota parte Libræ. Firmicus ponit in xv. Mirum quod scribit Bonincontrius de Manilio loqnens : « quum hunc dicat oriri in xv parte Libræ ». Ubi hoc dicit Manilius? et quis est iste Hædns? ubi ejus grex, cujns meminit Manilius? Hædos tantnm et Capram novimus, illos in sinistra, hanc in humero sinistro Heniochi. Qnæ autem Capra hunc nobis pepererit, non magis acimus, quam quis sit Hædns iste. Igitur isto Hædo, in qnacumque cæli parte balantem audivit Manilius, oriente, solertes nascuntur atque indefatigatæ diligentiæ: magistratibus adparehunt : sectores, cognitores erunt : lascivos etiam ac temulentos producet. Pantomimi quoque nascentur. — *Secretis... astris.* Quænam secreta astra ? Forte *secretis in arvis.* Similis erranti in arvis secretis. Auctor Nucis : « Felix secreto quæ nascitur arbor in arvo ». Ed.

310. *Effingit, variis.* Alii *Effingit varios, nec*, non male. Ovid. Fast. II, 291 : « Vita feræ similis, nullos agitata per usus ». Ed.

307. *Fratrum vestigia quærit.* Nulli alii sunt, nisi qui ab Heniocho sustinentnr. Non satis possum mirari quid Manilium de hoc Hædo adegerit pronuntiare, qni non est in rerum natura.

313. *Non ullo careat digito*, etc. Sectores aut mancupes manu sublata significabant se auctores emptionis esse, ut ait Festns. Inde Cic. in Verr. I, 54, digitnm tollere in auctionibns: item apnd Martialem: « Nam mea jam digitnm sustulit hospitibus ». Hoc est, mea suppellex in auctione mancupes invenit, ut amplius hospitibus servire non possit. Qnamdiu, inquit, qui sub hoc signo nascetur, vivet, nnmquam deerit, qui in sectionihus tollat digitum. Hastam autem in auctionibns poni solitam, puta qnum bona damnati venderentur, vulgo palam est. Quaqne pro quacnmque, et quandoqne pro quandocumqne Veteribus dictum notant et docti ætatis nostræ viri. — B. refingit *Non illo coram digitos quæsiverit hasta*, eadem sententia, i. e. licitator erit, qui digitnm in auctionihns tollet. Gemblacens. habebat : *Non ullo curam digito qui viverit hasta.* Ed.

314. *Pœnamve lucretur.* Numqnam peculatum quisquam impune fecerit, aut repetundarum reus pœnam

Noxius, aut patriam fraudarit debitor æris.
Cognitor est urbis: nec non lascivit amores
In varios, ponitque forum, se datque Lyæo,
Mobilis in saltus, et scenæ mollior arte.
  Nunc surgente Lyra, testudinis enatat undis
Forma, per hæredem tantum præfata sonantis,

evaserit. Talis ac tantus quadruplator ei nascetur sub hoc sidere.

316. *Cognitor est urbis.* Cognitor et sector pæne idem. Est autem is, qui sectionibus præest, cujus munus cognitura dicitur. Sueton. in Vitellio: «Filius sectionibus et cognituris uberius compendium nactus». Ovid. Am. I, XII, 23: «Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ, Quas aliquis duro cognitor ore legat». Glossæ: *Cognitor, ἔκδικος.* Est ergo proprie, qui compendii sui caussa nullum non manubiarum genus experitur. Minus hæc intelligit paraphrastes Firmicus, qui publicorum officia vectigalium tractaturos scribit.

317. *Ponetque forum.* Gemblac. *ponitque forum.* Quadruplaturis, cognituris, sectionibus voluptates etiam interjicit: neque semper publicis illis muneribus distringetur. Nam fori adpellatione quadruplaturam, secturam et cognituram intelligit. Itaque τὸ *ponitque forum*, est abjicit curam fori, cognituræ, sectionis, quadruplaturæ, etc. Hinc colligitur recte a nobis correctum, «cognitor est urbis». Est enim publica persona. Ideo in foro venali, et hasta ejus cura. — *Se datque Lyæo.* Adstipulatur paraphrastes Firmicus: «vinoque et epulis deditus». Sed G. habet *sua detque;* unde B. *suadente :* deserit forum, invitante Baccho. Ed.

318. *Mobilis in saltus.* Pantomimus.

319. Vid. Excursus II ad calcem hujus libri. Ed.

320. *Forma per hæredem.* Post hunc versum interjicit Scal. «Chelarum surget quum pars vicesima sexta», qui versus apud B. abest, et post 332, *solus et ipse*, etc. ponitur. Vid. infra. Nam deest locus sive pars signi, in qua oritur Lyra. At iste versus eo loco, ubi vulgo legitur, inepte positus est: quia si eum ibi esse sinamus, maxima absurditas consequetur, ut Ara sit in vicesima sexta parte Libræ simul et octava Scorpii. Quid potuit absurdius excogitari? In vulgatis exemplaribus Firmici omissus est hic locus totus de Lyræ tam ortu quam occasu. At Bonincontrius videtur usus codice Firmici, in quo Lyra dicatur oriri X parte Libræ. Sed neutrum verum est. Nam hodie tota Lyra exstat supra finitorem barbaricum in octava Sagittarii, non in quinta parte Capricorni, ut nugatur Bonincontrius. Tempore vero Manilii Lyra oriebatur a IV Scorpii ad XV ejusdem, hor. 0, 45', in finitore barbarico. Igitur Lyra oriente, fidicines, flatores tibiarum, hydraulæ, organarii, cantores nascentur. — *Per hæredem tantum prolata Tonantis.* Quis est iste hæres Tonantis, qui Lyram protulit? Dicunt a Mercurio prolatum. Sed ubi

*Chelarum surget quum pars vicesima sexta.
Qua quondam sonitumque serens OEagrius Orpheus,
Et sensus scopulis, et silvis addidit aures,
Et Diti lacrymas, et morti denique finem.
Hinc venient vocis dotes Boreæque sonantis,
Garrula quæ modulis diverse tibia format,
Et quodcumque manu loquitur, flatuque movetur.
Ille dabit cantus inter convivia dulces,
Mulcebitque sono Bacchum, noctesque tenebit.

sunt tabulæ testamenti, quibus Jupiter instituit hæredem suum Mercurium, quum morietur ipse? Commentitia est lectio. Gemblacensis: « per hæredem tantum præfata sonantis », optime. Hæres Lyræ est Orpheus: usu a Mercurio facta Orpheo tradita est, auctore Hygino et Nicomacho Geraseno, lib. II Musices. Ea igitur Lyra per solum Orpheum duntaxat sonabat præfata, i. e. præludia. Alio enim tangente non sonabat: quasi nulli citharœdo pareret præterquam Orpheo hæredi ipsius lyræ. — B. ita locum concipit: « forma per hæredem tantum post fata sonantis, Qua quondam mentemque feris OEagrius Orpheus ». Hæres tantus est Mercurius, qui ex mortua testudine, post fata, lyram effecit.

321. *Sonitumque serens.* Hæc mendosa videntur. *Sonitus* post *sonantis* importune. Emendationem mentemque feris adserit Ovid. Metam. XI, 2: « Carmine dum tali silvas animosque ferarum Threicius vates, et saxa sequentia ducit ».

323. *Et morti denique finem.* Fine morti dato, nemo postea moreretur. Bentl. legit *et Parcis denique filum.* Filum addidit Parcis, quum Eurydicen uxorem mortuam, iterum victuram recepit. Apud Stat. Theb. VIII, 57, Pluto de Orpheo narrat: « Vidi egomet blanda inter carmina turpes Eumenidum lacrymas, iterataque pensa sororum ».

327. *Et quodcumque manu loquitur, flatuque movetur.* Hydraulica et pneumatica. Nam et flatu et manu moventur. Vide quæ studiose olim in hanc rem colligimus commentariolo in Ætnam.—*Flatuque movetur.* Tibicines et fistulatores quoque cum his comprehenduntur et symphoniaci. De tibiis vide Solinum, qui in illis milvinas numerat; quod milviorum clangorem imitentur: clangor autem milviorum dicitur *jugitus*, et verbum ipsum *jugere.* Vide quæ nos in Festum et Varronem, qui primi locum Varronis apud Nonium correximus, ubi *vigere* pro jugere legebatur voce *tegillum.* Apuleius Milesia quinta: « Jubet citharam loqui, psallitur; tibias agere, sonatur; choros canere, cantatur ».

329. *Mulcebitque sono Bacchum noctesque tenebit.* Τὸ *noctesque tenebit* non est nauci. In Gemblacensi et in textu Bonincontrii sequitur versus mala fide ab aliis editionibus omissus, « Quin etiam curas inter secreta movebit ».

Quin etiam curas inter, secreta movebit
Carmina, furtivo modulatus murmure vocem:
Solus et ipse suas semper cantabit ad aures.
Hinc distante Lyra, quum pars vicesima sexta
Chelarum surget, quæ cornua ducit in astra,
Sed regione Nepæ vix partes octo trahentis,
Ara ferens turis, stellis imitantibus, ignem,

333. *Hinc distante Lyra.* Quis hæc intelligit? Hinc distante Lyra in XXVI parte Libræ. Sed e regione Scorpii *Ara surgit.* Sunt oracula ægrotantium. Ara igitur surget eodem tempore in XXVI Libræ cum Lyra, et e regione ejus in octava parte Scorpii? Hæc perabsurda. Acrostichides et acroteleutia hujus distichi inter se commutarunt: quæ ita restituuntur: « Chelarum surget quum pars vicesima sexta: Hinc distante Lyra, quæ cornua ducit in astra ». Sed prior versus suo ordini redditus supra. Deinde quam inepta erat trajectio: « Chelarum surget, quæ cornua ducit in astra ». Ita restitutio primum versuum inter se implicatorum, deinde loco suo luxatorum, postremo mendi, quod est in sequenti versu, facta est. — Sed merito, ut opinor, hos versus B. pro spuriis habet. Ed.

334. *Sed regione pari vix partes octo trahentes.* Si ultimam syllabam in voce *regione* repetiveris, veram lectionem pæne adeptus fueris. Adjuva igitur, et lege: « Sed regione Nepæ vix partes octo trahentis ». Verissima emendatio. Scriptum fuerat *nepai*, ut infra *earai* pro *earæ*. Sic Aimilius, Æmilius. Igitur in octava parte Scorpii Ara oritur, vel, ut Manilius loquitur, Ara oritur e regione Nepæ vix dum trahentis octo partes. Sæculo Manilii Ara oriebatur supra finitorem barbaricum a XV Sagittari ad XV Capricorni, hor. I, 15'. Longe igitur abest a vero hic Noster, quæcumque fuerint illa parapegmata barbarica aut vera, quæ non intellexit, aut falsa, quæ illi imposuerunt. Firmicus oscitanter legit auctorem suum, qui dicat Aram oriri cum prima Scorpii; qui tamen recte confirmat emendationem hanc illustrem *E regione Nepai.* Bonincontrium autem decepit ridicula trajectio versuum de XXVI parte Chelarum: neque contentus eo, non XXVI legit, sed XXVIII, quia nimirum octo partium mentionem fieri in sequenti versu viderat. Itaque τὸ vicesima ex uno versu, τὸ *octo* ex altero mutuatus monstrum bicorpor conformavit *vicesima octo*, digna tali interprete sententia. Ara igitur oriente nati erunt neocori, sacerdotes, prophetæ, sanctissimique antistites.

335. *Ara ferens ignem.* Ignem turis vocat τὸ θυμίαμα. Aram Græci asterismi vocant θυτήριον, Latini Turibulum. Etiam Phari sunt lucernæ magnæ Damaso de donariis Constantini et Bedæ, qui scribit pharos altissimarum lucernarum accendi solitas in Martyriis et Basilicis. Ara constituta est in intersectione australi meridiani et hori-

In qua devoti quondam cecidere Gigantes,
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Juppiter, ante Deos quam constitit ipse sacerdos;
Quos potius finget ortus, quam templa colentes,
Atque auctoratos in tertia jura ministros,
Divorumque sacra venerantes numina voce,
Pene Deos, et qui possunt ventura videre?
Quattuor adpositis Centaurus partibus effert
Sidera, et ex ipso mores nascentibus addit.
Aut mulos aget aut mannos, mixtosque jugabit
Semine quadrupedes, aut curru celsior ibit:

zontis, quum medinm cursum tenet, quod per cataehresin dieitur: vix enim gradibus decem adtollitur snpra finitorem barbarieum. Sed Cicero medium cælum etiam tenere posse putavit in illis Arateis juvenilibus, p. 27, v. 437: «Nam quum fulgentem eernes sine nubibus atris Aram snb media cæli regione locatam». Certe ne minimum quidem mentem Græci poetæ odoratus est, eujus sensus est: Ne, eælo in partibns borealibus nebuloso, opta surgere sudam Aram in horizonte austrino. Vid. Arat. Phæn. v. 413.

338. *Ante Deos*. B. mavult *ante focos*, i. e. ante aram. Ed.

339. *Quos potius finget ortus*. Scribe *finget partus*. Refertur enim ad Aram, et est hyperbaton.

341. *Divorumque sacras*. Gembl. et nos olim *sacra*. Intelligit ὑμνολόγους· quorum etiam mentio in veteribus inscriptionibus Romæ.

343. *Quatuor adpositis*. XII parte Scorpii, inquit, oritur Centaurus. Sæculo Manilii oriebatur a XXIX Libræ ad XXVII Sagittarii, horas VI fere, in finitore barbarieo.—*Partibus offert Sidera*. Gemblacensis et nos olim *effert*. *Ex ipso*, i. e. ex se ipso.

345. *Aut mulos aget, aut mannos*. Id est, erit mulio. Nam qui mannos dueit, etiam dicitur mulio. Mart. Epigr. XII, 24, 8: «Nusquam est mnlio? mannuli tacebunt». Mannos enim major pars scriptorum minutos mulos et burrichos interpretatnr. Exprimit locum Horatii, Epod. IV, 14: «Et Appiam mannis terit». Nam burriehos Acro exponit eodem loco; qnos Martialis paullos mnlos vocat in lemmate distichi illius, lib. XIV, epigr. 197: «His tibi de mulis non est metuenda ruina. Altius in terra pæne sedere soles». Quippe in veteribus codicibus lemma conceptum exstat: *paullæ mulæ*, aut *paulli muli*. Sequor tamen eos, qui pumilos eqnos exponunt, quos etiam hinnos vocabant.

347. *Mixtosque jugabit Sanguine quadrupedes*. Mulocisiarius, seu earruearius erit. Quadrupedes mixti semine sunt muli, aut musimones. Hie quoque insigniter erravit vetus paraphrastes, qui equitiarios interpretatur. Equitiarios vero intelligit (quod verum est) prurigas, qni equabus mares admittunt. Unde

Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma.
Ille tenet medicas artes ad membra ferarum,
Et non auditos mutarum tollere morbos:
Hoc est artis opus non exspectare gementes,
Et sibi non ægros jamdudum credere corpus.
Nunc subit Arcitenens, cujus pars quinta nitentem

liquido adparet, τὸ jugare quadrupedes ipsum accepisse pro eo, quod est admissuras facere. Frustra.

347. *Aut onerabit equos armis.* Equistrator erit, qui herum armatum in equum imponit. Neque hæc intellexit Firmicus paraphrastes, qui inter equites militantem exponit. — B. vult *Aut ornabit equos phaleris.* Virg. Æn. V, 310: « equum phaleris insignem ». Ed. — *Aut ducet in arma.* Stratoris est herum in equum imponere, et ad bellum proficiscentem comitari. Ejus munus est Stratura.

348. *Ille tenet medicas artes.* Ἱππίατρος erit. Ἱππιατρίαν mulomedicinam et veterinariam vertunt Veteres. — B. reponit *ferorum*, i. e. equorum, nam medici non feras curant. Pro *medicas artes* forte *medicas herbas*, nam sequitur *artis opus*. Ed.

349. *Et non auditos mutarunt tollere motus.* Gembl. *tollere morbos*, quod rectum est. Sed legendum *mutarum*.

350. *Non exspectare gementes.* Hoc est, morbum prævertere. Tangit partem medicinæ prophylacticam. Auson. Griph. ternarii numeri vs. 69: « Et medicina triplex, servare, cavere, mederi ».

351. *Et sibi non ægrum.* Gembl. non deterius: *Et sibi non ægros.* Hoc, inquit, est opus ut ipse præveniat morbos, et ut nondum ægroti credant illi corpus suum: τὸ *sibi* refertur ad ipsum veterinarium, sive mulomedicum, non ad ægros. Per prosopopœam autem ait equos ipsi tradere corpus suum, quum vult intelligi equorum nondum adfectorum morbo illis curam tradi, ut ipsis in posterum caveatur de salute et sanitate. Denique mulomedicina promittit sanitatem omnium quadrupedum, quæ veterinorum nomine veniunt; nam et boum, et camelorum, et cæterorum. Mutas vero minus proprie dixit, quum vocentur semivocales, ut Columellæ: sed idiotismum sequitur. Nam et canis eodem modo dicebatur mutus custos, quum sit animal vocale. — Forte hi vs. ordine luxati sunt. Melius « Hoc est artis opus... Sed non auditos mutorum, ... Et sibi non ægros jamdudum credere tales », i. e. Præsentire equos ægros esse, priusquam ipsi se ægros esse sentiant.

352. *Nunc subit Arcitenens.* In quinta parte Sagittarii ait oriri Arcturum, mendosissime. Temporibus Maniliani in XXI Virginis exstabat supra finitorem barbaricum. Magnæ sunt hæ hallucinationes vel Manilii, vel a quo Manilius hæc accepit. Sane Hipparchus ait in Græcia suis temporibus Arcturum eumdem cum Virgine ortum et occasum habere, quo tempore noctes dicuntur νύκτες ἐπ' Ἀρκτούρῳ, teste eodem

Arcturum ostendit ponto, quo tempore natis
Fortuna ipsa suos audet committere census,
Regales ut opes, et sancta æraria servent,
Regnantes sub rege suo, rerumque ministri;
Tutelamque gerant populi, domibusve regendis
Præpositi, curas alieno limine claudant.
Arcitenens quum se totum produxerit undis

Hipp. et Arato, Phæn. 585 : Κεῖναί τοι καὶ νύκτες ἐπ' ὀψὲ δύοντι λέγονται. Hunc versum Arati neqne Ciceronem, neque Avienum, neqne Germanicum intellexisse fidem fecerit eorum silentium : nullus enim eorum huuc versnm adtigit, perinde ac si snppositítius esset, aut omninu abesset. Νύκτες igitur ἐπ' Ἀρκτούρῳ dicuntur, quod post Arcturum, id est, post ejus occasum sequnntnr, quaodo Arcturus totum diem snpra horizontem existit una cum Virgine, et una cum ea occidit. Idem intelligit Plinius lib. II, cap. 47, quum ait Arcturum exoriri mane undecim diebns ante æquioctium antnmni. Sane si XI dies ad XIII Septembris addideris, perveoies ad XXIV Septembris, nimirum æquinoctium Sosigenis, quod habebat in animo Plinius. Porru si etymon spectes, Arcturns idem fuerit quod Arctophylax, siquidem οὖρος et φύλαξ idem. Quare hoc, pnto, sequutus Avienus Arcturnm pro Arctophylace posoit, Arat. Ph. 1306 : « Labitur Arcturus : manns olli quippe sinistra Joge manet ». Tutum enim Booten intelligit, non illam lncidam, quæ intra genua Bootæ nitet. Igitur oriente Arcturo qni nascentur, erunt fisci et ærarii præfecti. Palatiu etiam præficientur : sýndici, ecdici urbinm ernnt, œconomique privatarum domurum.

354. *Fortuna ipsa suos.* Firmicus ineptissime hic interpretatur : « Hoc oriente signu qui natus fnerit, erit talis, qui amicorum secreta fideli tacurnitate costodiat ». Extra controversiam est ipsum legisse *sensus*, non *census*.

356. *Regnantes sub rege suo.* Continuat enim superiorem versnm cum boc, post quem duo, qui infra dnodecimo loco positi snnt, huc interjiciendi. Ergo ita totnm locum lege, ut dedimus. Qnod enim recte hi versus conjuocti sint, præter cognationem materiæ, quæ eos huc vindicavit, et absurditatem sententiæ, quæ ex alteris sedibus sollicitavit, argumeoto erit paraphrasis Firmici. Nam fortasse sciolis quibusdam mirnm videri posset.

357. *Tutelamque gerent populi.* Firmicus : « cura illis populi credetur ». Hoc est, patroni municipiorum. In veteribus inscript. PATRONO MVNICIPI.

359. *Arcitenens quum se.* Ait in tricesima parte Sagittarii Cycoum oriri. In finiture barbarico temporibus Manilianis oriebatur a XXII Libræ ad XXVII Sagittarii. Non erravit ergo. Viderit astrologia Bonincontrii, quæ uriri facit in grad. 28, 36′ Aquarii. Quod huc monstrum astrologiæ?

Ter decuma sub parte feri, formantibus astris,
Plumeus in cælum nitidis Olor evolat alis:
Quo surgente trahens lucem, matremque relinquens,
Ipse quoque aerios populos, cæloque dicatum,
Alituumque genus, studium censusque vocabit.
Mille fluent artes, aut bellum indicere mundo,
Et medios inter volucrem prensare meatus :
Aut nidis damnare suis, ramove sedentem,
Pascentemve super surgentia ducere lina.
Atque hæc in luxum : jam ventri longius itur,

360. *Ter decuma sub parte.* Paraphrastes Firmicus oscitanter legens, scribit: « In Sagittarii parte decima oritur Cycnus ».

361. *Plumeus in cælum.* Cycnum asterismorum Arabes vocant Gallinam. Ejus ortu nascuntur aucupes, aut qui aves humanam loquelam doceant, aut varium avitium nutriant, et ex eo compendia nanciscantur.

364. *Alituumque genus.* Nondum in usum venerat aucupium accipitrinum, quo olim nobilitas nostra utebatur. Græci recentiores vocarunt ἱεραχοσόφιον, ut canum institutionem κυνοσόφιον, utrique rei libri dicati exstant in quibusdam bibliothecis. De ejus rei vetustate quædam notat Sc. in Adpend. Virg. Firmici quoque temporibus tali quid in usu erat. Vid. lib. V, cap. 8. — De venatione avium in aere et de variis auctoribus rei accipitrariæ conferatur luculentissima præfatio ad fragmenta et carmina de Aucupio, huj. nost. operis, tom. I, p. 180, seq. Ed. — Huetius refingit : *Alituum genus in studium censusque. Que* enim est supervacuum. Ed.

365. *Aut bellum indicere mundo.* Innumeris locis mundum accipit pro cælo, item pro Deo ipso, atque adeo pro providentia.

367. *Aut nidis damnare suis, ramove sedentem.* Adstipulatur Gemblacensis, ne una quidem literula minus. — *Aut nidis damnare.* Damnare suis nidis, h. e. exsuere, spoliare, antique dictum. Lucilius : « Cassiu' Caius hic operariu', quem Cephalonem Dicimu' sectorem, furemque, hunc Tulliu' quidam Judex hæredem facit : at damnati alii omnes ». Hoc est, exsuti, exhæredati. Nonius. — B. reponit : « aut nido captare suo », male, ut opinor. *Damnare* est verbum Oppiani. Ed.

368. *Pascentemve super surgentia ducere lina. Ducere*, verbum aucupiale.

369. *Jam ventri longius itur. Ventri itur*, in ventri gratiam. Sic *tibi luditur.* Eodem modo *militiæ itur* dixit, id est, bello gerendo. Sic etiam conviviis militare dixit Drepanius Pacatus Nitiobrix in suo divino Panegyrico : « infami delectu scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse conviviis ». Ire ventri, et militare conviviis eadem

Quam modo militiæ. Numidarum pascimur oris,
Phasidos et damnis : arcessitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta est æquore pellis.
Quin etiam linguas hominum, sensusque docebit
Aerias volucres, novaque in commercia ducet,
Verbaque præcipiet naturæ lege negata.
Ipse Deum Cycnus condit, vocemque sub illo:

figura, et quidem de eadem re dictum, ut possit videri interpres Manilio fuisse.—Scal. distinguit *At quæ hæc? in luxum jam*, etc. Quam minuta sunt hæc, præ luxuria hodierna. Immo hæc, Phasianos et aves Numidicas captare, ipsam hodiernam luxuriam constituunt. Captabit, inquit, aves, non quas comedat, sed quas vendat: non in victum suum, sed in luxum alienum. Ed.

370. *Quam modo militiæ. Numidarum pascimur oris*, etc. At quæ hæc, si luxum spectes, in quem hodie delabimur omnes? Ecce ventri impleudo longius itur, quam vix modo militandi caussa profecti sumus. Nam ab ultimis Numidis Numidicas gallinas, a Colchia Phasianas petimus. Lectio Gembl. hæc vult. — *Quam modo militiæ.* Tò *modo* tangit nuperam Romanorum in Phasidos partes irruptionem, aut in alias terras longinquiores. Plane est, quod dixit Seneca, Consolatione ad matrem : « Dii Deæque istos perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. Ultra Phasin capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat : nec piget a Parthis, a quibus pœnas nondum repetiimus, aves petere ». Omnino Manilium ad verbum explicant.

371. *Phasidos et damnis.* Quid propius ad corruptam lectionem vulgatam accedit? Sed G. aliquid monstri alit : legitur enim ibi, « Phasidos aut dulcis ». Lego « Phasidos aut lucis », quod sequitur B. Nam Phasiani in silvis vescuntur. Sed priorem emendationem retinemus. Potest etiam legi : « Phasidos et pullis ». Nam non multum receditur a vestigiis lectionis scriptæ.

372. *Novo... æquore.* Bentl. vult *remige pellis.*

374. *Novaque in commercia.* Et ita Gemblacensis. Aves docentur habere commercia cum hominibus, quando loquelam humanam edocentur. Sequentia interpretantur, et præcedentia non minus. — *Quin linguas hominum.* Martial. lib. XIV, LXXIII, 1 : « Psittacus a vobis aliorum nomina discam ». Idem lib. III, XCV, 1 : « Numquam dicis ave, sed reddis Nævole semper Quod prior et Corvns dicere sæpe solet ».

376. *Ipse Deum Cycnus condit, vocemque sub illo Non totus volucer.* Quam hæc diversa a vulgatis? Ut Taurus Europæ non totus taurus, sed aliquid adhuc repræsentans de Jove in eo latente, ita et Cycnus non totus volucer pingebatur, ut cognosceretur Jupiter in eo conditus. Cycnum enim κατηςερισμένον esse illum, in quem Jupiter conversus cum Leda concubuerit, satis

Non totus volucer, secumque immurmurat intus.
Nec te prætereant, clausas qui culmine summo
Pascere aves gaudent Veneris, et reddere cæcas
Aut certis revocare notis, totamque per urbem
Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas,
Quorum omnis parvo consistit passere census.
Has erit et similes tribuens Olor aureus artes.

sciunt, qui Hyginum, Germanici scholiastem, et Theonem Arati interpretem legerunt. Nemesim non Ledam alii vocant. Noster Manilius ob Ledæ concubitum cælo receptum dicit in sphæra mundi. — *Ipse Deum condit.* Supra in proœmio: « et Jupiter alite tectus».

377. *Non totus volucer.* Nondum enim ita totus cycnus, ut non conditus in eo Jupiter adpareat. Sic Stat. lib. IV Thebaidos Cadmum et Harmoniam non ita totos homines inducit, ut non serpentes etiam ostendat: « Primus sanguineo submittit inertia Cadmus Ora lacu: juxtaque virum Cythereia proles. Effluit amborum geminus de vertice serpens ».

379. *Et reddere cæcas.* Palumbes et turtures altiles cæci fiunt opima fartura: ac tunc coquo destinantur, et ex aviario in culinam descendunt. Ita intelligerentur Altiliarii. Glossæ: *Altiliarius*, ὀρνεοτρόφος. Sed hic non hoc intelligitur. Excæcari enim dicit ad illicium, ut ex illis fiant illices aves. — Sed *reddere cæcas* ignave dictum videtur, et de aucupio egit Noster vs. 373. Saltem tribus verbis caussam reddidisset, cur excæcentur aves; at sequentia minime consentiunt. Quomodo enim cæcæ revocari certis notis potuissent. Hinc B. reponit: « Pascere aves Veneris gaudent, et credere campo, Ac certis, etc. » i. e. Has tamen sinunt liberas in campo pastum quærere, et sciunt quum volunt eas notis et sonis domum revocare. Nemes. Ecl. II, de Luscinia: « Quæ licet interdum contexto vimine clausa, Quum parvæ patuere fores, ceu libera ferri Novit, et agrestes inter volitare volucres; Scit cursus remeare domum ». Ed.

381. *Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas.* Quales multæ hodie in Oriente instituuntur columbæ ad jussa paratæ, præsertim ad literas in longinqua terrarum deferendas: res nobis Europæis ultra captum credulitatis nostræ, sed tamen verissima, et veteribus Romanis usitata; cujus exemplum habes apud Plinium in columba Decimi Bruti, obsidione Mutinensi. In veteri jure Judaico, inter eos, qui testes esse non possunt, ponuntur etiam aleatores, et ii, qui columbas volare faciunt. Hoc ita fiebat, fitque hodie. Quidam instituit columbam emissam ad se redire: ei rostrum moscho linunt: eam multæ aliæ columbæ sequuntur. Est enim ea avis moschi appetentissima. Estque ars inter illas inter se blandiri et corrumpere alias, furtoque comitatiores reverti, ait Plinius. Qui igitur hoc artificio alienas colum-

Anguitenens magno circumdatus orbe Draconis,
Quum venit in regione tuæ, Capricorne, figuræ,
Non inimica facit serpentum membra creatis.
Accipiunt sinibusque suis, peploque fluenti,
Osculaque horrendis jungunt impune venenis.
At quum se patrio producit ab æquore Piscis,

bas furantur, merito a dicendo testimonio repelluntur. Ejusmodi erat et Muhammedis impuri Pseudoprophetæ columba. Samaritani in suo Chronico Josuæ duci columbam administram adtribuunt, sed divinitus, ut ipsi aiunt, non autem humanis magisteriis edoctam. Hic vero non de columbis intelligitur, sed passeribus; cujusmodi nos vidimus obsequentiores et paratiores ad jussa herilia, quam ullus canis venaticus institui possit.

384. *Anguitenens.* Ait oriri in primis partibus Capricorni Ophiuchum, qui tamen supra finitorem barbaricum sæculo Manilii oriebatur ab VIII Scorpii ad VIII Sagittarii, hor. 2, 15'. Vide quam sibi similis est in hallucinatione. Qui Ophiucho oriente nascentur, Marsi erunt, hoc est, serpentum incantatores. Veneficos vocat vetustissimum Martyrologium in passione S. Victoris militaris Emeritensis, IX Kal. Aug. «Serpentes a venefico immissi». Ab eo ψυλλεῖαι videntur dictæ Ptolemæo lib. IV, condimenta, aut pharmaca, quæ Agyrtæ vendebant, qualia sunt illa, quæ viperarii Itali, qui *Ciarlatani* vocantur, circumferunt. Cinna: «Somniculosum ut Pœnus aspidem Psyllus».

385. *Quum venit in regione.* Ἀρχαϊκῶς. Cicero: «veni in Senatu». Sic Scalig. sed qui sit Cic. locus, non recordor. Conf. ad Att. XI, 24, *venisti in sermone.*

386. *Non inimica feret.* Ita ille in primo Sil. Ital. I, 411: «Nec non serpentem diro exarmare veneno Doctus Athyr, tactuque graves sopire chelydros, Ac dubiam admoto sobolem explorare ceraste». Hoc autem genus hominum vel ita natum erat, quales Psylli in Africa, Marsi in Italia, Ophiogeoes in Asia: vel ita docti, ut qui incantationibus hoc præstabant, quales intelligit Manilius, cujusmodi etiam viperarii sunt in urbe Pictaviensi in Aquitania. His adde, qui annulos adversus serpentes gerebant. Sed hos annulos non solum adversus morsus serpentum, sed et ad omnes dolores, cephalalgiam, et tormina adhibebant. Antiphanes meminit cujusdam Phertati, qui drachma vendebat illos annulos, ut Eudamus alius memoratur apud Aristophanem. Samothracii annuli aurei capite ferreo nihil aliud erant, quam antidota. Vide Plinium et Isidorum. Ferreos omnino videtur facere Lucret. VI, 1042: «Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi».

387. *Accipiunt.* Gembl. *accipient*, et versu proximo pro *jungunt* libb. omnes *jungent.* Et sic Bentl.

389. *At quum se patrio producit ab æquore Piscis.* Non designat qua parte Capricorni oritur Piscis au-

In cælumque ferens alienis finibus ibit,
Quisquis erit tali capiens sub tempore vitam,
Litoribus, ripisque suos circumferet annos,
Pendentem et cæco captabit in æquore piscem,
Cumque suis domibus concha valloque latentes
Protrahit immersus : nihil est audere relictum.
Quæstus naufragio petitur, corpusque profundo

strinus, seu notius. Sub hoc nascuntur piscatores, urinatores, et margaritariarum piscatores concharum. Male hunc piscem Delphinum vocat vetus paraphrastes Firmicus, immemor de Delphino alibi a Manilio referri. Iste Piscis, qui dicitur major Piscis, itemque notius, et aquam ab urna Aquarii defluentem deglutit, incipit emergere hodie supra finitorem barbaricum cum VI parte Piscium, temporibus Manilii, cum XIII Aquarii. Totus exstat supra finitorem hodie cum XXX Piscium, sæculo Manilii cum VII Piscium. Erravit igitur Noster, qui cum Capricorno oriri facit. — *Producit.* Vett. omnes *producet.* Ita B.

390. *In cælumque ferens.* Si mendum non est, videtur τὸ *ferens* esse *exoriens*, ut supra : « Ara ferens turis stellis imitantibus ignes ». — Possit melius repeti *se. Ferens se in cælum*, ut supra, v. 157 : « Jam vero Geminis fraterna ferentibus astra In cælum ». Ed.

394. *Concha valloque latentes Protrahit immersus. Latentes*, piscea intelligendum. *Suis domibus* adpositive *concha valloque*, unum per duo. Maniliane, concharum vallo. *Immersus*, urinando. Infr. 396, « corpusque profundo Immissum pariter, quam præda exquiritur ipsa ». *Protrahit*, lege *Protrahet*, ut *captabit*. — *Cumque suis domibus.* Intelligit concharum margaritariarum piscatores, qui urinando se in profundum mittunt ; ut hodie fit in mari Persico, præsertim ad insulam Baharem navigationibus Lusitanorum nobilem. Androsthenes scribebat in Periplo Indiæ ab orientalibus populis concham margaritariam Βέρβερι vocari : quam vocem puram putam Æthiopicam esse certo scimus. Interea satis mirari non possum, quare Garcias ab Horto medicus proregis Indiæ, qui Arabicam linguam scire profitetur, scribit Lusitanam vocem esse *Aljofar*, quod ita Lusitani margaritam vocent, et pura vox sit Arabica in Hispanicum idiotismum, ut solet, deflexa. Arabes enim vocant *Aljohar*. Hispani vero more suo aspirationem in digamma Æolicum mutarunt.

396. *Corpusque profundo Immissum.* Potest accipi, corpus immersum tam exquiritur, quam præda ipsa. Sed sunt mancipia, aut vilissima capita, quibus ad eam piscationem utuntur, dixerit aliquis. Verum est : sed tamen pretio humanæ vitæ ipsa præda exquiritur. Nam, inquit, merces laboris tanti parva est. Hoc est, nulla mercede tantus labor exquirendi margaritas penaabilis est : vel potius : tanti sunt urinatores ipsi, quam præda ipsa :

Immissum pariter quam præda exquiritur ipsa.
Nam semper tanti merces est parva laboris.
Censibus æquantur conchæ, rapidumque notari.*
Vix quisquam est locuples : oneratur terra profundo.
Tali sorte suas artes per litora tractat,
Aut emit externos pretio, mutatque labores
Institor æquoreæ varia sub imagine mercis.
Quumque Fidis magno succedunt sidera mundo,
Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,

quod rari sint, qui periculo vitæ suæ profundo velint immergi. Ideo care homines conduci, qui in fundum maris penetrent. Vilissima, ut dixi, capita margaritas ab ipso profundo evellere cogit adhibitis flagris avaritia Lusitanica. Manilius autem, qui tanto periculo extrahi clamat, respexit ad fabulam vulgi peregrina et longinqua semper in majus augentis. Quod periculosum sit digitum in hiantem concham immittere, et non levis dolor inde consequatur, scimus ex navigationibus Orientalibus hodiernis, sed mortis necessitas est a teratologia Græculorum. Plura, non tantum eadem, invenies apud Plinium. Omnes urinatores piscandi caussa, aut ex profundo extrahendi Ælianus vocat τοὺς ἐν ταῖς ὑδροθηρίαις ὑποδυομένους lib. II, XLIV Animal.

397. *Pariter quam præda* pro *pariter ac*. Sed forte *pariter cum præda*.

398. *Nam semper tanti*. Hæc absona videntur. Si enim conchas fundo extractas censibus et totis patrimoniis vendunt, quomodo parva est laboris merces? Melius *Nec semper*. Ed.

399. *Rapidumque notari*. Locus depravatissimus. Transiit Scalig. locum ut desperatum. Itaque asterici notam adposui. Gemblacensis legit : « rapidumque notari Vix umquam est locuples ». Fortasse hoc vult : vix umquam sat est divitem raptorem notari, et prædatorem, nisi terram ipsam, quam aliis abstulimus, oneremus præda maris. B. hunc versum non tangit.

402. *Aut emit externos pretio*. *Externi labores* non placent : melius *Aut emit externas*. Nam *suas* artes et *externas* opposita esse quivis videt. Ed.

404. *Quumque Fidis magno*. Mirum est, Manilium aliam a Lyra Fidem facere, quod perinde est, ac si olorem alium a Cycno fecerit. Et profecto tam ille, quam ejus paraphrastes Firmicus ubique produnt inscitiam matheseos, ut et Bonincontrius, qui et ipse non advertit Fidem aut Fideculam eamdem esse cum Lyra, quod alterum Græco, alterum Latino nomine dictum sit. Plinius numquam Lyram, semper Fidiculam vocat. At bis ponit apotelesmata Lyræ Manilius. In Libra oriri fecit sub nomine Lyræ, hic in Capricorno sub nomine Fidiculæ. Igitur, ait Paraphrastes, Lyra oritur in decima parte Capricorni. Judices capitalium rerum nascentur : quæstiones capitales exerce-

Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet tacita latitantia fraude.
Hinc etiam immitis tortor, pœnæque minister,
Et quisquis vero favit, culpamve perodit,
Proditur, atque alto qui jurgia pectore tollat.
Cæruleus ponto quum se Delphinus in astra

bunt. Nascentur etiam tortores, et carnifices, scelerum vindices, rigidi æquitatis amatores. In quibus vanitatem et futilitatem artis vides. Nam et quia Fidicula βάσανον significat, ab eo βασανιστὰς et cruciatores nasci ait. Fidiculis distendere quid sit, notum ex Suetonio: nervi enim erant instar nerviarum Lyræ. At aliud est Fidicula in Martyrologiis. Est enim, quæ aliter ungula ferrea vocabatur, qua latera Martyrum sulcabantur. Isidorus: « Ungulæ dictæ, quod effodiant. Hæ et Fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur ». Sunt qui Catomium in Martyrologiis Latinis fidiculas, aut simile tormenti genus interpretentur; ut in passione S. Afræ: « Catomiis nudam te cædi jubebo ». Sed falluntur. Catomium, vel pluraliter Catomia etymon Græcum quid sit, aperit. Est enim commissura cervicium cum humeris. Significat igitur nudatam in cervice plumbatis cædi. Prudent. « Tundatur, inquit, terga crebris ictibus Plumboque cervix verberata extuberet ». Alium sensum habet in vetustissimo Martyrologio, XIV Kalend. Decemb. « Catomo eum suspendi ac verberari ». Nam ibi Catomo suspendi est capite deorsum, sive cervice deorsum suspendi: quod idem Martyrologium dixit « Capite deorsum suspendi », prid. Id. Mai. Certe Laberius dixit tollere in Catomium, quod Plautus capite sistere: « bona fide Tollet vos Orcus nudas in Catomium ». Quo quid fœdius mulieri? Sed ad rem. Si igitur Fidicula est βάσανος Latinis, at Græcis λύρα vel χέλυς non est. Ergo Romæ ortu Fidiculæ tortores nascentur, non in Græcia. Nugæ meræ sunt.

406. *Qui commissa suis rimabitur argumentis*. Vox propria in hac re. In pervetusto Martyrologio in Euphemiæ passione, XVI Kal. Octobr. « Post verbera et argumenta rotarum ».

407. Gembl. et tres vett. « tacita latentis fraude ». Haud dubie scribendum *latitantia*. Bentl. *lætantia*. Virg. Æn. VI, 568: « furto lætatus inani ».

410. *Proditur. Hinc proditur*, explicant *hinc producitur*. Sed nusquam alias auctor sic loquitur. Subaudiendum *Hinc veniet*, et legendum *Proditor*, i. e. index, qui culpam odit et defert. Ovid. Amor. II, 8: « Quod si stulta negas, index ante acta fatebor Et veniam culpæ proditor ipse meæ ». Ed.

411. *Cæruleus ponto*. Anteponit hæc paraphrastes Firmicus, et ait Delphinum octava parte Capricorni oriri. Sæculo Manilii oriebatur a XVII parte Sagittarii ad II Capricorni, hor. 0, 12', supra finitorem barbaricum. Bonincontrius dicit in quinta parte Aquarii oriri. Sed et alibi imperitiam suam satis profi-

Erigit, et squamam stellis imitantibus exit,
Ambiguus terræ partus, pelagoque creatur.
Par ex diverso studet et sociatur utrumque
In genus, atque uno digestum semine surgit.
Nam velut ipse citis perlabitur æquora pinnis
Nunc summum scindens pelagus, nunc alta profundi,
Et sinibus vires sumit, fluctumque figurat:
Sic, venit ex illo quisquis, volitabit in undis,
Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plausa resonabit aqua : nunc æquore mersus,
Deducet palmas, furtivo remus in ipso*

tetur. Oriente Delphino nascuntur natatores, urinatores, petauristæ, cursores velocissimi.

412. *Erigit.* Adtollit se supra finitorem : nisi *exigit* legendum sit, quod valde placet. — *Et squamam stellis imitantibus exit.* Quid? aquamæ Delphino? Non possum excusare, nisi dicam fortasse aliquando squamatum Delphinum ab imperitis vulgo pingi. Quatuor tantum stellarum, quæ rhombum constituunt, meminit Aratus, cætera dicit esse obscura, ut et Cicero in juvenili paraphrasi : « At pars inferior Delphini fusca videtur ».

413. *Ambiguus terræ.* Sane post hunc versum revocandi sunt duo, qui infra obtorto collo in locum alienum intrusi erant : « Ambiguus terræ partus pelagoque creatur. Par ex diverso studet, etc. » quos Bentl. posuit post versum 435, qui nobis 432. Et eos sic emendat : « Par ex diverso studium sociatur utrumque In genus, atque uno digestum semine surgit ». Intelligit de natatoribus et urinatoribus. Sed quis non videat horum versum has esse proprias sedes, ut alienas, ubi erant antea? Par quiddam, inquit, ex diverso studet Delphinus et sociatur in unum genus. *Studet*, φρονεῖ. Nam ambiguum vitæ est, terrenæ et maritimæ.

418. *Et sinibus vires sumit.* Hoc vix intelligitur. Forte *sinibus gyros glomerat;* Noster enim solet eamdem rem variare. Infra, vs. 636 : « Hic glomerabit equo gyros ». Ed.

420. *Nunc alterna.* Edd. habent *Hinc,* unde B. *Hic.*

422. *Deducet palmas furtivo remus in ipso.* Quid est, homo remus deducet palmas in ipso furtivo? Scal. adfirmat ineptum et supposititium versum esse, et scribendum : « nunc æquore mersus, Nunc in aquas rectus veniet ». Et sic interpretatur : Nunc æquore mersus est urinator, nunc in aquas rectus », quasi vestigiis ac plantis aquæ insistens, et maris superficiem perambulans : quod ex illis adparet : « Aut vada mentitus reddet super æquora campum ». — Hæc autem sic refingit B. « Nunc æquore mersas Diducet palmas, furtivus remus in ipso ». Ovid. Heroid. XVIII, 215 : « remis ego corporis utar ». Ed.

Nunc in aquas rectus veniet, passimque natabit,
Et vada mentitus reddet super æquora campum.
Aut immota ferens in tergus membra, latusve
Non onerabit aquas, summisque adcumbet in undis,
Pendebitque super tutus sine remige. Votum est,
Illis in ponto jucundum est quærere pontum,
Corpora qui mergunt undis, ipsumque sub antris
Nerea, et æquoreas conantur visere Nymphas,
Exportantque maris prædas, et rapta profundo
Naufragia, atque imas avidi scrutantur arenas.
Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, quæ valido saliunt excussa petauro,

423. *Passimque natabit.* Sed *passim* oibil adtinet ad erectam natationem. Vett. babent *passumque.* Legendom *passuque*, i. e. ita æquore natabit, qoasi passu super terram incederet. Ed.

425. *Aut immota ferens in tergum.* Gemhlaceosis habet *in tergus*, quod est familiarins Manilio, qoam *tergum*, ut passim patet, et dedit Bentleios.

427, *Tutus sine remige. Votum est*, etc. Hæc frigida suot. Lips. et Voss. habent *totum* pru *tutus*, unde B. conjicit: « Pendebitque soper: totus sine remige velnm est. Illis, ete. » Sicut eoim supra, 422, erat remus furtivus; ita nunc contra diverso natandi modo, velum est sine remo. *Quærere pontum in ponto* sequentia explicant. Non contenti summo æquore in imom se immerguot. Ed.

428. *Illis in ponto jucundum est quærere pontum.* Qoid est quærere pontum in ponto? Looge aliter Gemhl. quem sequimur. Repetendom vero τὸ *Ex illo.* Ex illo sidere illi sunt, qoi corpora immerguot: et quibns votum est io ponto: qua ellipsi non raro otitnr.

429. *Corpora qui mergunt.* Hos urinatores Firmicus in paraphrasi Sphæræ barharicæ videtur *orciscopalarios* vocare. Sed leviter immntatum poto et orciscopularios legendum. Orci scopuli cæci et soh mari latentes, nt orci galea latens, aut quæ latere facit. Suot igitur orciscopularii, qui maris latentes scopolos explorant. Horciatipolis legebatur in præclaro Notarum libro, in quo prius nota, deinde interpretatio notæ posita erat. Antecedebat nota, quæ significabat Hypocaustum. Sed quid hoc ad nrinationes?

431. *Exportantque maris prædas.* Talea describit Nasamooes Silius Italicus, Punic. lib. III, 320: « Hinc coit æqooreus Nasamon, invadere fluctu Aodax nanfragia, et prædas avellere ponto ».

435. *Elatus et ille.* Rota in snblimi posita a doobus versabatur: alter superne, alter inferne oitebator. Ita fiebat, ut alternis dejecti nuoc pendereot, nunc erecti sedereot. Per

Alternosque cient motus : elatus et ille
Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille.
Membrave per flammas, orbesque emissa flagrantes

eamdem rotam etiam corpora contento saltu subjecta trajiciebant. Martial. XI, XXI, 3 : « Quam rota transmisso toties intacta petauro », vel *intacta*, quod melius. Similis huic erat lusus, qui dicebatur σκαπέρδα, sive Oscilla. Nam in fune per arrectarium tignum trajecto idem fiebat, quod hic in rota. Gallice *balançoire, escarpolette*. Ed.

435. *Elatus et ille*, etc. *Delatus* libb. omnes : pro *nunc* Voss. *hunc*. Gemblac. *huc*. Scilicet *huc delatus*. Aliud agebat Scalig. quum *elatus* reponeret. Quomodo enim *elatus jacet?* Bentl.

437. *Membrave per flammas*, etc. Flammæ vero istæ erant in pegmate, quod in Circo inducebatur. Claud. Carm. XVII, 325 : « Mobile ponderibus descendat pegma reductis; Inque chori speciem spargentes ardua flammas Scena rotet, etc. » Descendere pegma ponderibus reductis dixit Claudianus, quia solubile esset : quod nihil aliud erat, quam contabulatio, quæ sponte sensim surgebat, et dissolvebatur : quo adludit Phædrus lib. V, VII, 7 : « Dum pegma rapitur, concidit casu gravi ». Inde Suetonius hæc duo conjungit, pegma et automaton. Pegmati impositi gladiatores depugnabant; qui ejus contabulationis scansione statim erecti in conspectum veniebant : quo nomine pegmares gladiatores Suetonio dicti. Sed quos non solum ad ferrum damnabant, sed et perire volebant, ii pegmati impositi, machinamento sponte soluto, in caveam ferarum præcipites dabantur. Unde intelligitur quid velit Mart. Spect. II, 2 : « Et crescunt media pegmata celsa via ». Sursum enim motu machinarum paullatim crescebant, et statim soluta concidebant. Senec. Epist. LXXXIX : « His adnumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia, et alias ex inopinato voluptates, aut dehiscentibus, quæ cohærebant, aut his, quæ distabant, sua sponte coeuntibus, aut his, quæ eminebant, paullatim in se residentibus ». In his igitur pegmatis ignes accendebantur, per quos Petauristæ membra strenue transmittebant, ut ex Claudiano aperuimus, et his nostris patet : « Membraque per flammas, orbesque emissa flagrantes ». Pegmares flammas intelligit. Vopiscus in Carino : « Pegma cujus flammis scena conflagravit ». Hoc autem omne genus hominum Firmicus designat lib. IV, cap. 15 : « Faciet auctores audaces periculosos ». Græcus scriptor, unde hausit, procul dubio habebat, ποιήσει αὐθέντας, παραβόλους, παρακεκινδυνευμένους. Sed stulte αὐθέντας auctores vertit. Non enim semper auctorem designat, sed et homicidam. Firmic. vero non solum hic, sed etiam alibi tam hellenismi, quam astrologiæ se imperitum prodit. Nam quos Græcos auctores artis vertebat, eorum neque verba, neque artem adsequutus est. Porro simile mendum invenies lib. III, cap. 5 : « Faciet enim laboriosos, homicidas, sceleratos, reos

Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis.
Delphinumque suo per inane imitantia motu
Et viduata volant pennis, et in aere ludunt.
At si deficient artes, remanebit in illis
Materies tamen apta: dabit natura vigorem,
Atque alacres cursus, campoque volantia membra.
  Sed regione means Cepheus humentis Aquarî
Non dabit in lusum mores: facit ora severa:
Frontes ac vultus componit pondere mentis.
Pascentur curis, veterumque exempla revolvent

facinorum, inventorum auctores, vel tortores, ubi aut carnifices». Legendum, «reos facinorum, auctores, vel tortores«. Hic quoque αὐθέντας pari errore auctores vertit.

438. *Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis.* Scalig. tentat «Molliter ut per humum, liquidis ponuntur in undis». Ponuntur membra per flammas et undas tam molliter, ac si ponerentur in humo. Ne intellige de petauro. Flammarum enim istarum mox meminit.

439. *Delphinumque suo per inane,* etc. Volant per inane sine pennis et in aere ludunt imitantia delphinum suo motu. — *Delphinumque suo.* Hos Firmicus vocat ephalmatores, quod saltu corpera jacularentur: ἔφαλμα, saltus in sublime.

440. *Et v. volant pennis.* Claud. Carm. XVII, 320: «Vel qui more avium sese jaculantur in auras, Corporaque ædificant celeri crescentia nexu, Quorum compositam puer amentatus in arcem Emicet, et vinctus plantæ, vel cruribus hærens Pendula librato figat vestigia saltu». Planum est, quod dicit Claudianus: alium alius humeris rectum insistere, donec ex multis hominibus quasi arx exædificetur: tunc puer contento saltu super ultimum sese subjiciebat, quod non semel a thymelicis fieri vidimus. Firmicus petaminarios videtur vocare, verbo Latine detorto ex Græco πετάμενος, volans. Dixit enim Claudianus: «Vel qui more avium sese jaculantur in auras»; et Noster: «Et viduata volant pennis». Petaminariorum mentionem habes apud Christianissimum scriptorem Salvianum episcopum Massiliensem libro VI de vero judicio et providentia Dei: «Et quidem quia longum est nunc dicere de omnibus amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæterisque portentis, quæ piget dicere, quia piget vel malum tale noscere: de solis circorum ac theatrorum impunitatibus dico».

444. *Sed regione means.* Firmicus ait Cepheum oriri in sphæra barbarica cum XV Capricorni. Sed caput ejus tantum oriri et occidere in finitore Græco testatur Hipparchus. Aitque oriri a XXVII Scorpii ad VI Sagittarii. Sed sæculo Manilii oriebatur XX Scorpii supra finitorem

Semper, et antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutorisve supercilium, patruive rigorem.
Componet teneros etiam qui nutriat annos,
Et dominum dominus prætextæ lege sequatur.
Quodque aget, id credat stupefactus imagine veri.
Quin etiam tragico præstabunt verba cothurno,
Cujus erit quamquam in chartis stylus ipse cruentus.
Nec minus et scelerum facie, rerumque tumultu
Gaudebunt : atri luctum memorare sepulcri,
Ructantemque patrem natos, Solemque reversum,
Et cæcum sine Sole diem. Thebana juvabit
Dicere bella uteri, mixtumque in fratre parentem:
Quærere Medeæ natos, fratremque, patremque :

barbaricum juxta intersectionem meridiani et horizontis. Multum igitur tam Manilium, quam Firmicum falli necesse, qui cum Aquario orientem faciunt. Quid de Bounicootrio dicam, qui bariolatur oriri cum extrema parte Piscium? — *Sed regione means*. Qui oriente Cepheo nascuntur, erunt severi, superciliosi : etiam pædagogi, tragœdi, comœdi, histriones, pantomimi.

448. *Et antiqui laudabunt verba Catonis*. Ad verbum Firmicus: « qui etiam Stoicam sectam vero sequantur adfectu. Tales enim apud Veteres fuerunt Catones ».

451. *Et dominum dominus prætextæ lege sequatur*. Gemblac. *prætexta*. Dictum, ut prætextæ comœdiæ, id est, prætextatæ Horatio. Sed *prætextæ* retineo. Servus pædagogus ratione disciplinæ est dominus domini sui. Docet enim herilem filium dominum suum. Itaque *prætextæ lege*, est jure ætatis. Est enim adhuc puer, donec togam puram sumpserit.

452. *Quodque aget, id credat stupefactus imagine juris*. Quæ sit mens hujus versiculi dicerem, si huc pertineret. Nam profecto hic locum non habet. Recoque, versa in incude tenaci forcipe: numquam sensum huic loco accommodum ex eo erues. — Scal. et hunc versum post 480 infra removet. Sed B. et Fay. hic illum servant. Libb. vett. habent « Quodque agit hic credat stupefactus imagine juris ». Scal. *credes*. . .*imagine veri*. Gronov. Obs. II, 11, explicat : Cepheus componet pædagogum, qui *dominus* constitutus heri jussu, sequatur dominum herilem filium; et interim se credat revera dominum domini esse, superbiens imagine juris sibi pro tempore tantum commissi. En.

456. *Atri luctum memorare sepulcri*. Antigonæ. Vise tragœdiam apud Sophoclem. Sed hæc cuicumque funeri conveniunt. B. reponit *vivi bustum memorare*, ut Thyesten intelligat. Lucret. V, vs. 991 : « Viva videns vivo sepeliri corpora busto ».

460. *Quærere Medeæ natos*. Tò

Hinc vestes, flammas illinc pro munere missas,
Aeriamque fugam, vectosque ex ignibus annos.
Mille alias rerum species in carmine ducent.
Forsitan ipse etiam gestus referetur in actus.
At si quis studio scribendi mitior ibit,
Comica componet lætis spectacula ludis.
Ardentes juvenes, raptasque in amore puellas,
Elusosque senes, agilesque per omnia servos,
Queis in cuncta suam produxit sæcula vitam
Doctor in urbe sua linguæ sub flore Menander,
Qui vitæ ostendit vitam, chartisque sacravit.
Et, si tanta operum vires commenta negarint,
Externis tamen aptus erit nunc voce poetis,
Nunc saturo gestu; referetque adfectibus ora,
Et sua dicendo faciet; solusque per omnes
Ibit personas, et turbam reddet in uno:
Aut magnos heroas aget, scenisque togatas.

Quærere ex persona Jasonis interfectos a Medea natos quærentis et desiderantis. Nam qui non sunt amplius, dicuntur quæri: quod frequens in hebraismo. — Sed non est Jasonis quærere Absyrtum fratrem, et patrem Æetam. Reponit B. *Quin et Medeæ*, i. e. quin et juvabit dicere Medeæ natos, etc. Ed.

462. *Vectosque ex ignibus annos.* Huet. mavult *vectosque ex ignibus angues*. Sed Medea non erat in domo Creontis, quum ea conflagravit. Bentl. reponit *junctosque in curribus angues*. Ed.

464. *Gestus referetur in actus*, h. e. mimus erit, aget fabulam. Erit non solum poeta tragœdiarum, sed etiam mimus. — Pro *gestus* Voss. *Cefeus*, unde B. *Cepheus*. Scil. Cepheus erit ipse dramatis argumentum. Ed.

470. *Doctor in urbe sua.* Olim *Doctior orbe suo.* Aristoph. Gramm. dubitat utrum Menander vitam, an vita Menandrum docuerit.

471. *Qui vitæ ostendit vitam.* Amore solum vivere nos dicit. Mimnermus et alii. Pleni sunt libri. — *Cursusque sacravit.* Et hoc quoque ab interpolatoribus. Gemblac. *carusque sacravit.* Nempe male adsequutus est scripturam archetypo *cartisque sacravit*, i. e. *chartisque*.

473. *Externis tamen.* Vetustissimus codex Susianus a Burmanno citatus habet *Hesternis*. Sed Heinsius præfert *Æternis*. Marcilius *Externis*, perperam. Nihil vero mutandum. Ed.

474. *Nunc saturo gestu.* Pro *saturo* G. et Lips. *tanto.* Voss. *tacito. Tacito gestu*; pantomimus, quales Pylades et Bathyllus. Ed.

Omnis fortunæ vultum per membra reducet,
Æquabitque choros gestu, cogetque videre
Præsentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem.
Nunc Aquilæ sidus referam, quæ parte sinistra
Rorantis Juvenis, quem terris sustulit ipsa,
Fertur, et extentis prædam circumvolat alis.

478. *Per membra reducet.* Per gestus et ὑπόκρισιν· ut supra dixit *saturo gestu*. Nam per saturum gestum παντόμιμον ὑπόκρισιν intelligit. Saturum est verbum scenicum, quod ad diversimodum actum et gestum pertinet. Sic satura omnigeni argumenti poesis. Cave legeris *satyro gestu;* ut satyras Lucilii et Horatii per y psilon scribendas putes: neque in hoc doctissimis tam Veterum quam Recentiorum credideris, qui σατύρους καὶ σατυριάσεις Græcorum somniant. Nam satura, seu satira, ut maxumus, maximus, aliud est. Quid sit pantomimus, designat Cassiodorus libro primo Variarum, ad Albinum et Albienum: « Hanc partem musicæ disciplinæ mutam nominavere majores: scilicet quæ ore clauso manibus loquitur, et quibusdam gesticulatiouibus facit intelligi; quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu possit agnosci ». Claud. Carm. XVII, 313: « Qui gestu manibusque loquax ». Primus omnium in scenam Romanam prodiit pantomimus Pylades ab Augusto ex Asia evocatus. Quod præter alios, duo hostes nominis Christiani testantur, Lucianus et Zosimus.

480. *Præsentem Trojam.* Post hunc vs. immittendum censet Scal. quem supra servavimus: « Quodque agit, id credes stupefactus imagine veri ». — Gemblac. habet *agit*, quod melius quam *aget;* quamquam parvi refert, *credes* pro *credet*, *veri* pro *juris* legimus. Non interpretamur. Sententia et puero plana. Si quis negat jure huc translatum hunc versum: et nos negamus jure eum queri, et prius debere æquum animum ad hæc adferre, quam temere de istis judicare, quæ non intelligit, et quibus studio æmulationis infensus est. Non curamus hos malos genios. Hæc Scal. sed vid. not. 452.

481. *Nunc Aquilæ sidus.* Aquila, inquit Firmicus, duodecima parte Aquarii oritur. Sæculo Manilii oriebatur a XXVII Scorpii ad XV Sagittarii, hor. o, 45', supra finitorem barbaricum. Inter veram et Manilianam epochen longa procul longis via dividit invia terris. Aquila oriente nati, cæde humana, spoliis, rapinis vivent. Feras etiam conficient. Contumaces, fortissimi, strenui, armigeri, satellites erunt.

482. *Rorantis juvenis.* Gemblac. *Portantis juvenis.* Aquarius sculptus est in Kalendario rustico Romano humeris urnam bajulans: non tamen puto veram lect. *Portantis.* — *Fertur.* Id est ad verbum ἄηται (a voce passiv. ἄημαι· qua utitur Apoll. Arg. II. Vid. Thes. Ling. Gr.) Arato de eadem Aquila loquenti, ut nos correximus, quum inepte in omnibus libris editum sit ἀήτης· quod alibi monuimus. Cicero eleganter *se portat. At propter se Aqui-*

Fulmina missa refert, et cælo militat ales,
Bis sextamque notat partem fluvialis Aquarî.
Illius in terris orientis tempore natus,
Ad spolia et partas surget vel cæde rapinas.
Quumque hominum dederit strages, dabit ille ferarum:
Nec pacem a bello, civem discernet ab hoste.
Ipse sibi lex est, et qua fert cumque voluntas,

la ardenti cum corpore portat, i. e. ἄπτει, movetur. De motu agili et expedito proprie dicitur, qualis in bene valentibus, ut in satira de eo, cui constabat valetudo : « Et pedibus me Porto meis », hoc est, bene valeo. Quis negat hodie in Gallia non ita loqui? Nam quod est apud Comicum : « Valuistin' usque? Sustentatum sedulo ». Ibi sustentare se est portare se et bene valere, καὶ ἐῤῥῶσθαι. Teutonismus quoque Belgicus proxime ita loquitur. Nam de valetudine sciscitantes dicunt, quomodo vectaris? Ne hoc quidem genus loquendi deest in Latinitate. Nam et in ea quoque vectare se, ut sustentare se est ἐῤῥῶσθαι. Tertullianus de Pudicitia, XII, vertens Epistolium synodicum Apostolorum: « A quibus observando recte agetis. Vectate vos. Spiritui sancto sufficit et hic servatum, etc. » *Vectate vos*, est ἔῤῥωσθε. *Vectare se, portare se*, de optima corporis constitutione dictum. Sane in veteri ante annos septingentos scripto Glossario Latino-Arabico diserte exaratum est : *Vigore, vectione*. Vectio igitur et vectatio idem, et utrumque vigor est. SCAL.

483. *Et extentis prædam circumvolat alis*. Satis longo intervallo dissident a se Aquila et Aquarius. Nam quæ non multum distaret a circulo æquinoctiali et nostro tangeret veterem colurum tropicorum, non potuisse vicinam esse Aquario, satis patet.

488. *Quumque hominum*. Versus, opinor, spurius, sententiam mediam interrumpens. Bentl.

490. *Ipse sibi lex est, et qua fert cumque voluntas*. Alioquin ambiguum esse potest τὸ *Ipse sibi lex est*. Nam qui neminem lædunt ipsi sibi sunt lex. Menander: δίκαιος ἐὰν ᾖς, τῷ τρόπῳ χρήσῃ νόμῳ. Apostolus II ad Romanos facunde hæc exsequitur. Tales sunt Abii, gens Nomadum apud Homer. Iliad. V: Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων, *quorum plaustra vagas rite trahunt domos*, ait Horatius. Tertullianus cap. 42 de præscript. hæreticorum: « Plerique nec ecclesias habent. Sine matre, sine sede, orba fide, extorres, quasi Abii late vagantur ». Abii, Ἄβιοι, sicut omnes veteres Grammatici interpretantur, populus nomas. Itaque omnes sine sedibus et late vagantes abios vocabant, sive justi, sive injusti essent illi. Locus ille Tertulliani vulgo indignissime acceptus est. Nam legitur *quasi sibi late vagantes*. Hæreticos vero illos late vagantes, sine matre, sine sede dicit, quemadmodum contra orthodoxi vocantur in Patrum scriptis, consortes Ecclesiæ; quia scilicet eum systaticis et formatis venientes commercia ecclesiarum habebant,

Præcipitat vires : laus est contendere cuncta.
Et si forte bonis accesserit impetus ausis,
Improbitas fiet virtus ; et condere bella,
Et magnis patriam poterit ornare triumphis.
Et quia non tractat volucris, sed suggerit, arma,
Immissosque refert ignes, et fulmina reddit,
Regis erit magnive ducis per bella minister,
Ingentesque suis præstabit viribus usus.
At quum Cassiope, bis denis partibus actis,
Æquorei Juvenis dextra de parte resurgit,
Artifices auri faciet ; qui mille figuris
Vertere opus possint, caræque adquirere dotem
Materiæ, et lapidum vivos miscere colores.
Sculpentem faciet sanctis laquearia templis,

cui contrarium est illud Tertulliani, *orba fide*, hoc est, sine ulla contesseratione hospitalitatis, ut et ipse Tertullianus alibi loquitur.

491. *Laus est concedere cuncta.* Quid, aut cui concedere? Gembl. *laus est contendere cuncta.* Scripsit Manilius : *laus est contendere contra.* Vere est, qui semper vero se opponit. Nullum aliud genus hominum hodie videas : rari, qui cedant vero, multi qui contendant contra. Qui voluerit retinere *cuncta*, poterit sine ulla absurditate : sed altera lectio est, quam reliquit Manilius.

493. *Et si.* B. *At si*, recte. Ed.

494. *Poterit ornare triumphis.* Vetusti codices habent *poterunt.* B. pro *ornare*, *decorare.* Cic. « Scipiones patriam spoliis triumphisque decorarunt ». Ed.

499. *At quum Cassiope.* Cassiopen cum vicesima parte Aquarii oriri ait supra finitorem barbaricum. Sæculo illo oriebatur a IX Sagittarii ad XVII Capricorni, hor. 2, 15'. Plusquam XXXVII gradibus a vero discedunt hi ortus. Cassiope oriente nati erunt aurifices, bracteatores, inauratores, ut ait Firmicus, cælatores, aurileguli, et qui vasa aurea argenteis, argentea aureis permutent.

502. *Carnique adquirere dotem.* Bonincontrius *carni* interpretatur corpori : neque potuit melius, siquidem putavit lectionem mendo carere. Nos dicimus *carai* scriptum fuisse pro *caræ*, ut supra *nepai* pro *nepæ*. Sunt vestigia illius prisci archetypi.

503. *Materiæ, et lapidum vivos miscere colores.* Ab hoc lege quinque illos versus, quos supra intercepimus, et ab alio loco divulsimus. Nam quid sculptores et plasticarii ad Spicam, qui huc referendi sunt etiam teste Firmico paraphraste ?— *Lapidum vivos miscere colores.* Tessellator et musivarius erit.

504. *Sculpentem faciet.* Inaurabit

Condentemque novum cælum per tecta Tonanti.
Hæc fuerat quondam Divis concessa figura :
Nunc jam luxuriæ pars est. Triclinia templis
Concertant, tectique auro jam vescimur auro.
Hinc augusta nitent sacratis munera templis,

laquearia et tholos templorum. Nam inauratores nasci sub hoc sidere notat et paraphrastes: vel potius, ut Firmicus loquitur, plasticator templorum erit, h. e. plasticis προτομαῖς templum ornabit. Huc pertinet ex Glossis : *Colorator*, ἰνδικοπλάστης.

505. Vid. Excursus III ad calcem hujus libri. En. — *Per templa Tonantis*. Quasi ædes Jovis Tonantis ab Augusto dicata eo opere exculta esset. Nam profecto ad illam ædem adlusit : neque probamus scripturam Gemblacensem, *templa tenaeis*.

508. *Tectique auro jam vescimur auro*. Ædes Deorum dumtaxat olim bracteatæ et deauratæ erant: nunc vero et triclinia nostra. Hoc est, quod conqueritur vetustissimus orator Favorinus apud Gellium libro decimo quinto, capite octavo: « Si pro portione pergit luxuria crescere, quid relinquitur, nisi ut delibari sibi cœnas jubeant, quando stratus auro, argento, purpura amplior aliqua hominibus, quam Diis immortalibus adornatur ». Si, inquit Favorinus, triclinia certant templis Deorum immortalium: quid relinquitur, nisi ut sibi e patella libari dapes jubeant, ut Diis immortalibus et Laribus Penatibus solet? Hic insignis locus depravatissimus exstat apud Gellium. Porro Gembl. habet: « tectique auro jam vescimur auro ». Recte, et non, *vescimur aurum*. Tectis aureis lacunaribus vescimur auro cavo : vasa enim, e quibus cibum sumimus, aurea.

509. *Hinc augusta nitent*. Persequitur tessellata opera templorum. Nam non solum lapidum segmentis pavimenta pingi solita innuit, sed ex margaritis quoque tessellationem quamdam et picturam conciunari, ut et hodie fit; cujusmodi in ædibus sacris, quas Augustus dedicavit, fuisse, cognoscimus ex Suetonio: « Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas refecit, easque et cæteras opulentissimis donis adornavit; utpote qui in cellam Capitolini Jovis XVI millia pondo auri, gemmasque et margaritas quingenties HS una donatione contulerit». Nam ad tessellandum gemmis lacunar, sive tholum ædis Tonantis has gemmas contulisse non dubium est. Arnobius de ædibus sacris : « Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis : splendeant hic gemmæ, et sidereos evomant variata intersitione fulgores: terra sunt hæc omnia, et ex fæce vilioris materiæ concreta ». Quid aliud intelligit per intersitionem gemmarum, quam ψηφοβολίαν καὶ ἐμβλήματα; Picturatio igitur ἐμβληματική multiplex, tessellatio, gemmarum intersitio, orbium in marmora insitio, marmoraria incrustatio, quam Mamertus in eruditissimo Panegyrico suo

Et Mithridateos vultus induta tropæa,
Aurea Phœbeis certantia lumina flammis,
*Gemmarumque Juli radiantes lucibus ignes.
Hinc Pompeia manent veteris monimenta triumphi,
*Et quod erat regnum, pelagus fuit; una malorum
*Non exstincta lues, semperque recentior annis.
Hinc lenocinium formæ, cultusque repertus
Corporis, atque auro quæsita est gratia frontis,

picturatas marmorum crustas vocat. Sed gemmarum picturatio est instar phrygionarii operis, cujusmodi quædam elegantissima non semel neque uno in loco vidimus. Istam ex gemmis tessellationem λιθοκόλλητον ἔργον Græci vocant: quæ non de phrygionario opere intelligenda, sed qua argentum cavum exornabatur, aut pocula alius cujusvis materiæ.

510. *Et Mithridateos.* Plin. Hist. Nat. « Gemmas plures, quod peregrino nomine vocant Dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ privignus Sullæ Scaurus; diuque nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam, quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri ». Idem Plin. Hist. Nat. « Victoria tamen illa Pompeii primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit ».

511. *Certantia lumina.* B. *certantia culmina*, et vs. seq. *Gemmarumque jubar.* Senec. ad Helv. cap. 10: « Majores nostri, quorum nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant ».

512. *Gemmarumque Juli.* Quid in vicem τοῦ Juli substituam, nescio, nisi fortasse placeat *Gemmarumque illi* κατ' ἐξοχὴν, quod non contemnendum. Fuit quum legerem *hyali*; ut « hyali saturata colore ».

513. *Hinc Pompeia manent.* Ex actis triumphorum Pompeii Magni: « Tertio triumpho, quem de Piratis, Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, Insula Creta, Basternis, et super hæc de regibus Mithridate, atque Tigrane, M. Pisone, M. Messalla coss. pridie Kal. Octob. die natalis sui egit, transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus, latum P. III, longum P. IIII: Lunam auream pondo XXX: lectos tricliniares III: vasa ex auro, et gemmis, abacorum, VIII: signa aurea III Minervæ, Martis et Apollinis: coronas ex margaritis XXXIII: montem aureum quadratum cum cervis, et leonibus, et pomis omnis generis, circumdata vite aurea: museum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat ».

514. *Et quod erat regnum, pelagus fuit.* Adhuc quæro interpretem bis duobus versibus. Malo fateri ignorare, quam ludibrium debere. Nam profecto emendandi prius sunt, quam exponendi. Monstrosi sunt plane. — B. eos interpretatur de Mithridate.

Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,
Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.
Quid potius matrona velit tractare creatos,
Quam factum revocare suos quod possit ad usus.
Ac ne materies tali sub munere desit,
Quærere sub terris aurum, furtoque latentem
Naturam eruere omnem, orbemque invertere prædæ
Imperat, et glebas inter deprendere gazam,
Invitamque novo tandem producere cælo.
Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetque novo stellantia litora ponto,
Parvaque ramentis faciet momenta minutis.
Protulit, ut legeret census spumantis in aurum,
Et perlucentes cuperet pensare lapillos.

518. *Per colla manusque.* Plin. de margaritis, IX, 56, 2 : « Hos digitis suspendere, feminarum gloria est ».

519. *Et pedibus niveis.* Auro uniones inclusos in obstrigillis crepidularum intelligit. Plin. IX, 56, 3 : « Quin et pedibus, nec crepidarum tantum obstrigillis, sed totis socculis addunt. Neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones ambulent, satis est ». Ælianus, Var. X, 11, interpretatur Plinium. Illi enim οἱ ἀναγωγεῖς τῶν βλαυτῶν sunt Plinio obstrigilla crepidarum.

520. *Quid potius matrona velit.* Neque minus portentose hi duo versus deformati sunt. Non videntur esse Manilii. Nemo sanus ex istis bonam sententiam eruerit. — His versibus videtur Manilius caussam reddere, cur Cassiope aurifices creet. Quid potius Cassiope, ipsa matrona, tractare velit suo sidere creatos, quam quod suos ad usus, ad lenocinia formæ revocare possit.

527. *Ille etiam fulvas.* Aurilegulus erit : χρυσολόγον Glossæ vocant. Sed et eædem Glossæ Aurilegulum vertunt, quum tamen Aurileguli et Aurifossores valde differant. Firmicus hæc omisit, puto quia non intelligebat.

528. *Stellantia litora.* Omnes alii *stillantia*, quod antithesis poscere videtur. Novo ponto perfundit litora adhuc vetere stillantia. Ed.

529. Gemblac. *Parvaque ramentis faciet momenta minutis Protulit*, etc. Sed quis hæc exponet ? Scimus quidem micas esse auri et scobes, quæ hic vocantur momenta ramentis minutis. — *Parvaque.* Et hic quoque antithesis postulat *magnaque.* Magna, scil. emolumenta ex minutis ramentis. Sic II, 448 : « magna tibi venient momenta futuri ».

531. *Et perlucentes cuperet pensare lapillos. Perlucentes lapillos*, Margaritas. Catullus, LXIX, vs. 4 : « Et pelluciduli deliciis lapidis ».

Vorticibus mediis oculos immittet avaros,
Et coquet argenti glebas, venamque latentem
Eruet, et silicem rivo saliente liquabit,
Et facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum et alterius semper mutabit in usus.
Talia Cassiope nascentum pectora fingit.
  Andromedæ sequitur sidus, quæ, Piscibus ortis
Bis sex in partes, cælo venit aurea dextro.
Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum

Cuperet sedulitate sua æquare ipsarum margaritarum pretium. In Æthiopia hujusmodi aurum plurimum est, neque aliud fere habent: non tamen ramentum est, sed modica frustula, quæ Arabes vocant *Tibar*, etiam Hispani et Lusitani dicunt *oro de Tibar*. — Hunc et præced. vers. B. pro spuriis habet. Cui adsentimur, nisi probetur Heinsii lectio: «Pontique ille leget census... cupiens prensare lapillos».

532. *Vorticibus mediis oculos immittet avaros*. Etiam in ipsas undas immittet oculos avaros, ut scrutetur aurum; non contentus stellantia litora ruspari. Hoc scimus nos illos facere. Quidam, testante Scaligero, in Nitiobrigibus aurum non in ripis Garumnæ, sed in medio flumine quærebat, ex arena scilicet e fundo amnis petita.

534. *Et silicem rivo*. Τὸ χρυσοβάλιον, Balucam. Hic significat aurum quoque e venis et metallis terræ investigaturum, ne tantum aurilegulum putet.

535. *Et facti mercator erit per utrumque metalli*. Per utrumque, id est, aurum et argentum, de quibus agitur. Metallum factum per aurum et argentum, est Electrum, de quo mentio in Pandectis et Institutionibus, de rerum divis. et Plinio, qui Electrum apud Homerum mixturam auri et argenti intelligit, ut etiam Eustathius. Silius lib. I, 228: «Hic omne metallum; Electri gemino pallent de semine venæ»; et lib. XIV, 661: «Jam simul argenti fulgentia pocula, mixtu Quis gemino quæsitus honor». Depravatus est ille locus in vulgatis. Nam *mixta* item *gemma* legitur. — Pro *et* Gemb. *at*. Rectius Voss. *aut*.

536. *Mutabit in usus*. Vett. *ad usus*. Ed.

537. *Talia Cassiope*. Cassiope et Cassiepea, non Cassiopea dicitur: quod mirum, quum Calliope et Calliopea, non Calliepea dicatur. Sic Pasiphae Pasiphaea. In Metam. XV, 500: «me quondam Pasiphaea». Scioli depravaverunt: «me Pasiphaia quondam». — *Pectora fingit*. Gembl. et Lips. *finget*.

538. *Andromedæ sidus*. Andromeda, inquit, oritur cum XII Piscium. Hactenus semper in istis ortibus deliravit: nunc desiuit nugari. Andromeda sæculo Metonis oriebatur a 21 Capricorni ad XXIX Aquarii, hor. 2, 50'. Quod Bonincontrius

Prodidit, infestus totis quum finibus omnis
Incubuit pontus, timuit quum naufraga tellus.
Proposita est merces, vesano dedere ponto
Andromedam, teneros ut bellua manderet artus.
Hic Hymenæus erat, solaque in publica damna
Pro natis lacrymans ornatur victima pœna,
Induiturque sinus non hæc in vota paratos,
Virginis et vivæ rapitur sine funere funus.
At simul infesti ventum est ad litora ponti,
Mollia per duras panduntur brachia cautes.
Adstrinxere pedes scopulis, injectaque vincla,

dicat oriri in principio Tauri, ne in finitore quidem Romano locum habet. Sed non nunc primum incipit somniare. Oriente Andromeda nascuntur pœnarum publicarum ministri, mancipes carceris, seu commentarienses, carnifices, vinclorum custodes. Est autem parecbasis pulcherrima in genere ἐπιδεικτικῷ. Ad ostentationem enim ingenii instituta: ideo scholastico characteri magis adposita: qua in re nimius est Lucanus, ut semper lectorem obtundat otio suo, præsertim quia nescit desinere. In tota hac parechasi multa mihi suspecta, non pauca perspicue depravata.

541. *Incubuit pontus.* Quum pontus incubuit toti viciniæ. —*Timuit quum naufraga tellus.* Libb. omnes *naufragia*: sed *naufragia* secundam corripit. Scal.—Vix tamen accedam Scal. conjecturæ: nimis enim sero timet tellus, quum jam naufraga est. Quæ autem tellus? nisi hanc suo nomine designes, tellus, quod hic absurdum, erit totus terrarum orbis. Forte *Cepheia tellus*, aut propius ad scripturam *Maurusia tellus*. Mauri autem Syrtis accolæ. Horat. od. II, 6, 3: « Barbaras Syrtes, ubi Maura semper Æstuat unda ». En.

545. *Solaque in publica damna.* Gembl. non habet *in*. Voss. vers. seq. habet *Privatis*; unde melius legas *solataque publica damna Privatis lacrymis*, i. e. solabatur Andromeda damna publica privatis lacrymis, quippe ob salutem patriæ exposita. Nunc pro *pœna* reponendum *pœnæ*, i. e. ipsi belluæ, ut v. 591: « Adnantemque tibi pœnam pelagusque ferentem ». Ed.

546. *Pro natis lacrymans.* Si non est mendum, victima pro natis dicta fuerit, piaculum succidaneum stultitiæ matris, propter quam necesse fuerit dare natam Ceto. Germanicus de Andromeda: « meritæ non justa piacula matris ». Scal.

547. *Induiturque sinus non hæc in vota paratos.* Gembl. *hæc ad vota*. Simile: « ensemque recludit Dardanium non hos quæsitum munus in usus ».

549. *At.* Libb. veteres *ac*.

551. Hic versus spurius videtur. *Cautes* vs. præced. et nunc *scopuli*. *Adstrinxere* et postea *vincla*. Hic vs. bene tolli potest. Ed.

Et cruce virginea moritura puella pependit.
Servatur tamen in pœna vultusque pudorque.
Supplicia ipsa decent : nivea cervice reclinis
Molliter ipsa suæ custos est sola figuræ.
Defluxere sinus humeris, fugitque lacertos
Vestis, et effusi scopulis hæsere capilli.
Te circum Alcyones pennis planxere volantes,
Fleveruntque tuos miserando carmine casus,
Et tibi contextas umbram fecere per alas.
Ad tua sustinuit fluctus spectacula pontus,
Adsuetasque sibi desiit perfundere ripas.
Extulit et liquido Nereis ab æquore vultum;
Et casus miserata tuos roravit et undas.
Ipsa levi flatu refovens pendentia membra
Aura per extremas resonavit flebile rupes.
Tandem Gorgonei victorem Persea monstri
Felix illa dies redeuntem ad litora duxit.
Isque ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Diriguit facie, quem nón stupefecerat hostis.
Vixque manu spolium tenuit, victorque Medusæ
Victus in Andromeda est : jam cautibus invidet ipsis,
Felicesque vocat, teneant quæ membra, catenas.

557. *Et effusi scapulis*. Bene. Scal. tamen vult *scopulis*. Sed quomodo *effusi* si *hæserunt*. Melius *scapulis lusere capilli*. — *Effusi scapulis*, sive humeris, cervice. Ovid. Metam. VI, vs. 168 : « immissos humerum per utrumque capillos ». Cf. Ovid. Met. IV, 672. Ed.

563. *Ab æquore vultum*. Gembl. *vultus*.

565. *Ipsa levi flatu refovens*. Alludit ad tragœdiam Euripidis, in qua Echo inducitur Andromedam consolans. Vid. Aristoph. in Thesmoph.

570. *Diriguit facie*. Ovid. Metam. IV, 674 : « trahit inscius ignes, Et stupet ». — *Diriguit facie*. Sed *Diriguit* semper absolute venit. Forte *Diriguit, facies quem non stupefecerat hostis*, i. e. facies Medusæ, omnia in saxa vertentis. Ed.

571. *Vixque manu spolium tenuit*. Ovid. Met. IV, 676 : « Pæne suas quatere est oblitus in aere pennas ».

572. *Jam cautibus invidet ipsis, Felicesque vocat, teneant quæ membra, catenas*. Ovid., loco laudato : « Ut stetit, o, dixit, non istis digna catenis, Sed quibus inter se cupidi junguntur amantes ».

At postquam pœnæ caussam cognovit ab ipsa,
Destinat in thalamos per bellum vadere ponti,
Altera si Gorgo veniat, non territus ire.
Concitat aerios cursus, flentesque parentes
Promissu vitæ reereat, pactusque maritum
Ad litus remeat : gravidus jam surgere pontus
Cœperat, et longo fugiebant agmine fluctus
Impellentis onus monstri : caput eminet undas
Scindentis, pelagusque movet : circumsonat æquor
Dentibus, inque ipso rapidum mare navigat ore.
Hinc vastis urgent immensi torquibus orbes,
Tergaque consumunt pelagus : sonat undique Syrtis,
Atque ipsi metuunt montes, scopulique ruentem.
  Infelix virgo, quamvis sub vindice tanto,
Quæ tua tunc fuerat facies? ut fugit in auras
Spiritus? ut toto caruerunt sanguine membra?
Quum tua fata cavis e rupibus ipsa videres,
Adnantemque tibi pœnam, pelagusque ferentem,

575. *Vadere ponti*. Suspicor ita Manilium scripsisse : « Destinat in thalamos per bellum vadere, ponto Altera si Gorgo veniat, non territus ire».

578. *Pactusque Hymenæum. Pactusque maritum* Gemblac. quod est figuratius: nam maritum pro conjugio dixit, ut in Sphæra; viresque Tonantis pro tonandi facultate. Sic Germanicus in Anecdot. dixit novercam pro novercalitate: « Saturnia Juno Numquam oblita sui, numquam secura novercæ », i. e. novercalitatis. Eadem figura Stat. Theb. X, 62 : « Expers connubii et timide positura sororem »; ut quidem omnes scripti codd. habent.

579. *Gravidus jam surgere pontus*. Gembl. *nam surgere*. Ovid. IV, 687 : « et nondum memoratis omnibus, unda Insonuit ».

582. *Pelagusque movet*. Movet leve est, quum jam fluctus onus impellentis longo agmine fugissent. Voss. habet *movit;* unde adparet *vomit*. B. melius *scandentis* quam *scindentis* putat. Non mihi ita videtur. Ed.

584. *Hinc vastis urgent immensi torquibus orbes*. Libb. *immensis;* unde B. *Hinc vasti surgunt immensis*.

585. *Sonat undique Syrtis*. Vett. *fortis*, unde Voss. ad Catull. « Sonat undique Phorcys », et *Phorcys*, ait, poetice pro mari. Syrtis nihil ad Oceanum. Sed recte Syrtis : nam in Mauritania res agitur. Ed.

588. *Ut fugit*, etc. Catull. LXVI, 24 : « Ut tibi tunc toto pectore sollicitæ Sensibus ereptis mens excidit ».

Quantula præda maris? sed pennis subvolat alte
Perseus, et cælo pendens jaculatur in hostem,
Gorgoneo tinctum defigens sanguine ferrum.
Illa subit contra adsurgens, conversaque frontem
Erigit, et tortis innitens orbibus alte
Emicat, ac toto sublimis corpore fertur.
Sed quantum illa subit semper jaculata profundo,
In tantum revolat, laxumque per æthera ludit
Perseus, et Ceti subeuntis verberat ora.
Nec cedit tamen illa viro, sed sævit in auras
Morsibus, et vani crepitant sine vulnere dentes.
Efflat et in cælum pelagus, mergitque volantem
Sanguineis undis, pontumque extollit in astra
Spectabat pugnam pugnandi caussa puella.
Jamque oblita sui, metuit pro vindice tali
Suspirans, animoque magis quam corpore pendet.
Tandem confossis subsedit bellua membris,
Plena maris, summasque iterum renavit ad undas,
Et magnum vasto contexit corpore pontum,
Tunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.
Perfudit liquido Perseus in marmore corpus,

592. *Sed pennis subvolat alte.* Velusti aliter. Gembl. *quantis hic subvolat alis.* Propius ad hanc lectionem *quassis hic subvolnt alis*, vel plausis. Ovid. Met. XIV, 507: « Subvolat, et plausis remos circumvolat alis». Ed.

593. *Jaculatur.* Sed ense pugnabat, quem certe non dimittebat. Forte *sic fertur in hostem*, quod vidit B. Ed.

598. *Semper jaculata profundo.* Jaculari absolutum verbum, ut paullo ante: «et cælo pendens jaculatur in hostem». — B. autem: *Sed quantum illa subit, seque ejaculata profundo est Is tantum*, etc. et versum 600 sequentem irreptitium pronuntiat. Ed.

602. *Et jam crepitant sine vulnere dentes.* Sidonius: « jamjamque tener spe frangitur agnus, Atque absens avido crepitat jam præda palato ».

609. *Summasque iterum renavit ad undas.* Sic Gembl. Potuit Manilius primam in *renavit* producere, ut supra ostendimus, exemplo Lucretii et aliorum Veterum. Sed repone cum Veneto *remeavit*, ut sup. 579: « pactusque maritum Ad litus remeat ».

612. *Perfudit.* Voss. *Perfundit*: mox enim *pervolat.* Ed.

Major et ex undis ad cautes pervolat altas,
Solvitque hærentem vinclis de rupe puellam
Desponsam pugna, nupturam dote mariti.
Hic dedit Andromedæ cælum, stellisque sacravit,
Mercedem tanti belli, quo condidit ipsa
Gorgone non levius monstrum, pelagusque levavit.
Quisquis in Andromedæ surgentis tempore ponto
Nascitur, immitis veniet pœnæque minister,
Carceris et duri custos, quo stante superbæ
Prostratæ jaceant miserorum in limine matres,
Per noctesque patres cupiant extrema suorum
Oscula, et in proprias animam transferre medullas,
Carnificisque venit mortem ducentis imago,
Accensisque rogis, et stricta sæpe securi.
Supplicium vectigal erit: qui denique possit
Pendentem e scopulis ipsam spectare puellam,
Vinctorum dominus, sociusque in parte catenæ,

613. *Pervolat.* Hoc ineptum dicit B. et reponit *provolat*. Ed.

617. *Mercedem tanti belli, quo condidit ipsa.* Condere bellum, condere lustrum, condere diem, est finire. Sed forte legendum *concidit*. Virgil. Æn. XI, vs. 245: « Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus ».

625. *Mortem ducentis imago.* Argute, et melius, meo judicio, quam Gemblacensis, *mortem vincentis imago*. Sen. Hercul. Fur. 706: « Ipsaque morte pejor est Mortis locus ». Sed Lips. et Voss. *vendentis*. Hoc probat, quod sequitur: « Supplicium vectigal erit ». Ed.

626. *Accensisque rogis.* Patibulati, ut Plautus loquitur, hoc est, brachiis districtis ad furcam, per urbem circumlati ita tandem in rogum conjiciebantur, aut retortis in terga brachiis furca collo inserta. Prudentius: « Et jam retortis brachiis furca eminus Romanus actus ingerebatur rogo ». — Libb. omnes *accensosque rogos*. *Sæpe* languidum est. Forte *et tinctas cæde secures*. Horat. Carm. III, 23, 12: « Victima pontificum secures Cervice tinget ». Ed.

627. *Possit.* Gemblac. et Voss. *posset*. Ed.

629. *Vinctorum dominus.* Optio carceris erit. Francoceltæ nostri *Jauliarios* vocant a *Jaula*, id est, cavea, quo nomine carcerem nos Galli vocamus. Ex cavea enim fecimus nos Aquitani Gabiam, Franci Gabiolam, Jaulam: quod novum non est. Glossæ: γαλεάγρα, *Gabia*. Sc. Hujusmodi optiones carceris, et si quid huic generi hominum accen-

Interdum pœnis innoxia corpora servat.
Piscibus exortis quum pars vicesima prima
Signator terræ lumen fulgebit, et orbi

seri potest, intelligit alicubi Firmicus his verbis : « Erunt homicidiis publicis præpositi, et exceptores earum sententiarum, quæ de hominum capitibus proferuntur : aut cornicularii, aut commentarienses, quibus damnatorum cura committatur : seu clavicularii, vel carcerum custodes, et quibus publicarum catenarum cura credatur, aut præpositi carnificum, aut ipsi carnifices, et qui damnatos homines flagellis lacerare consueverint ». — *Vinctorum dominus, sociusque in parte catenæ.* Eadem enim catena et custodia et miles vincti ibant : neque aliter intelligendum de Paullo Apostolo et milite dato illi : et ut plurimum in carcere castrorum urbanorum vincti illi adservabantur. Juvenal. VI, 561 : « longo castrorum in carcere mansit ». Inscriptio : M. AVRELIVS. OPTIO. CARC. CHOR. XII. VRB. GORDIANAE, ut fortasse de optionibus *carceris castrorum* in Manilio intelligendum sit.

630. *Interdum pœnis innoxia corpora servat.* Quocumque sensu intelligit, sane in Christianos recte convenit, qui innoxii tradebantur hujusmodi custodibus in pœnam servati. Si post tempora Tiberiana scripsisset Manilius, non potuit aptius Christi martyrum conditio designari. — B. hunc versum præcedenti præire jubet.

631. *Piscibus exortis.* Supra horizontem barbaricum cum XXI Piscium Equum oriri ait, quum sæculo Manilii a XXIX Sagittarii ad XXIII Aquarii oriretur, hor. 2, 50'. Et hic quoque nugatur solens. Equo oriente nascentur veloces, equorum domitores, cursores, veterinarii medici. Apud Firmicum vitiose excusum est *Heniochus* pro *Equus.* Præter eos, quos nasci sub hoc sidere vult Manilius, curiosos quoque addit Firmicus, h. e. publici cursus præfectos. Vulgo Inspectores equorum dispositorum vocamus, vel stationarios, de quibus exstat Rubrica in Cod. Justin. lib. XII, tit. 23. Firmicus lib. III : « Erunt enim aut publicani, aut vectigaliarii, vel curiosi ». Sed et curiosos intelligit Manilius, aut similes : nam nondum curiosi nomen in usu erat in ea notione.

632. *Signatum terræ lumen.* Quid est *signatum terræ lumen ?* Gembl. *Signato.* Scribo confidenter *Signator.* — *Signator terræ lumen.* Ὁρίζον τὴν γῆν. Nam τὸ *Signator* in omni genere usurpant. Sic Plinio Vergiliarum « sidus institor vestium » dicitur. In Epistola Paridis : « Sponsor conjugii stat Dea picta sui ». Singulariter *Signator lumen.* Pluraliter *signatricia lumina.* Insolentius Claudianus, XXVIII, 25, *victrix solum.* Portentosius Silius, XVII, 146 : « Phœnissa metuuntur Agmina ». — Sic quoque Virgil. Æn. III, 54, *victricia arma* dixit. Bentl. non tolerat *Signator lumen*, et ex Voss. dat *Signabit terræ limen*, h. e. stringet lineam horizontalem. Sic lib. I, vs. 581 : « Ultima designat fugientis limina Solis ». Ed. — *Et orbi Aerius nascetur Equus cœloque volabit.* Τὸ *est*, est ut τὸ *Atque* in illo : « Atque

Aerius nascetur Equus cæloque volabit,
Velocesque dabit sub tali tempore partus,
Come per officium vigilantia membra ferentes.
Hic glomerabit equo gyros, dorsoque superbus
Ardua bella geret rector cum milite mixtus,
Nunc stadio fraudare fidem, poteritque videri
Mentiri passus, et campo tollere cursum.
Quamvis extremo citius revolaverit orbe
Nuntius, extremum vel bis penetraverit orbem.
Vilibus ille etiam sanabit vulnera succis
Quadrupedum : medicas artes in membra ferorum
Noverit, humanos et quæ nascentur ad usus.
Nixa genu species, et Graio nomine dicta
Engonasi, ingenicla nitens sub origine constat*

illum in præceps prono trahit alveus amni », ut vicesima pars Piscium signat finitorem, et statim Equus oritur.

635. *Omne per officium*. Gemblac. *Come per officium*. Sedulos et officiosos. — Bent. pro *membra* reponit *corda*. Omne officium, ut Claudian. Eutrop. I, 367 : « communiter omni Fungitur officio ». *Vigilantia corda*, ut alibi Noster *vigilanti mente*. Supra, vs. 63 : « Indelassato properantia corda vigore ». Silius, VIII, 310, de Annibale : « anxia ducebat vigili suspiria corde ». Ed.

638. *Nunc stadio est*, etc. B. hæc vitiosa putans, vult : « Hic stadium fraudare fide, poteritque videri Mentitus passus, et campum tollere cursu », i. e. tam celeriter curret, ut stadium justo brevius esse, et campus ipse tolli videatur. Ed.

643. *In membra ferarum*. Firmicus interpretatur pecorum. Melius *ferorum*, i. e. equorum. Virg. Æn. II, 51 : « inque feri curvam compagibus alvum Contorsit ». Supra, vs. 77 : « Exagitare feros, pronumque anteire volantes ». Item idem error supra, vs. 353 : « Ille tenet medicas artes ad membra ferarum ».

646. *Engonasi ingenicla vivens sub origine constat*. Ut de duabus primis vocibus constat, ita in cæteris nihil juvat nos codex Gemblacensis. In eo scriptum, *vides sub origine constat*. Fortasse : *cui pes suffragine constat*. Cui pes constat suffragine ingenicula. Id est, qui uno pede ingeniculato nititur. Scaliger tentabat : « Engonasi, ingenicla cui pes suffragine constat ». Sed statim conjecturæ pertæsus desperabat. — B. *Engonasi, ignota facies sub origine constat*. Ignota sub origine, ut lib. I, vs. 322, dixerat « sibi conscia caussæ » : facies tamen constat : omnes enim in asterismo consentiunt, juvenem esse genibus nixum. Ed. — Ait Engonasin, sive Nixum, ut vo

Dextra per extremos adtollit lumina Pisces.
Hinc fuga nascentum, dolus, insidiæque creantur,
Grassatorque venit media metuendus in urbe.
Et si forte aliquas animo consurget in artes,
In prærupta dabit studium, vincetque periclo
Ingenium: aut tenues ausus sine limite gressus
Certa per extentos ponit vestigia funes,
Et cæli meditatus iter vestigia perdet,
Et pæne ut pendens populum suspendit ab ipso.

cat Cicero, vel Ingeniculum, oriri in extremis partibus Piscium. Exclamare libet: Hercules tuam fidem. Nam sæculo Manilii oriebatur a XXI Libræ ad VI Scorpii in finitore barbarico, hor. 3, 45′.

647. *Dextra per extremos adtollit lumina Pisces.* Ingeniculo oriente nati erunt fugaces, dolosi, insidiatores, incessores viarum, ac grassatores, desperatæ audaciæ, schœnobatæ, acrobatæ, oribatæ.

650. *Animo consurget.* Vett. quatuor *animus* et tres *exsurget;* unde B. *animis exsurget.* Virg. Georg. IV, 132: « Regum æquabat opes animis ». Ed.

651. *Vincetque periclo Ingenium.* Venet. *vendetque periclo.* Sic IV, 139: « seque sua semper cupientia vendere laude ». Ed.

653. *Ponit vestigia.* Immo ponet, ut vincet, perdet. Ed.

654. *Et cæli meditatus iter.* Acrobata, schœnobata. Firmicus. Prudentius Hamartigenia: « Inde per aerium pendens audacia funem Ardua securis scandit prosceuia plantis ». — *Vestigia perdet.* Recta lectio. Nam illi paraboli per funem incedentes, deinde tamquam casabundi fingunt se excidere, et pendent unico pede. Turcæ habent desperatæ audaciæ et miros hujusmodi schœnobatas. — Bentl. non male reponit: « At cæli... vestigia perdet Pæne sua, et pendens populum suspendet ab ipso ». Dum per extentum et directum funem incedit, certa vestigia ponit: at quum cæli iter meditatus, per laxum et erectum funem scandit, vestigia sua pæne perdit.

655. *Et pæne ut pendens.* Olim *Apennina petens*, ubi si non esset vitium in lectione, esset ὀρειβάτης Firmici: ut apud Stat. Achill. II, 425: « Nunc caput aerii scandentem prendere montis Quo fugitur per plana gradu ». Sed tam hic, quam apud Firmicum, vitium est. Nam *Apennina* conformatum vel interpolatum a Bonincontrio ex illo non meliore, *Et peneva*. Profecto legendum: « Et pæne ut pendens populum suspendet ab ipso ». Optime. Apud Firmicum vero non Oribata, sed *acrobata* legendum. In eodem etiam legitur *neurobata*, ut apud Vopiscum in Carino: « Nam et neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit ». Utrobique puto legendum *anemobata*. — *Et pendens populum suspendit ab ipso.*

Læva sub extremis consurgunt sidera Ceti
Piscibus, Andromedam ponto cæloque sequentis.
Hoc trahit in pelagi cædes, et vulnera natos
Squammigeri gregis: extentis laqueare profundum
Retibus, et pontum vinclis armare sequentem;
Et velut in laxo securas æquore phocas
Carceribus claudunt raris, et compede nectunt,
Incautosque trahunt macularum vimine thunnos.

Si vera est hæc lectio, nihil elegantius potuit dici, quam illos pendulos populum spectantem suspendere ex se ipsis. Qui enim sursum admirabundi spectant, quasi pendent ex eo, quod tam avide spectant. Idem schema in sphæra de Galaxia: « et resupina facit mortalibus ora ». Est autem emendatum a doctis viris, idque recte procul dubio. Habemus exemplum in prologo Hecyræ de populo propter funambulum a spectaculo fabulæ averso. Nam vere populos suspendebatur a funambulo. Hic gestus exprimitur a Paullino his versibus: « Nunc volo picturas fucatis agmine longo Porticibus videas, paulloque supina fatiges Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu ». Nam supina colla dixit, ut hic Noster resupina ora ab eadem mente. Funambulos Turcæ lingua sua *Ziampas* vocant, qui incredibilia auditu, et similia his Manilianis faciunt.

656. *Læva sub extremis.* In ultima Piscium parte vult Cetum oriri. Sed super finitorem barbaricum oriebatur sæculo Manilii a XIII Piscium ad XXIX Tauri, hor. 3, 30'. Qui hoc oriente nascentur, erunt piscatores magnorum piscium, ac cetaceorum, cetarii, bolonæ, salsamentarii, liquaminarii, salioarii.— *Sidera Ceti.* Aliter Pistricem vocant, ut Cicero et alii. Pistrix enim pro Pristis ut diceretur usus obtinuit, item Pristis pro Pristes. Vera enim scriptura est πρίστις. In eodem asterismo Festus Avienus Pistrim et Pistricem dixit: « summa qua lux Pistrice coruscat ». Item: « Et Pistrim nodicolam ». Etiam ὀρφὼν vocari scribit Firmicus. Sed valde differunt ὀρφὼς et κῆτος magnitudine et figura.

658. *Hoc trahit.* Melius esset *Hic*, nempe Cetus. Ed.

660. *Et pontum vinclis armare sequentem.* Armare pontum sequentem vinclis quid sit nescio, et turbat Gemblacensis, qui hic habet *armare furentem*. An legendum? *pontum vinclis arctare sequentes.* Nam retibus, quæ *vincla* vocat, paullatim procedendo, quod hic dicitur *sequi*, in arctum coguntur pisces, et quia non sentiunt se clausos, perinde sunt, atque in laxo æquore. — *Arcture* probat B. et pro *sequentem*, *furentem*. Nempe pontum *furentem* et indignantem vinclis coercent. Lucan. V, 234: « Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus ».

663. *Macularum vimine.* Vimen pro textura, ut vimen arundineum dici, alibi nos monuisse memini-

Nec cepisse sat est: luctantur corpora nodis,
Exspectantque novas acies, ferroque necantur,
Inficiturque suo permixtus sanguine pontus
Totus; quum toto jacuerunt litore prædæ,
Altera fit cædis cædes : scinduntur in artus
Corpora, et ex uno varius describitur usus.
Illa datis melior succis pars, illa retentis.
Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
Evomit, et mixto gustum sale temperat oris.
Illa putris turba est : strages confunditur omnis,
Permiscetque suas alterna in damna figuras,
Communemque cibis usum, succumque ministrat.
At quum cæruleo stetit ipsa simillima ponto
Squamigerum nubes, terræque immobilis hæret,
Excipitur vasta circumvallata sagena,
Ingentesque lacus, et Bacchi dolia complet,
Humoresque vomet socia per mutua dote,

mus. Nam Gemblac. inepte habet *numine :* ineptius Bonincontrius *munere.*—B. melius *lumine.* Maculæ enim sunt foramina et quasi fenestræ retis. Quum grandes sint maculæ, thynni non sentiunt aquas opacari, et se retibus includi.

664. *Luctantur corpora nodis.* B. mavult *rumpere nodos.* Horat. Carm. I, 1, 28 : «Seu rupit teretes Marsus aper plagas». Ed.

667. *Totus ; quum.* Quid? totus pontus thynnorum, qui uno reti clauduntur, sanguine inficitur? Voss. habet «Totum quoque cum toto»; unde «Tum quoque, quum toto». Et distingue post *pontus.* Ed.

668. *Scinduntur in artus Corpora.* Sed melius *Corpore et ex uno.* Nam si *corpora* legas, tum constructio erit et ex uno usu varius usus. Prorsus absurde.

673. *Illa putris turba est.* Gembl. *turbat.* Vestigium archetypi, *turbast.* Sed *Illa putris turba est*, salsa muriatica, *sanies pretiosa*, liquamen, garum.

675. *Communemque cibis.* Nam et garum et muria cibis condiendis.

676. *At quum.* Vetusti *Aut*, recte. Bentl.

677. *Terræque immobilis hæret.* *Turbæque* Gembl. Hic multa sunt inexplicabilia. — B. autem reponit *turbaque*, et explicat immobilis præ turba ; non male. Ed.

680. *Humoresque vomet.* Gembl. *Ut morisque.* Prisca archetypi scriptura *Umorisque*, ut alibi. — *Vomet humores socia dote.* Hæc quis intelligit? B. *Humorisque vomit socias per mutua dotes.* Sed hæc non magis intelligo. Quid si legeretur, «Humoresque vomit socia permistio dote?»

Et fluit in liquidas tabes resoluta medullas.
Quin etiam magnas poterunt celebrare salinas,
Et pontum coquere, et ponti secernere virus,
Quum solidum certo distendunt margine campum,
Adpelluntque suo deductum ex æquore fluctum,
Claudendoque negant : tum demum suscipit undas
Area, tum pontus per Solem humore nitescit.
Congeritur siccum pelagus, mersique profundi
Canities emota maris, spumæque rigentis
Ingentes faciunt tumulos pelagique venenum;
Quodque erat usus aquæ succo corruptus amaro,
Vitali sale permutant, redduntque salubrem.
At revoluta polo quum primis vultibus Arctos
Ad sua perpetuos revocat vestigia passus,

681. *In liquidas tabes resoluta medullas.* Immo medulla resoluta fluit in tabem. Repone « in liquidam tabem resoluta medulla ». Ovid. Met. IX, 175: « cæcaque medullis Tabe liquefactis ». Ed.

683. *Et ponti secernere virus.* Ita vocat salem, ut v. 689 *venenum.*

686. *Claudendoque negant.* Tò negare eamdem notionem habet, quam apud Martial. XI, 22, vs. 6: « ... Pompeiano vela negata Noto ». Item, XIV, 29, 2: « Nam ventus populo vela negare solet ». Lucan. IX, 325: « frustraque rudentibus ausis Vela negare Noto ». — *Tum demum suscipit undas*, etc. Hæc non cohærent. Non potest dici area tum demum suscipere undas, quæ undis repleta est, nec pontus nitescit humore, quod fit æstu et calore. Feliciter emendat Bentleius « suscipit auras Area, tum posito per Solem humore nitescit ». Posito enim per auras et Solem humore nitescit et concrescit in salem. Ed.

688. *Mersique profundi.* Dixit jam siccum pelagus, i. e. sal in fundo areæ siccus relictus. Voss. *mensisque ;* unde legas *mensisque profundi Canities seposta maris,* i. e. servata, recondita ad mensas. Ed.

690. B. *Cumulos ... Quo perit usus.*

693. *At revoluta polo.* Septemtrione oriente inter initium et finem mundi, hoc est, inter Pisces et Arietem, ut interpretatur Firmicus, mansuetarii nascuntur. — *At revoluta polo quum primis vultibus Arctos.* Quia Arctos, sive Helice, numquam occidit, difficile erit adsequi, quando ejus ortum notandum esse velit. Adjicit igitur *primis vultibus* eam oriri; quia in σημείῳ ἀρκτικωτάτῳ, in intersectione communi horizontis. Itaque Veteres illi vultum ejus notabant in contactu horizontis, quod vocabant principium Ursæ, unde primus vultus vocavit: deinde transcensum circuli meridiani, quod

Numquam tincta vadis, sed semper flexilis orbe:
Ac Cynosura minor quum prima luce resurgit,
Et pariter vastusve Leo, tum Scorpios acer
Nocte sub extrema permittunt jura dici:
Non inimica feræ tali sub tempore natus
Ora feret: placidas reget in commercia gentes.
Ille manu vastos poterit frenare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati sideris ursas;
Inque artes hominum, perversaque munera ducet.
Ille elephanta premet dorso, stimulisque movebit
Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis.
Ille tigrim rabie solvet, pacique domabit,
Quæque alia infestant silvis animalia terras,

vocabant principium Ursæ, unde primos vultus vocavit: deinde transcensum circuli meridiani, quod vocabant conversionem. Ovid. Trist. I, 3, 47: « Jamqne moræ spatium nox præcipitata negabat: Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat ». Nempe conversam a puncto culminante, qnod axem vocat, ad horizontem occidentalem. Nam axem pro supremo loco sumi, libro tertio, et in Propertium notavimus. Sic Anacreon στροφὴν ἄρκτου conversionem a meridiano intelligit: Μεσονυκτίοις ἐν ὥραις, Στρέφεται ὅτ' ἄρκτος ἤδη Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτεω. Nam significat manum sinistram Bootæ culminare, cui quum sit proxima ultima caudæ Ursæ, quam *Benenasch* Arabes vocant, procul dubio jam tota Ursa deprehendebatur inter meridianum et horizontem occiduum.

696. *Ac Cynosura minor.* Hi tres versus, nimirum hic cum duobus sequentibus, huc irrepserunt ex Phænomenis quibusdam. Nam hic pertinere non dicent, nisi qui rerum cælestium imperiti sunt. Nam Cynosura ne in barbarico quidem finitore occidit.

699. B. hæc refingit: *natis Ora ferent.* Decentius enim dictu, ut feræ non inimica hominibus ora ferant, quam ut homines ora feræ nescio cui. Sic supra, 391: « Non inimica feret serpentum membra creatis ».

700. *Placidas reget in commercia gentes.* Sic alibi loquitur: « novaque in commercia ducet ».

704. *Munera ducet.* B. *munia*, et vs. seq. *monebit* pro *movebit*, elegantius quidem. Ovid. Trist. IV, 6, 7: « monitis obtemperat Inda magistri Bellua ».

706. *Cedentem pondere cunctis*, scil. stimulis. Sed Bentl. monet eum non turpiter, sed sapienter cedere; Huet. *punctis*, i. e. stimulis; sed B. *scandentem pondere funes*, et de elephantis funambulis intelligit. ED.

Junget amicitia secum, catulosque sagaces.

* * *

Tertia Pleiades dotabit forma sorores,
Femineum rubro vultum suffusa pyropo,
Invenitque parem sub te, Cynosura, colorem,
Et quos Delphinus jaculatur quattuor ignes,
Deltotonque tribus facibus, similique nitentem
Luce Aquilam, et flexos artus per lubrica terga.
Tum quartum quintumque genus discernitur omni
E numero, summaque gradus qui jungitur Angue,
Maxima per minimos censu concluditur imo,
Quæ neque per cunctas noctes, neque tempore in omni
Respondent alto cæli submota profundo.

710. Vid. Escursus IV ad calcem hujus libri. Ed. — B. ex libb. vetustis *Pleiadas dotavit.*

711. *Femineum.* Stellæ autem tertiæ magnitudinis non sunt femineæ. Sed inter nigrum et flammeum colorem. Forte *Cæruleum rubro.*

712. *Invenitque parem sub te, Cynosura, colorem.* Et hoc quoque falsum. Cynosura unam tantum habet tertiæ magnitudinis.

714. *Deltotonque tribus facibus.* Sane verum hic dicit. Nam tres trianguli sunt tertiæ magnitudinis: una quartæ. — *Similique nitentem Luce Aquilam.* Aquila quatuor habet tertiæ magnitudinis.

715. *Et flexos artus per lubrica terga.* Id est, Serpens, meo judicio. Tamen Gemblac. « et lubrica flexos in terga Leones ». Fortasse legendum: « et flexus in lubrica terga Leonis ». Septem sunt stellæ sine forma ad tergum Leonis, quas Hyginus plexum Berenices vocat. Sed nulla ex illis septem est tertiæ magnitudinis, ut vult Manilius. An legendum: « et colubri flexus in terga Leonis ». Ne fortasse ille plexus vocatus fuit coluber. — Voss. habet: « et flexos per lubrica terga Dracones ». Utrumque Anguem intellige, illum inter duas Ursas, alterum Ophiuchi. Ille stellas tertiæ magnitudinis habet VIII; hic autem V. Ed.

717. Hæc corrupta sunt. B. emendat: « summamque gradus disjungi utramque ». Pingr. interpretatur, Major minorve splendor distinguit stellas quartæ vel quintæ magnitudinis. Ed.

718. *Maxima per minimos censu concluditur imo.* Ita fere olim divinabamus. Sextam magnitudinem vocat maximam turbam; quum tamen quinquaginta tres tantum designatæ sint ab artificibus. — *Per minimos.* Melius sane B. *Maxima pars numero,* i. e. stellæ illæ infinitæ in via lactea, concluditur imo censu sextæ magnitudinis.

Sed quum clara suos avertit Delia cursus,
Quumque vaga est illa, et terris sua lumina condit,
Mersit et ardentes Orion aureus ignes,
Signaque transgressus mutat per tempora Phœbus,
Effulget tenebris, et nocte accenditur atra.
Tunc conferta licet cæli fulgentia templa
Cernere seminibus densis, totisque micare
Floribus, ut siccæ curvum per litus arenæ:
Nec spatium stellis, mundo nec cedere summam:
Sed quot eant semper nascentes æquore fluctus,
Quot delapsa cadant foliorum millia silvis,
Amplius hoc ignes numero volitare per orbem.

721. *Sed quum clara suos.* Loquitur de promiscua stellarum plebe, quas ipse facit sextæ magnitudinis. Eæ non visuntur plenilunio. In sphæra: « cum Luna conditur omne Stellarum vulgus: fugiunt sine nomine signa ». — *Cursus.* B. *currus,* non male.

722. *Quumque vaga.* Luna semper *vaga* dicitur, et hoc versu idem quod præcedenti dicitur. B. refingit *Quumque vagæ stellæ terris sua lumina condunt.* Ed.

727. *Cernere seminibus.* Legit B. « Cernere luminibus densis, totumque micare ». Sed in MSS hi versus alio ordine veniunt: « totisque micare, Nec spatium...Floribus, ut siccæ ». Ut hic ordo servetur, Bentl. emendat: « totumque micare Stipatum stellis mundum; nec cedere summa Floribus, aut... » quæ quivis intelliget. Ed.

* *Spiritus aut solidis.* Inepte huc intrusus est ex sphæra mundi. Et mirabimur, si aliquando quartus a loco versus luxatus sit, quum versus a primo in quintum librum traductus sit? Igitur vicem istius, qui malum pedem huc retulit, retrahatur ille, quem iste extraneus de possessione deturbaverat: « Floribus, ut siccæ currunt per litus arenæ ». Scal. sed vid. not. super.

728. *Floribus.* Elegantissime dixit, ut Lucret. IV, 452: « florentia lumina flammis ». Item « floret mare navibus ». Simile etiam « florentes ære catervas ». Attius: « Ære atque argento fervere, igni, insignibus Florere ». Papinius: « Et arcano florentes lumine postes ». Sic ἀνθεῖν Græci Poetæ. Sic Æschylus ἄνθος πυρὸς, quomodo scilicet Lucretius et Noster. Adde, quod hæc duo simul conjungit, florem et colorem. Supra lib. IV, 820: « Perpetuosque tenet flores unumque colorem ». Quum igitur hic florem posuerit, paullo ante colorem posuerat: « Invenitque parem sub te, Cynosura, colorem ». Sed vid. not. 727. Nec videtur dici posse *cælum lucere floribus,* i. e. stellis, ut apud Ovid. Fast. V, 363: « collucere floribus agros », et Stat. Theb. II, vs. 275:

Utque per ingentem populus describitur urbem,
Præcipuumque Patres retinent, et proximum Equester
Ordo locum, populumque Equiti, populoque subire
Vulgus iners videas etiam sine nomine turbam:
Sic etiam magno quædam respondere mundo
Hæc natura facit, quæ cæli condidit orbem.
Sunt stellæ Procerum similes, sunt proxima primis
Sidera, suntque gradus, atque omnia juncta priori.
Maximus est populus, summo qui culmine fertur,
Cui si pro numero vires natura dedisset,

« arcano florentes ære smaragdos ».

733. *Utque per ingentem.* Vett. *ingentes orbes;* unde conjicias *ingentes urbes*. Hoc maluit auctor: ne si unam urbem Romam denotaret, in eo offenderet, quod non supra patres principem nominasset. Bentl.

736. *Etiam sine nomine turbam.* B. vult distinguere *et jam sine*, etc. ut sint quinque gradus in civitate, senatus, equites, populus, vulgus, et sine nomine turba. Hoc nimis argutum videtur. Ed.

737. *Sic etiam magno quædam respondere mundo. Respondere* tertio ordine. Mart. III, 4, vs. 7 et 8: « Si quando veniet? dicet: responde: poeta Exierat: veniet, quum citharœdus erit ». Idem ultimo Epigr. libri XI, vs. 4: « Lector, salve: taces, dissimulasque? vale ». Argute. Ita veteres libri. Vulgata lectio, *Lector solve.* Et clarius apud Val. Flacc. lib. V, 595: « ille profundo Incumbens Odrussa mero: vide lata comantem Pectora ». — B. autem *respondere* nullo modo admittit: putat *resp.* scriptum esse compendiose, et inde librarios hariolatos *respondere, respendere*. Locum sic concipit: « Sic etiam in magno quædam respublica mundo est, Quam natura facit, quæ cælo condidit urbem ».

740. *Atque omnia juncta priori.* Hæc non intelligo. Pro *juncta* vett. *victa*. Pro *priori* Voss. et Lips. *priorum*. B. conjicit *jura priorum*. Liv. II, 1: « Omnia jura, omnia insignia primi consules tenuere ».

741. *Maximus est populus, summo qui culmine fertur.* Ita libri universi, sed B. mendosam lectionem esse ait, et ipsi cælo repugnare. Maximum populum recte quidem interpretatur stellas sextæ magnitudinis, sive minimas; sed eas dicit non in summo tantum culmine, sed per omne cælum dispersas: quibus si pro numero vires adessent totus mundus conflagraret. Igitur reponit: « minimo qui limine fertur ». Sed omnes sciunt stellas non tantum ob minorem lucem, sed ob longinquitatem nobis adeo parvas adparere. Et ipse Manilius nostram et omnium lectionem confirmat supra vs. 717, ubi de iisdem stellis: « Maxima pars numero censu concluditur imo, Quæ neque per cunctas noctes neque tempore in omni Resplendet, vasto cæli submota

Ipse suas æther flammas sufferre nequiret,
Totus et accenso mundus flagraret Olympo.

profundo »; ubi Bentleianam lectionem valde probamus.

743. *Ipse suas æther.* Eamdem sententiam in sphæra extulerat: « Non poterit mundus snfferre incendia tanta, Omnia si plenis ardebunt sidera flammis ». Haetenus sphæræ barbaricæ apotelesmata ortuum. Sequebatur liber sextus, secunda apotelesmata sphæræ barbariæ oecasuum siderum; cujus meminit initio: « Quid valeant ortu, quid qunm merguntur in nndas ». *Quid valeant ortu*, est hic quintus liber. *Quid, quum merguntur in undas*, ille, qui periit. Ex utroque Firmicus concinnavit apotelesmata sphæræ barbaricæ, priore loco ortus, posteriore occasus ponens. Itaque non dubinm, quum Manilius dicat se tam de ortibus, quam de occasibus scripsisse, quin, ut ortus a Manilio, ita etiam occasus ab eodem mntnatus sit Firmicus. Et hoc est extra omnem controversiam. Atque hi quidem sunt ortus siderum ex sphæra barbarica, quibus fortasse non absurdum erat et alia adjicere, quæ huic tractationi cognata sunt, nisi ea modum Notarnm excederent; quam ob caussam ea ad calcem Exenrsnum rejeeimus. Vid. infr. pag. 646 et seqq. Ed.

EXCURSUS I

AD LIB. V, QUEM JOS. SCALIG. SPHÆRAM BARBARICAM NOMINAT.

Hic liber continet alteram partem apotelesmatum, quæ a stellis claris cum aliquo Zodiaci signo surgentibus ducuntur: et vocantur prima apotelesmata sphæræ barbaricæ. Nam duæ sunt partes sphæræ barbaricæ. Prior hæc ipsa, quæ versatur circa clara sidera, quæ cum aliquo signo aut oriuntur, aut occidunt. Ea est, quam nunc tractat Noster. Alterius partis rursus duæ partes sunt : quarum altera singulas signorum partes, quas Monomœrias vocabant, et minutias partium scrutatur, quam curiositatem Ægyptii eorum deliriorum magistri Myriogenesin nominarunt, quamquam si Græce loqui volebant, non μυριογένεσιν, sed μυριογενεσίαν dicendum erat : altera tractat eas stellas, quæ claræ sunt in corporibus eorum signorum. Inventores harum subtilium atque argutarum nugarum Petosiris ac Necepso, item Æsculapius ille priscus Ægyptius. Sphæra barbarica vocatur, hoc est, Ægyptiaca. Nam apud Firmicum barbarica ratio est Ægyptiaca ratio. Rursus apud eumdem Firmicum barbarica ratio dicitur, quæ alibi vocatur Myriogenesis Æsculapii. Dicta vero barbarica sphæra ad distinctionem Græcanicæ. P. Nigidius Phænomena ad inclinationem utriusque cæli Ægyptiaci, et Græcanici scripsit. Alterum librum vocavit sphæram barbaricam, alterum sphæram Græcanicam. Apud vetustissimum Virgilianum interpretem Danielis nostri ita memini legere: Nigidius sphæræ barbaricæ : « Sub Virginis signo Arator, quem Oron Ægyptii vocant : quod Oron Osiridis filium ab

hoc educatum dicunt ». Vides Nigidium in sphæra barbarica tractasse, quæ ad Phænomena Ægypti pertinent. Probus in primum Georgicon ait, ambas Ursas, Helicen et Cynosuram in Sphæra barbarica Plaustrum vocari. Idem Virgilianus interpres P. Danielis : « Nigidius in Sphæra Græcanica novum annum æquinoctium vernale memorat ». Item alibi : « Nigidius Sphæræ Græcanicæ : oritur enim Canicula cum Cancro : in columen venit cum Geminis : occidit cum Tauro ». Igitur barbarica, id est, Ægyptiaca ad differentiam Græcanici climatis. Firmicus, quum hæc apotelesmata scriberet, immo ex Manilio ad verbum describeret, ait cognitionem sphæræ barbaricæ Græcis multis, et omnibus ferme Romanis incognitam, et ab Ægyptiis solis observatam. Et sane ortus et obitus quarumdam stellarum fixarum, qui in illis apotelesmatis a Firmico tractantur, cælo Ægyptio tantum conveniunt. Nam Cepheus in Græcia et Hellesponto capite tantum occidit, ut auctor etiam est Hipparchus. Radit enim, et, ut Aratus ait, ἐπιξύει punctum finitoris Græcanici. At in Sphæra barbarica ex ejus ortu et occasu apotelesmata pronuntiantur. Idem dicas de Cassiepea et aliis, quæ intra circulum semper adparentem Græciæ continentur. Illa enim oriuntur et occidunt in ima regione, et in partibus Memphidis, et supra; propterea quod ad austrum pergentibus polus deprimitur. Nam omnia signa, quæ sunt intra XXXVII gradum a polo, ea in Græcia numquam occidunt. Ipsis contra. Hoc est, quod Lucanus declamavit, IX, 540:

> Te, segnis Cynosura subit : tu sicca profundo
> Mergi plaustra potas; nullumque in vertice summo
> Sidus habes immune maris : procul axis uterque est;
> Et fuga signorum medio rapit omnia cælo.

Loquitur de Jove Ammone, qui propemodum est sub eadem inclinatione, qua media Ægyptus. Sed de errore Lucani alibi. Quare non est audiendus deliciæ humani generis Picus Mirandula, qui Phænomena putat simpliciter dici

ut in ejus luculentissimo libro exstant, cui ipse titulum fecit *Initium Sapientiæ*, quem manu scriptum penes nos habemus cum aliis operibus ejusdem magistri. Ex eo igitur eximio libro ortus sphæræ Persicæ primo adponemus, secundo sphæræ Indicæ, tertio sphæræ barbaricæ Ptolemaicæ, ut exstat apud illum magistrum Judæum hominem supra captum Judæorum. Dividit autem singula signa in ternos Decanos, ut supra in apotelesmatis tetigimus. Quæ oriantur in quoque Decano secundum clima suum, adponit, ut habes in exemplo. Egregia est cognitio tantæ diversitatis formarum, ut si Taurus natos sub se agricolas facit apud Græcos et Ægyptios, apud Persas eodem tempore alia formatio reges faciet, apud Indos alia alios. Futilia commenta vanæ scientiæ nihil magis confutat, quam istius perfecta cognitio.

SPHÆRARUM PERSICÆ, INDICÆ ET BARBARICÆ

ORTUS EX LIBRO ABEN EZRÆ JUDÆORUM DOCTISSIMI.

ARIES.

DECANUS PRIMUS ARIETIS.

SPHÆRA PERSICA.

Adscendit figura mulieris. Cauda Piscis ex mari instar viperæ in felle. Trigonum. Figura Tauri.

SPHÆRA INDICA.

Figura Canis, in cujus sinistro pede anteriore lucerna, dextro clavis. Cande philosophus Indorum dicit adscendere

Æthiopem oculis nigris, superciliis extensis. Est autem de Gigantibus, jactabundus, obvolutus pallio albo magno, fune præcincto.

SPHÆRA BARBARICA.

Cassiepea, genua ejus; manus sinistra, et dimidiatum tergum Andromedæ, una cum pudendis ejus, et fimbriis, et pisce posteriore, et particula fili linei.

DECANUS SECUNDUS ARIETIS.

SPHÆRA PERSICA.

Ambo Pisces. Medietas Trigoni. Dimidium bestiæ mulier, in cujus capite est pecten. Lorica ænea. Caput dæmonis.

SPHÆRA INDICA.

Figura mulieris vestimentis obvolutæ et pallio, unipede figura equina.

SPHÆRA BARBARICA.

Cassiepea, caput Persei cum vola manus dextræ ejus. Fimbriæ Andromedæ, et pedes ejus. Triangulum. Caput Arietis, cornua ejus. Reliquum de filo lineo.

DECANUS TERTIUS ARIETIS.

SPHÆRA PERSICA.

Juvenis in solio sedens cooperto, in cujus manu sunt idola. Homo demisso deorsum capite, vociferans ad Deum. Pectus Piscis cum capite ejus. Residuum Trigoni. Alterum dimidium Hydræ.

SPHÆRA INDICA.

Homo flavus, capillitio rufo, iracundus, componens sese ad statum pugnæ; in cujus manibus sunt inaures ligneæ et virga; vestes vero ejus sunt rubræ. Est autem ipse faber ferrarius, qui quum paratus sit bene facere, non possit tamen.

SPHÆRA BARBARICA.

Perseus. Corpus Arietis.

TAURUS.

DECANUS PRIMUS TAURI.

SPHÆRA PERSICA.

Strenuus manu sinistra ensem gestans, manu dextra virgam. Super ejus humeris sunt duæ lucernæ. Navis magna. Supra eam Leo, cui insidet homo nudus. Subter Navi dimidium cadaveris mulieris mortuæ. Figura hominis.

SPHÆRA INDICA.

Mulier capillata, quæ filium habet, induta vestimentis semiustulatis.

SPHÆRA BARBARICA.

Dimidium Persei cum cauda Arietis. Fusio aquæ, quæ est in extremitate Fluvii.

DECANUS SECUNDUS TAURI.

SPHÆRA PERSICA.

Navis, in qua est homo injiciens manum in clavem. Dimidium cadaveris mulieris mortuæ.

SPHÆRA INDICA.

Homo vultu et corpore similis arieti, digitis instar ungularum caprinarum, cujus uxor similis Tauro, calidus, vehemens numquam sibi requiem dans, cultor arvorum, educens boves ad arandum et serendum. Item alia figura speciosa, in cujus manu dextra virga, elevans manum sinistram.

SPHÆRA BARBARICA.

Genua Persei, crura, pedes. Taurus, cornua ejus, pedes anteriores, venter, pes dexter. Caput Fluminis, et medietas ejus.

DECANUS TERTIUS TAURI.

SPHÆRA BARBARICA.

Finis corporis ejus, cui caput simile canino. Homo stans in manu tenens bestiam, habens duo plaustra, quibus (singulis) insidet juvenis agnum tenens, binis equis plaustra trahentibus.

SPHÆRA INDICA.

Homo albis pedibus et dentibus, adeoque longis, ut exstent extra labra, colore oculorum et capillorum rubro, corpore elephanti similis et leonis, impos mentis, animo ad malefaciendum destinato, sedens in accubitali. Equus, currus, canis, vitulus parvus.

SPHÆRA BARBARICA.

Pes Persei dexter. Humerus Heniochi, caput ejus, genua, manus sinistra. Cornu et finis Tauri. Initium Fluminis.

GEMINI.

DECANUS PRIMUS GEMINORUM.

SPHÆRA PERSICA.

Cauda figuræ, cujus caput simile canino. Homo manu tenens virgam. A partibus Austrinis duo plaustra, binis equis trahentibus. Singuli homines plaustrorum rectores. Caput bestiæ cornutæ.

SPHÆRA INDICA.

Mulier famosa in aere stans, perita suendi (sarcinatrix).

SPHÆRA BARBARICA.

Caput Heniochi, pes ejus dexter. Cornu Tauri, humerus Canis, pes ejus sinister. Caput Leporis, pedes ejus anteriores.

DECANUS SECUNDUS GEMINORUM.

SPHÆRA PERSICA.

Homo tenens instrumentum musicum aureum, quo canit.

Bestia arbori insistens. Lupus, in cujus anteriore pede est signum.

SPHÆRA INDICA.

Æthiops vinctus caput plumbo, manu scutum tenens, in capite galeam ferream gestans, super qua est corona serica, in manu habens arcum et sagittas, amans risum et joca, deambulans in horto floribus et arboribus consito, tenens pondera stateræ, quæ manibus inter se percutit, inter modulandum flores horti carpens.

SPHÆRA BARBARICA.

Vola pedis Heniochi dextera. Alter pes tauri posterior. Manus Orionis, humerus ejus, caput, pectus, cingulum, pes. Pectus Leporis, et cauda ejus.

DECANUS TERTIUS GEMINORUM.

SPHÆRA PERSICA.

Figura hominis trepidabundi, capite tiaram, manu instrumentum musicum gestantis cum nerviis aureis. Canis latrans. Delphinus. Instar Simiæ. Sibula sarcinatoria. Dimidium prius Ursæ minoris. Cauda bestiæ cornutæ.

SPHÆRA INDICA.

Homo quærens scutum, et tamen habens scutum et pharetram, manu gestans sagittam, et vestes et monile gemmeum : cui cordi est modulari, ridere, jocari omni genere jocorum.

SPHÆRA BARBARICA.

Posterior Geminorum, manus ejus, cauda, pes dexter, pudenda. Cauda Leporis. Os Canis, pes anterior et posterior dextri. Clavus navis anterior. Dimidium clavi posterioris.

CANCER.

DECANUS PRIMUS CANCRI.

SPHÆRA PERSICA.

Ursa major posterior. Tota figura involuta vestibus innixa figuræ psallenti. Porcus ferreus, capite æneo. Puella quædam virgo.

SPHÆRA INDICA.

Juvenis pulchra specie indutus vestibus, cum monili, in cujus vultu et digitis est quædam distortio, corpore simili equino et elephantino, pedibus albis, delicatis fructibus e corpore ejus pendentibus, instar arborum, habitans in viridario casiam aromaticam producente.

SPHÆRA BARBARICA.

Facies Ursæ majoris. Caput Geminorum prioris et posterioris manus ejus. Canis minusculus. Residuum de Cane majusculo. Venter Navis.

DECANUS SECUNDUS CANCRI.

SPHÆRA PERSICA.

Adolescentula virgo similis nubi. Dimidium canis. Dimidium auricularum Asini Septemtrionalis.

SPHÆRA INDICA.

Puella pulchro eloquio, in capite habens coronam myrteam, in manu virgam ligneam, libenter adfectans vinum et musicam.

SPHÆRA BARBARICA.

Caput Ursæ majoris. Chela Cancri posterior. Venter Navis.

DECANUS TERTIUS CANCRI.

SPHÆRA PERSICA.

Adolescentula virgo incedens nunc orientem nunc occi-

dentem versus. Canis posterior. Alterum dimidium auricularum Asini Septemtrionalis. Alter Asinus austrinus.

SPHÆRA INDICA.

Homo pede simili pedi bestiæ in corpore habens bestiam, cogitans navem inscendere navigandi caussa, ad importandum aurum et argentum, annulis uxorum ejus fabricandis.

SPHÆRA BARBARICA.

Cervix Ursæ majoris, pes anterior dexter ejus. Cornua Cancri. Caput Orionis. Finis Naviculæ.

LEO.

DECANUS PRIMUS LEONIS.

SPHÆRA PERSICA.

Ursus. Canis, in cujus dorso arcus. Dimidium Naviculæ, in qua sunt ejus nautæ. Caput bestiæ nigræ. Caput Equi. Caput Asini.

SPHÆRA INDICA.

Arbor magna, in cujus ramis est canis et avis ciconia. Homo indutus vestimentis delicatis, inquinatis tamen, habens in animo patrem suum verberare. Eques respiciens ad partes Septemtrionis.

SPHÆRA BARBARICA.

Forma Ursæ majoris, anterior pes ejus sinister. Vertex Leonis. Cervix Orionis. Dimidium Navis.

DECANUS SECUNDUS LEONIS.

SPHÆRA PERSICA.

Idolum manus sursum elevans, magna voce vociferans, modulabundus saltans. Par telorum. Calix vitreus. Instrumentum musicum ex cornibus capreolorum. Alterum dimidium Navis. Oculus bestiæ. Medietas Equi. Medietas Asini.

SPHÆRA INDICA.

Homo naribus tenuissimis, in capite instar coronæ habens de myrto alba, in manu autem arcus, iracundus, furore leonino, opertus pallio coloris leonini.

SPHÆRA BARBARICA.

Labrum Ursæ majoris, pes ejus dexter. Cervix Leonis. Medietas Orionis. Prora Navis.

DECANUS TERTIUS LEONIS.

SPHÆRA PERSICA.

Figura juvenis, cujus magisterium est bestias ducere, gestantis manu flagrum, plaustrum trahentis, in cujus medio sedet homo, et puer parvus una cum eo, manu sinistra vestem tenentis. Corvus. Medietas bestiæ nigræ. Finis Equi. Finis Asini.

SPHÆRA INDICA.

Æthiops inquinatus, fatigatus, qui tamen ipse est commodus, et deliciæ in ore ejus, et caro in manu ejus.

SPHÆRA BARBARICA.

Figura Ursæ majoris, medietas ejus. Pars Orionis.

VIRGO.

DECANUS PRIMUS VIRGINIS.

SPHÆRA PERSICA.

Virgo pulchra, capillitio prolixo, duas spicas manu gestans, sedens in siliquastro, educans puerulum, lactans, et cibans eum. Homo in eodem siliquastro sedens. Stella nomine Spica posterior, quam bestia. Caput Corvi. Caput bestiæ.

SPHÆRA INDICA.

Virgo involuta pallio, vestimentis obsoletis induta, manu vectem tenens, stans in medio sanguinis, habens in animo ire domum patris.

SPHÆRA BARBARICA.

Pars caudæ Draconis. Posteriora Ursæ, cauda ejus. Crater, qui est super capite Orionis. Pars de corpore Orionis.

DECANUS SECUNDUS VIRGINIS.

SPHÆRA PERSICA.

Figura complodens manus suas, plagata. Homo dimidiatæ figuræ capite instar Taurini, in manu sua habens dimidium viri nudi. Dimidium trabis, in cujus extremo vomer terram proscindens. Cauda bestiæ nigræ cum dimidio Leonis.

SPHÆRA INDICA.

Æthiops totus pilis obsitus, cui tres vestes superjectæ sunt, prima scortea, secunda serica, tertia est pallium rubrum, in manu tenens atramentarium ad rationem putandam.

SPHÆRA BARBARICA.

Pars caudæ Draconis. Cauda Ursæ majoris. Caput Virginis, humerus ejus. Caput Corvi, alæ et os ejus.

DECANUS TERTIUS VIRGINIS.

SPHÆRA PERSICA.

Residuum de dimidio figuræ. Alterum dimidium hominis nudi. Alterum dimidium caudæ Leonis. Perdix. Duæ spicæ. Dimidium hominis pastoris.

SPHÆRA INDICA.

Mulier candida jactabunda, induta palla tincta, manibus leprosis, Deum implorans supplex.

SPHÆRA BARBARICA.

Pars caudæ Draconis. Finis caudæ Draconis, Ursæ majoris. Humerus Simiæ australis, pars pectoris ejus. Corvus. Pes bestiæ.

LIBRA.

DECANUS PRIMUS LIBRÆ.

SPHÆRA PERSICA.

Figura hominis iracundi manu sinistra libram tenentis, dextra libros scriptos. Pone eum sequitur homo equo vehens et psallens. Caput Draconis. Principium fluvii aurei. Philosophi Persarum vocant eum Ursam majorem. Pars Naviculæ.

SPHÆRA INDICA.

Homo in taberna institoria in foro manu tenens stateram ad emendum et vendendum.

SPHÆRA BARBARICA.

Medietas caudæ Ursæ majoris. Medietas corporis Virginis, vola ejus sinistra, in qua Spica. Cauda Corvi. Pars de cauda Orionis. Pars caudæ Equi, et tergi ejus.

DECANUS SECUNDUS LIBRÆ.

SPHÆRA PERSICA.

Homo ducens plaustrum, in cujus medio homo gestans manu flagrum, et cum eo homo indutus vestimentis sericis; ipse vero sedet super lecto. Juvenis parvus. Medietas Navis. Medietas Draconis. Medietas Ursæ majoris. Fons aquæ.

SPHÆRA INDICA.

Homo figura Aquilæ, nudus, sitibundus, cogitans in aerem avolare.

SPHÆRA BARBARICA.

Cauda Draconis. Pars caudæ Ursæ majoris. Pars fimbriarum Virginis.

DECANUS TERTIUS LIBRÆ.

SPHÆRA PERSICA.

Finis Navis ad finem maris aurei. Vertex hominis nudi,

manum suam capiti imponentis. Corona super capitibus duorum virorum binis cornibus præditorum.

SPHÆRA INDICA.

Homo vultu instar equini, manu tenens arcum et sagittas.

SPHÆRA BARBARICA.

Pars caudæ Draconis, pedes anteriores ejus, brachia, genua dextra. Pars fimbriarum Virginis; pedes ejus.

SCORPIUS.

DECANUS PRIMUS SCORPII.

SPHÆRA PERSICA.

Posteriora Equi. Posteriora Tauri. Niger manu tenens virgam.

SPHÆRA INDICA.

Figura mulieris speciosæ, corpore rufo, comedens.

SPHÆRA BARBARICA.

Pes anterior Ursæ minoris. Caput Canis, brachium ejus dextrum. Medietas Libræ.

DECANUS SECUNDUS SCORPII.

SPHÆRA PERSICA.

Homo nudus. Dimidium Equi. Dimidium Tauri.

SPHÆRA INDICA.

Mulier egressa ex ædibus suis, nuda, nihil prorsus habens, recipiens se in mare.

SPHÆRA BARBARICA.

Finis pedis anterioris Ursæ minoris. Pars caudæ Draconis. Corona Septemtrionis. Pudenda (signi) Libræ, pedes ejus. Corona Scorpii.

DECANUS TERTIUS SCORPII.

SPHÆRA PERSICA.

Initium Equi. Caput ejus, qui fert Leporem. Initium Tauri.

SPHÆRA INDICA.

Canis. Duo porci. Pardus magnus pilo albo. Quædam species venationis.

SPHÆRA BARBARICA.

Figura Ursæ minoris. Pes τοῦ ἐν γόνασιν, humerus ejus, brachium dextrum. Venter Scorpii. Caput Thuribuli.

SAGITTARIUS.

DECANUS PRIMUS SAGITTARII.

SPHÆRA PERSICA.

Figura hominis nudi. Est autem inversus, et super capite ejus Corvus. Corpus canis feminæ. Caput Capræ.

SPHÆRA INDICA.

Nudus a capite, ad umbilicum instar hominis: ab umbilico deorsum instar equi, in manu gestans arcum et sagittas, et vociferans.

SPHÆRA BARBARICA.

Cervix Ursæ minoris. Pars caudæ Draconis. Cauda Ingeniculi: vertebræ colli, et caput ejus. Finis Scorpii, spondyli, qui sunt in cauda ejus. Dorsum Thuribuli.

DECANUS SECUNDUS SAGITTARII.

SPHÆRA PERSICA.

Figura tenens dextra sua cornua capri. Caput feræ. Dimidium Leporis. Dimidium Navis. Prius dimidium Delphini. Prius dimidium Centauri.

SPHÆRA INDICA.

Figura mulieris formosæ, capillatæ, indutæ vestibus, et funiculis, cum circulis in auriculis ejus. Coram ea est arcula aperta, in qua et monile gemmeum.

SPHÆRA BARBARICA.

Pectus Ursæ minoris. Dimidium dorsi Draconis, pars de capite ejus. Genua Ingeniculati, brachium ejus sinistrum. Pars corporis Hydræ. Sagitta et Pharetra ejus. Pars Coronæ australis.

DECANUS TERTIUS SAGITTARII.

SPHÆRA PERSICA.

Figura Canis et Equi. Dorsum feræ. Dorsum Leporis. Residuum corporis Leonis. Dimidium alterum Navis. Residuum Delphini. Cauda Stellionis. Dimidium Ursæ majoris.

SPHÆRA INDICA.

Homo splendore vultus instar auri, in manu habens instar circuli lignei, tectus ostio fabricato de cortice lignorum.

SPHÆRA BARBARICA.

Medietas corporis Ursæ minoris. Medietas corporis Draconis, vertex ejus. Pars corporis Aquilæ cadentis. Caput Sagittarii, humerus, pes ejus. Corona australis.

CAPRICORNUS.

DECANUS PRIMUS CAPRICORNI.

SPHÆRA PERSICA.

Dimidium alterum Ursæ majoris. Figura mulieris modulantis. Caput Piscis magni. Fons aquæ malæ. Corpus Simiæ, caput ejus. Caput Canis.

SPHÆRA INDICA.

Æthiops iracundus corpore instar corporis porci obesi,

hirsutus multo pilo, dentibus acutis et longis longitudine trabali, habens stimulum boum. Piscabundus pisces.

SPHÆRA BARBARICA.

Medietas corporis Ursæ minoris, cervix ejus. Finis Aquilæ cadentis.

DECANUS SECUNDUS CAPRICORNI.

SPHÆRA PERSICA.

Mulier super lecto sedens, cum qua est vitis. Piscis magnus. Dimidium Plaustri.

SPHÆRA INDICA.

Mulier nigra cooperta pallio, equitans.

SPHÆRA BARBARICA.

Finis Ursæ minoris. Pars Draconis. Ala Gallinæ dextera, cervix et caput ejus. Corpus Aquilæ volantis. Media Capri. Vertex ejus.

DECANUS TERTIUS CAPRICORNI.

SPHÆRA PERSICA.

Cauda Piscis. Finis oculi malefici. Finis Simiæ. Alterum dimidium Plaustri. Dimidium figuræ sine capite, quia caput ejus est in manus ejus.

SPHÆRA INDICA.

Mulier nigra, cujus manus idoneæ ad omne opus faciendum, et opificium sericum.

SPHÆRA BARBARICA.

Pars Draconis. Finis corporis Gallinæ, pes ejus dexter, et ala ejus sinistra. Delphinus. Medietas corporis Capri. Cauda Piscis.

AQUARIUS.

DECANUS PRIMUS AQUARII.

SPHÆRA PERSICA.

Caput ensem manu gestantis (τοῦ ξιφήρους). Caput ejus, qui est capite nigro (τοῦ μελαγκορύφου) et piscatur pisces.

SPHÆRA INDICA.

Æthiops faber ærarius.

SPHÆRA BARBARICA.

Finis caudæ Ursæ minoris. Pes Gallinæ. Caput Equi prioris. Tergus et cauda Capricorni.

DECANUS SECUNDUS AQUARII.

SPHÆRA PERSICA.

Corpus Equi. Ala Avis, quæ piscatur pisces.

SPHÆRA INDICA.

Homo Æthiops niger, longa barba, manu arcum gestans, et sagittas, et sacculos, in quibus sunt lapides pretiosi, aut aurum.

SPHÆRA BARBARICA.

Cauda Ursæ minoris. Corpus Equi posterioris, caput ejus. Initium Aquarii. Medietas ventris Piscis australis.

DECANUS TERTIUS AQUARII.

SPHÆRA PERSICA.

Gallina. Posteriora ejus, qui in manu habet Equum. Finis avis, quæ piscatur pisces.

SPHÆRA INDICA.

Homo iracundus, fraudulentus, pilosis auribus, cui imposita est corona de circulis ligneis.

SPHÆRA BARBARICA.

Cauda Ursæ minoris. Corpus Equi. Finis Aquarii. Caput Piscis austrini.

PISCES.

DECANUS PRIMUS PISCIUM.

SPHÆRA PERSICA.

Caput dimidiati equi habentis alas duas. Initium Fluminis. Cauda Piscis, qui vocatur Crocodilus.

SPHÆRA INDICA.

Homo indutus vestibus pretiosis in manu habens vas ferreum, pergens domum suam.

SPHÆRA BARBARICA.

Cauda Ursæ prioris. Manus Cassiepeæ. Venter Equi alterius. Initium Piscis prioris.

DECANUS SECUNDUS PISCIUM.

SPHÆRA PERSICA.

Dimidium Fluminis. Alterum dimidium Ingeniculi.

SPHÆRA INDICA.

Mulier formosa alba sedens in navi in mari, et cupiens exire in siccum.

SPHÆRA BARBARICA.

Cauda Ursæ minoris. Manus Cassiepeæ. Humerus Andromedæ. Caput mulieris sociatæ cum equo. Posteriora Piscis prioris.

DECANUS TERTIUS PISCIUM.

SPHÆRA PERSICA.

Finis Fluminis. Finis Piscis, qui vocatur Crocodilus. Residuum Ingeniculi.

SPHÆRA INDICA.

Homo nudus, cujus pes est in ventre ejus, in manu habens lanceam, vociferans et terrens latrones.

SPHÆRA BARBARICA.

Finis caudæ Ursæ minoris. Medietas Cassiepeæ. Pectus Andromedæ. Pars vinculi linei. Posteriora viperæ.

Atque hæc Aben-Ezra ex priscorum Arabum monumentis, qui illa ex Indorum et Persarum parapegmatis in sua transtulerunt. Sphæra barbarica hic satis ad veram rationem et finitorem Ægypti relata est, præter quam in Ariete. Nam in tribus decanis mala fide redditum est de Andromeda et Cassiepea. Hebræi ex Arabibus formationes cælestes in suam linguam vertentes Perseum, exemplo Arabum, hominem portantem caput diaboli, Cassiepeam, mulierem sedentem in solio, Andromedam, mulierem quæ non habet virum, Orionem gigantem belligerantem vertunt, et alia, quæ nos suis nominibus Græcis reddidimus, ne nimiam scientiam adfectaremus: quod tamen quidam scioli ambitiosi tantum abest, ut devitassent, ut parati sint nobis vitio vertere, quod non omnia ad verbum reddidimus, si quando ille liber numquam hactenus Hebraice editus in eorum manus incidat. Vides quantum apotelesmata Persica ab Indicis, et utraque a Barbaricis et Græcis discrepare necesse sit, si tales homines evadunt, qualia sunt signa sub quibus nascuntur. Non ingrata hæc fore speramus non solum Manilii sed antiquitatis et humaniorum literarum studiosis.

EXCURSUS II

AD MANILII ASTRON. LIB. V, vs. 319.

Testudinis enatat undis. Testudinem eamdem cum Lyra facit. Sed Poetæ Lyram et Citharam non raro confundunt: ut Statius primo Achilleidos : item libro X Thebaidos citharam, lyram, testudinem pro eodem organo usurpavit. Apollonius libro primo κίθαριν et φόρμιγγα· et libro secundo λύρην Orpheo adtribuit. Diversas tamen esse lyram et citharam argumento fuerit, quod Pausanias et alii Græci Mercurium lyræ, Apollinem citharæ inventorem faciunt. Utrumque esse cognatum instrumentum, patet ex illo abusu et confusione, Sunt enim ambo ἔγχορδα, καθαπτά, καὶ ἐντατὰ ὄργανα, hoc est, intenduntur nerviis, sive fidibus. Sed paucis nota sunt utriusque discrimina : quin ne de lyra quidem hac, de qua agimus nunc, satis constat vulgo. Multum enim differt ab ea, quæ Arioni, et Herculi μουσαγέτῃ in marmoribus, et gemmis, et numismatibus adtribuitur. Hæc enim, quæ relata est in asterismos, immane quantum ab illa Arionis discrepat: quæ quum sit Mercurii inventum, cujusmodi fuerit, videamus. Mercurius igitur sectos calamos per oras testæ supinæ trajecit, quibus terginum bubulum tamquam operculum adglutinavit, ita ut calami ipsi fulcrorum καὶ ὀχήματος vicem essent corio. Deinde brachiola duo in summo testæ panxit ea parte, ubi erant anteriores pedes bestiæ: quæ quidem brachia sive manubria transtillo transverso cacuminibus conjunxit. Manubria πήχεις vocat Homerus, ut vidimus, Ptolemæus κέρατα, quod essent vara, aut camura instar cornuum. Transtillum autem transversum Latine jugum

dicitur, Græce ζύγωμα, ut Ptolemæo, ζυγὸς Homero, in Hymno in Mercurium. Paullo supra fundum testæ a parte prona, clavum, aut epitonium instar umbilici panxit, e quo omnes chordæ vinciebantur: quod epitonium χορδότονον Polluci et Iamblico dicitur; fundus vero, sive ima pars testæ, βατήρ. Igitur chordæ omnes in uno umbilico revinctæ per βατῆρα in partem supinam traductæ in ipso jugo desinebant, in quo suis summitatibus intensæ erant. Subjectum præterea est illi supra βατῆρα in imo partis supinæ lignum, aut calamus, quo Chordæ veherentur. Alioqui Chordæ sonum nullum ederent: μαγάδιον vocat Lucianus, nostri fidicines *Chevalet*, id est, equuleum, quod eo chordæ vectentur. Corneum erat, quum primum fuisset ex arundine, hoc est, semitubulo arundinis. Unde Aristophanes vocavit δόνακα ὑπολύριον, ὡς πάλαι ἀντὶ κέρατος ὑποτιθέμενον ταῖς λύραις. Ita legendum in Polluce, non autem κεράτων, ut vulgo excuditur absurdissime; quum κέρατα sint οἱ πήχεις, et manubria, sive brachia Lyræ. Eustathius etiam id manifesto confirmat. Αἴλιος, inquit, Διονύσιος εἰπὼν, ὡς δόναξ καὶ τὸ λύριον, ἐπάγει· τὸ γὰρ παλαιὸν ἀντὶ τοῦ κέρατος ὑπετίθεντο κάλαμον. Idem apud Etymologicum, modo pro θύραις legas λύραις in voce Δόναξ· quæ menda virum probissimum et doctissimum aliud agentem in errorem perpulit. E calamo igitur primum τὸ μαγάδιον sive (ut Ælius) τὸ λύριον fiebat, deinde ex cornu factum. Ligneum asserculum quadratum vocat Hesychius: μαγὰς, σανὶς τετράγωνος, ὑπόκυφος δεχομένη τῆς κιθάρας τὰς νευράς. Absque illo magadio manifesto muta erat Lyra. Unde Sophocles in illum, qui statim obmutuerat: ὑφῃρέθη, inquit, σοῦ κάλαμος, ὥσπερεὶ λύρας. Adparet enim, non, ut nunc, parti supinæ adglutinatum fuisse, sed ipsis fidibus pro tempore et usu subjici, et propterea non raro excidere solitum; ideo quod, non glutine, sed intensione ipsa fidium retineretur. Hæc est forma veteris Lyræ, quam poetæ a Mercurio inventam produnt: quæ plane illud scarabæorum genus referebat, quos Galli Cervos volantes dicunt, Nigidius Lucanos vocabat, si quidem cornuum cacumina fingamus

conjuncta esse. Nam corpus ipsius insecti referet ὄστρακον, vel testudinem, cornua ipsos πήχεις, quæ et κέρατα quoque Ptolemæo dicuntur. Eodem modo referet caput bubulum, si frontem pro supina parte testudinis imagineris, nares pro fundo. Sed audiamus Hyginum : « Habet autem (Lyra) in ipsis testudinis lateribus singulas stellas : in summis cacuminibus eorum, quæ in testudine ut brachia sunt collocata, singulas : in mediis iisdem, quos humeros Eratosthenes fingit, singulas : in scapulis ipsius testudinis unam : in ima lyra, quæ ut basis totius videtur, unam ». Non obscure brachia vocat, quos Homerus πήχεις. Humeros autem inepte vertit ex Eratosthene. Nam omnes Græci vocant ἀγκῶνας, non ὤμους. Sunt enim flexuræ ipsorum κεράτων, aut πήχεων. Polluci inter μέρη τῶν ὀργάνων ponuntur, πήχεις, ἀγκῶνες, κέρατα. Sed πήχεις et κέρατα sunt idem : ἀγκῶνες pars. Scapulas vocat Hyginus, ubi impacta sunt brachia, sive πήχεις. Ptolemæo ἔκφυσις κεράτων. Nam vivente bestia quasi ὦμοι ipsius erant, nimirum in anterioribus bestiæ pedibus, quos ea de re agens Nicander in Alexipharmacis πέζας vocat, id est, pedes. Sane πέζαι sunt pedes anteriores. Ideoque in omnibus quadrupedibus ὦμοι. Imam lyram recte basim interpretatur. Nam τὸν βατῆρα intelligit. Scholiastes Germanici : « Habet autem stellas in utriusque pectinibus singulas : in cacumine chordarum singulas : in utriusque humeris singulas : in fundo unam : in modulo (modiolo) unam : in tympano claram, atque candidam unam. Sunt omnes novem ». Quamvis per omnia non illi convenit cum asterismis, tamen propius abest a vero. Pectines vocat, quæ Hyginus brachia, Homerus πήχεις, Ptolemæus κέρατα ; quamquam alioquin Pecten est Plectrum. Cacumen chordarum intelligit τὸ ζύγωμα, unde scilicet chordæ suis cacuminibus tenduntur. Humeri sunt, quæ scapulæ Hygino, πέζαι Nicandro, ὦμοι Scholiastæ ipsius. Fundus βατὴρ, vel, ut Hyginus, βάσις. Modulum pro modo legimus : est χορδότονον in parte prona instar umbilici, aut clavi capitati. Hoc enim Græcis est χοινικὶς, id est, modiolus. Tym-

panum est plane ὄςρακον ipsum, sive testudo. Nam omne cavum ab una parte, ab altera rotundum, tympanum dicitur. Itaque margarita ad illud instar vocantur tympana, teste Plinio, et post illum, Isidoro. Sed Hyginus plane ipsam bestiam cum rostro et pedibus describere videtur, non autem exenteratam, qualem canit Homerus. Et sane a veteribus etiam Græcis bestiam integram in globis pingi solitam testis adpellatio Arabica Vultur cadens. Testudo enim marina, quæ Aristoteli ἐμῦς dicitur, adeo capite vulturis rostrum, pedibus autem alas pansas refert, ut eo nomine ab Hollandis *Zeearent* vocitetur, id est, Aquila marina. Quisquis eam vidit, ignoscet Arabibus ita vocitantibus. Quin etiam Nicander marinam testudinem alis non pedibus mare percurrere ait in Alexipharmacis:

> Ἀμμίγδην ἁλίοιο κατεψηθέντα χελώνης
> Γυίοις, ἣ ταχινοῖσι διαπλώει πτερύγεσσι.

Sed nostri Mechanici sphærarum solidarum artifices adeo inscitia vetustatis labuntur, ut pro vulture cadente non testudinem, sed portentum ex capite vulturino et alio compositum, quod ne ipsi quidem quid sit dixerint, proscribant. At quanti refert veterem figuram lyræ adponere? Quomodo enim κέρατα, ὄςρακον, ἔκφυσιν κεράτων, ex Ptolemæo exprimen? Dicant mihi, ubi in Almagesto Latino invenient alas vulturis, aut rostrum, aut id genus deliramenta? Ibi tantum legent pro ostraco pupillam. Præterea inveniet lancem libræ, quod Græce ζύγωμα, quum ζύγωμα non sit lanx libræ, sed librile, ut apud Festum. Apage igitur vultures cadentes, et ad veram lyram Mercurii asterismus recudatur; cujus duorum extremorum in longum alterum est τὸ ζύγωμα, ubi fuit caput bestiæ, alterum ὁ βατὴρ, ubi antea cauda: et quidem τὸ ζύγωμα debet spectare eclipticam, βατὴρ autem polum, ut sit instar cadentis; et propterea rectissime vocarint Arabes vulturem cadentem: τὸ ζύγωμα enim minorem habet latitudinem, quam reliquum testudinis. Est igitur propius Eclipticam.

Omnia hæc tam veterem figuram restituunt, quam recentiorum commentum de figura semivulturis confutant. Sed nescio an cacoethes a mechanicis extorsero; quum illi usu potius, quam ratione agi soleant. Nostrum sane erat tam ineptam consuetudinem castigare. Porro πρανὲς sive pronum vocamus eam partem, qua tergum est, ut contra τὸ ὕπτιον, supinam partem, qua pectus, ut Aristoteles in libris de historia animalium. Lyra igitur pingenda in sphæra solida prona parte in nos conversa, quemadmodum reliquas omnes μορφώσεις tergis in nos conversis pingi debere Theo docuit: quamquam Hipparchus negat, nisi si quid, inquit, fuerit κατάγραφον, hoc est, si quid in prona parte pingendum sit; quemadmodum omnes stellæ in Lyra sunt in prona parte. Hæc Lyra asterismorum longe diversa est ab ea, quæ in veteribus monimentis sculpta visitur, quam vocabimus Lyram posteriorem. Lyram vero asterismorum sive cælestem vocemus Lyram Mercurii. A Lyra igitur Mercurii profecta est chelys, sive cithara, quam etiam φόρμιγγα vocant: quæ nihil aliud est, quam Lyra Mercurii reformata. Nam testudinem quidem habet, ut illa Mercurii, sed pro cornibus singulare manubrium erectum; in cujus cacumine paxilli trajecti sunt, ad fides tendendas, vel remittendas. Aristophanes Σφῆξι, κόλλοπας vocat, item Homerus, Odyss. XXI. Doctiores Critici πασσαλίσκους interpretantur, imperitiores δέρματα. Sed viderint quomodo coriis nerviæ intendi possint. Hispani a Mauris hoc instrumentum vocant *Laud*. Hoc enim est cum puncto *Wazli*, quo *Eliph* in articulo non pronuntiatur. Itali *Lieuto*. Unde Alciatus putavit quasi ἁλιευτὸν dietum, quod scapham piscatoriam ipsi referre visum sit. Multis modis doctissimi viri sententia non confutari tantum, sed explodi posset, si tanti esset nugari. Chelyn igitur, sive citharam habes in Xenodochio Lateranensi Romæ, ubi lectus discubitorius visitur, mensa adposita cum ministerio, et mulier sinistra manubrium citharæ tenens, dextra fila temperans; quod est plane *Laut* vel cithara nostra, adeo res vetusta, ut

Homerus ejus meminerit. Quemadmodum vero ex integra Mercurii Lyra nata est chelys, ita ex parte ejus prodiit Lyra posterior, cum quali Arion, Apollo et Hercules visuntur hodie in veteribus monimentis. Ea enim Lyra nihil aliud est, quam Lyra Mercurii dempta testudine; et prætcrea pro modiolo, in quo omnes erant revinctæ chordæ, in lyra posteriori eæ singulæ suis cacuminibus seorsim hærent in fundo. Ea non πήχεις proprie, sed κέρατα καὶ ἀγκωνίσκους vicem manubriorum habent: ἀγκῶνες sunt forma literæ S, ut habes apud Vitruvium lib. IV, cap. 6; ne forte pro normali angulo accipias, ut alibi non semel apud eumdem. Constat enim Lyra posterior ex duobus anconibus velut duabus S obversis ; ut possis vere dicere tres literas Lyram posteriorem constituisse, duplicem nempe S opposito situ, et unam I præterea transversam, quæ jugum facit. Porro Lyram aliquando plectro pulsabant, aliquando digitis tantum fila temperabant. Nam et Romæ Hercules marmoreus est dextra plectrum, sinistra Lyram tenens. Arionem etiam vidimus in quibusdam gemmis incisum plectro Lyram pulsantem, in aliis utraque manu chordas percurrentem, quod in Harpa nostra fieri solet. Lyram tamen ab *Harpa* distinguit Venantius Fortunatus : « Romanusque Lyra plaudat tibi, Barbarus harpa ». Primus omnium Epigonus posito plectro digitis modulatus est, quod vocatur ἐπικρέκειν. Pollux ἐπικρούειν dixit. Ἐπίγονος, inquit, ἦν γένει μὲν Ἀμβρακιώτης, τιμῇ δὲ Σικυώνιος, πρῶτος ἐπικρούσας ἄνευ πλήκτρου. Statius libro VI : « citharæque manus insertus Apollo » : nempe inserit summitates digitorum fidibus, sine usu plectri. In x : « et digitos inter sua fila trementes ». Primo Achilleidos : « ducitque manum, digitosque sonanti Infringit citharæ ». In his omnibus est sola ἐπίκρουσις sine plectro. Nostri fidicines sinistra manu phthongos in manubrio distinguunt, dextra chordas carpentes. Sed et quidam sola sinistra in manubrio modulantur. Id Veteres dicebant intus canere ; quod faciebat Aspendius ille tibicen notus proverbio. Asconius in Verrinas Ciceronis non videtur ad-

sequutus quid esset intus canere. Quamvis autem Lyram ab Harpa distinguimus, Harpam tamen ab illa natam scimus. Idem enim usus, forma aliquantum immutata. Nam de numero chordarum res vetustissima est. Sane ab initio fuisse heptachordon et mediocriter periti sciunt. Tandem eo progressa licentia, ut octodecim chordis fieret. Ejus novationis pœnas dedit Lacedæmone Timotheus fidicen domo Milesius, quod quatuor ad septem illas priscas adjecisset, vel, ut alii volunt, ab aliis adjectas Spartam intulisset, et hoc novo commento juvenum animos effeminare videretur. Ob eam rem placuisse, ut productus in Comitium, qui locus Σκιὰς vocabatur, manibus propriis quatuor superfluas chordas amputaret, et cum flagitio ex urbe pelleretur. Exstat decretum Ephororum de ea re apud Boetium primo de Musica; sed ejusmodi, ut quidvis potius, quam Græca oratio videatur: neque in manuscriptis clementius tractatum est a librariis. Ex illis tamen obsoletis vestigiis priscam illi formam restituimus. Hoc inserit Jos. Scal. suæ edit. pag. 425.

Hoc λακωνίζον Senatusconsultum, quod multa cognitu digna contineat, multifariam discutiendum erat, si tempus et locus paterentur: nam aliena sunt a præsenti instituto, hoc est, a Lyræ vetustæ doctrina. Itaque ea prudentes omittimus. Obiter tantum in eo notent candidi adolescentes, Lacedæmone in omnibus Patres auctores fieri, Reges ad populum referre, populum sciscere; ut Romæ quoque fiebat. Notent præterea, quum satis firma caussa videretur Timothei ejiciendi, si tantum illi objiceretur quod quatuor chordas Lyræ adjecisset, et veterem harmoniam innovasset, invidia insuper Eleusinii sacri divulgati eum onerarunt; denique ut majore cum infamia vim judicii experiretur, suis sibi manibus superfluas chordas palam in Comitio, relictis septem priscis, amputare coactus est. Lyra autem ejus e loco Comitii, sive Σκιάδος, suspensa est, unde procul conspici posset, cum elogio, ὅτι καινότατα πολυφωνίας εἰσᾶγεν. Quod autem σῖγμα finale in ῥῶ mutarent Lacedæmonii, monuit et Boetius, quum hoc

Decretum produceret, et constat ex quibusdam vocibus illius idiomatis, ut ἀκκὸρ. id est, ἀσκὸς. in qua voce duplex Laconismus, nempe τοῦ σῖγμα ante κάππα mutatio in κάππα, ut est διδάκκει in ipso Decreto; et præterea ῥῶ finale pro σῖγμα. Sic πέλανορ pro πέλανος dicebant, auctore Hesychio. Sic πὸρ, ποὺς apud eumdem, et alia innumera. Sed non possumus non mirari quomodo vetustissimi duo scriptores, Thucydides et Aristophanes, quum Lacedæmonum verba et longas orationes adducant, nihil tale protulerunt. Nam in Thucydidis quinto neque συμβατήριος λόγος τῶν Λακεδαιμονίων πρὸς Ἀργείους, neque eorumdem συμμαχία cum iisdem ullum ejusmodi verbum in ῥῶ terminat; neque Aristophanes, qui totus est in exprimendo idiotismo Laconum in Comœdia Lysistrata, vel minimam quidem ejus rei suspicionem nobis reliquit, cujus tamen intererat ea non omisisse.

EXCURSUS III

AD MANILII ASTRON. LIB. V, vs. 505.

Condentemque novum cælum. Musivario opere scilicet. Firmicus conjungit hæc duo, inauratores, et musivarios, lib. III : « Faciet eos, qui sic habent Jovem, quodam subtili artificio sæpe pollentes, aut aurifices, aut ex auro vestes pingentes, aut inauratores, aut musivarios, aut ex argento quædam facientes opera ». Male in vulgatis Firmici codicibus, *aut in usu varios.* Rursus apud Firmicum, lib. IV, cap. 15, bractearios, musicos, organarios, pictores. Noli dubitare, quin Firmicus scripserit bractearios, musivarios pictores. Pavimenta sectilibus scutulis, aut tessellis structa, et ad regulam exacte perfricata, vocantur musiva. Spartianus in Pescennio. Ψηφοθέτης, *tessellarius* exponitur, et *tessellator.* Ψηφολογία, *tessellatus*, *pavimentum.* Ψηφολογῶ, *tessello.* Lucilius :

> Quam lepidæ lexes compostæ, ut tesserulæ omnes
> Arte pavimenti, atque emblemate vermiculatæ.

Ita legendum, ut habent scripti codices. Ars pavimenti, quam vocat Lucilius, est tessellatio, artifices, tessellatores, qui et musivarii Firmico, et Impp. Cod. Theod. l. 3, de excus. artif. Ut Ἀχαιὸς, Achivus; sic μουσαῖος, musivus, a concinnitate. Et ut Ἀχαϊκὸς ab Achæo; sic μουσαϊκὸς παρὰ τὴν μουσαῖον. Unde hodieque opus musaicum dicitur recte, non depravate, ut putant docti; et, si bene memini, videor legisse Musaicum in Augustino. Rursus artem pavimenti asaroticos lapillos vocat Sidonius in Narbone. Emblema quomodo diceretur ne Tiberii quidem temporibus constabat, ut ex

Suetonio cognoscimus. Tamen plus quam sexaginta annis antea τὸ ἔμβλημα Publius Syrus *Insertam* verterat :

> Frugalitas inserta est rumoris boni,

hoc est, ἔμβλημα, ad verbum. Inepte hodie *miseria*. Sed manuscripta lectio Gellianorum excerptorum clare habebat *inserta*. Tertullian. quoque libro de Idololatria literas profanas vocat *insertas idolorum prædicationis*, et in eodem libro, *insignia dignitatum insertas dixit*. Species musivarii operis aut vermiculationis sunt illæ duæ, quarum meminit Plinius libro XXXV, cap. 1 : « Nunc vero in totum marmoribus pulsa, jam quidem et auro, nec tantum ut parietes toti operiantur, verum et interraso marmore, vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. Non placent jam abaci nec spatia montis in cubiculo dilitentia : cœpimus et lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum : Neronis vero, maculas, quæ non essent, in crustis inserendo unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Sinnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciæ ». Ecce aliam ψηφοβολίαν et vermiculationem : alteram, quæ crustis marmorum diversicolorum vermiculatas animalium effigies referret : alteram, quæ marmoris maculas alieno marmori insereret, et orbes ac ovatas ellipses, ut Mathematici vocant, marmori includeret. Seneca epistola LXXXVII : « Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis ac pretiosis orbibus refulserint; nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint ». Quas ovatas figuras vocat Plinius, eas Seneca orbes. Juvenalis, Sat. XI, 173 :

> Qui Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem,

hoc est, pavimentum stibadii, aut triclinii marmoreum, orbibus hujusmodi insitum. Intelligit plane divitem. Invitans enim amicum, non, inquit, tibi dabo delicias, quas soli divites inter cœnam adhibent. Hoc non convenit paupertinæ fortunæ nostræ, sed illius tantum, qui pitysmate lubricat

Lacedæmonium orbem, id est, cujus triclinii pavimentum pretiosis Tænarii marmoris orbibus refulget, aut ovatis maculis. Nostrum pavimentum plebeium est. Itaque nos pavimentum plebeium pitysmate lubricamus, non autem pavimentum Lacedæmonium. Pitysmata sunt, quæ ex poculis in pavimentum adliduntur, ut resonaret. Κοτταβισμὸν Græci vocant. Cicero in Tusculanis de Critia Socratis inimico ex Xenophonte. Horatius, lib. II, od. 14, vs. 26:

> et mero
> Tinget pavimentum superbum.

Jam illis pitysmatis lubricatur pavimentum, ut etiam excogitata sint pavimenta, ne ex humore illo maderent. Vitruvius libro VI de pavimentis: « Ita conviviis eorum, et quod poculis et pitysmatis effunditur, simul atque cadit, siccescit ». Quam hallucinati sunt omnes Critici in illo versu Juvenalis a Politiano usque, qui primus illum locum vexavit, ad illum, qui in suis variis *petteumate* legebat, tam ridiculo sensu, quam verbo! Nullum est Juvenalis paullo melioris notæ exemplar, quod non habeat *pitysmate:* etiam vetus Scholiastes id agnoscit. Pityssare est rotantibus, ut Cicero loquitur, et minutis poculis pergræcari. Alexis: καὶ τὸν μὲν ὄξιν οἶνον ἐκπιτίζομεν. Omnes illi Critici putarunt Juvenalem de ludo quodam agere. Atqui nihil tale. Ne exspectes, inquit, a paupere Gaditanas puellas et crusmata. Hoc competit illi, qui pitysmata effundit in pavimentum pretiosum crustis marmoreis vermiculatum, non nobis, qui pitysmate tingimus pavimentum αὐτοσχέδιον et plebeium. Lege Juvenalem: ne tibi quidem ignosces, qui in re tam clara cæcutiveris: et plane est omnium doctorum ibi jocularis hallucinatio. De vino quod projiciebant humum, quod διαπιτύζειν καὶ ἀποκοτταβίζειν, dicebant, accipe notabiles versus Archedici Comici θησαυρῷ, qui erunt loci Juvenalis interpretes:

> Ἅμα δ' εἴτι χρηστὸν ἀγοράσαιμ' [ἀπολλύμην].
> Κατέδοντ' ἐκεῖνοι· τοῦτο [πρὸς ἐμαυτὸν λέγω]

Διαπιτυοῦσ' οἶνον δὲ τοιοῦτον χαμαί;
Οἴ μοι.

Vides διαπιτύζειν οἶνον χαμαί, quo modo Juvenalis lubricare pavimenta pitysmate, et Horatius tingere vino pavimentum. Inde Terentianum : *vini quid pityssavit mihi?* Omnes lubricant pavimentum pitysmate, sed Lacedæmonium pavimentum soli divites.

EXCURSUS IV

AD MANILII ASTRON. LIB. V, VS. 710.

Tertia Pleiades. Desunt ortus Anguis, qui medias Arctos interpositus est, item Cynosuræ. « Sub Angue nati, inquit Firmicus, Marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare ». Tres in asterismis Angues nosti, Anguem Ursarum hunc, de quo nunc, Hydram, et Anguem Ophiuchi. Sed Statius pueriliter Anguem Ursarum cum Hydra confundit, Theb. V, 529 :

> Quantus ab Arctois discriminat æthera plaustris
> Anguis ad usque Notos, alienumque exit in orbem.

Nam Anguis ursarum non exit in Notum, neque in alienum orbem, id est, Notium, quem Manilius vocat peregrinum orbem. Ita Statium culpa non liberabimus. « Sub Cynosura oriente nati metallorum inventores erunt, qui latentes auri et argenti venas, ac cæterarum specierum solertibus inquisitionibus persequantur. Hi quoque monetarii efficientur ». Firmicus, apud quem male legitur Cycnus. Præterea adde-

hat Manilius, si nascente homine tonaret, fore, ut toto vitæ tempore tremulus esset, et cætera quæ a Firmico petas, qui pæne ad verbum omnia decreta sphæræ barbaricæ ex Manilio desumpsit, et tamen magno ingrati crimine nomen ejus numquam memoravit. Postremo Manilius tractabat Myriogenesin sphæræ barbaricæ, saltem eam, quæ ad tertia apotelesmata pertinet. Docet enim ea pars, quæ sint lucidæ stellæ in XII signis. Ex ea igitur Manilius docebat quænam signa stellas claras, aut obscuras, aut tristes habeant. Nam Veteres illi stellarum clarissimas primæ magnitudinis, secundæ, et tertiæ, usque ad sextam magnitudinem definiverunt. Primæ magnitudinis determinarunt, quarum diametros adparens est VIII scrupulorum, secundæ VI, tertiæ IV, quartæ III, quintæ II, sextæ I. Hac methodo et numerum earum adsequuti sunt: primæ magnitudinis XV, secundæ XLV, tertiæ CCVIII, quartæ CCCCLXXIV, quintæ CCXVII, sextæ LIII. Summa M. XXII, atque earum usum esse in apotelesmatis sciverunt, quatenus eas cum erronum septem temperamento communicáre compererunt; ac alias quidem in Zodiaco, alias in Septemtrionis, alias in Austri partibus sitas. Quum igitur aut in horoscopo, aut in medio cælo inventæ fuerint partiliter, aut cum Luna, aut cum aliqua quinque stellarum aliquem σχηματισμὸν facere, alterant genituram secundum innatum sibi et ingenitum temperamentum: puta, si benevolæ temperaturæ, meliora erunt, quæ ad animum pertinent: si malevolæ, pejora. Quæ omnes vires considerantur aut magnitudine, aut loco: magnitudine, ut si primæ, si secundæ: loco, si propiores eclipticæ, aut remotiores, idque per VIII gradus circiter. Tanta enim est maxima Veneris inclinatio. Quæ eclipticæ contiguæ, eæ vires a Sole sumunt: quæ intra III gradus sunt, omni planetæ jungi possunt, præterquam Soli. Is enim numquam deflectit ab ecliptica. A tertio gradu, usque ad quintum, a Marte et Luna vires capiunt. A V ad VIII debilissimæ sunt. Manilius igitur tertia Apotelesmata, seu Myriogenesin expositurus præmittebat ἐν προθεω-

ρίας λόγῳ, quænam primæ magnitudinis sint, quæ secundæ. Quod superest nunc fragmentum, incipit a tertia, ut vides. Nam dicit : «Tertia Pleiades dotabit forma sorores ». — *Tertia Pleiades.* Hinc incipit fragmentum. Tertiæ magnitudinis stellæ, Vergiliæ, Ursa minor, Delphinus, Deltoton, Aquila, Serpens. Quam hic hallucinatus sit Bonincontrius, potes ex ejus Commentario scire, si tempus perdere non piget. — *Tertia Pleiades.* Quod dicat totas Vergilias sex aut septem esse tertiæ magnitudinis, frustra est : nulla enim earum est tertiæ magnitudinis.

MONOMOERIÆ

ASCENDENTES IN SINGULIS SIGNIS CUM SIGNIFICATIONIBUS ET DECANIS SUIS ÆGYPTIACIS.

ARIES.

♂ *Primus Decanus* (ASICCAN) *Martis : audaciæ, fortitudinis, elationis, inverecundiæ.*

Grad.		
I	Via dextra falcem tenens, sinistra ballistam.	Natus aliquandn laborabit, aliquandn bella geret.
II	Vir capite caninn, dextra protensa, læva baculum gerens.	Natus rixnsus erit, et invidus.
III	Vir dextra ostendens varia mundi, sinistra zonæ adposita.	Natus pacis amator erit.
IV	Vir crispo capilln, dextra manu accipitrem, sinistra flagellum tenens.	Natus raro ditescet, acqnisita disperdet.
V	Viri dun: alter secnri ligna findens, alter dextra sceptrum gestans.	Natns paterfamilias adpellabitur.
VI	Rex coronatus, dextra pomum imperiale, sinistra sceptrnm tenens.	Natns cognatos et vicinos superabit.
VII	Cataphractus, sagittam manu gestans.	Natns in custodia sui sataget.
VIII	Vir galeatus, cætera inermis dextra ballistam gerens.	Natns contentiosus erit, et homicida.
IX	Vir capite nudn, cætera vestitus, læva gladinm tenens.	Natus verbosus erit, et semper admirabundus.
X	Vir ursum cuspide transfigens.	Natus venator erit.

☉ *Secundus Decanus* (SENACHER) *Solis : nobilitatis, magnanimitatis, regni, et magni dominii.*

XI	Mulier stans, dextra manu colum gestans.	Natus hospitalis erit.
XII	Aqnila passis alis snbjectos pullos snos circumvolitans.	Natus elevari cupiet.
XIII	Vir gracilis dextra hircum cornibus adprehendens.	Natus mirus homo erit.
XIV	Vir stans, ambabus manibus catena vinctis.	Natus sæpe in carcerem conjicietur.
XV	Vir loricatus, capite nudo, passis brachiis.	Natus furax erit, et tenebrio.
XVI	Vir ligone operans. Aliter: vir ex urceolo aquam effundens.	Natns aut agricola, aut piscator erit.
XVII	Vir sericatus otiosus stans.	Natus delicatus erit.
XVIII	Mulier throno insidens, dextra manu elevata.	Natus pacem amabit.
XIX	Vir stans, thesanrum manibus iudicans.	Natus erit fnrax et tenebrio.
XX	Vir galeatus cum penna Struthiocameli taurum equitans, eqnum sinistra trahens.	Natns malitiosus erit.

♀ *Tertius Decanus* (ACENTACER) *Veneris : solertiæ, mansuetudinis, ludorum, jocorum, munditiarum.*

XXI	Canis clunibus insideus ore ad Leonem et ipsum quoque clunibus insidentem converso.	Natus fidelis erit socius.
XXII	Ursus cluuibus insidens, trabem ore mordicns tenens.	Natus malus erit socius.
XXIII	Tres serpentes cum totidem pugnantes.	Natus multos iuimicos habebit.
XXIV	Mulier nuda perizomate succincta, dextra manu porrecta.	Mulier optat virum, aut vir mulierem.
XXV	Vir crispo capillo arietem equitans.	Natus civibus dominari volet.

XXVI	Sol in Solem radios jaciens.	Natus principatum obtinebit.
XXVII	Draco magnus humi porrectus.	Natus potens erit in senectute.
XXVIII	Mulier stans vestibus eleganter culta.	Natus hilaris, et placidus erit.
XXIX	Vir manibus serram tenens.	Natus labore sibi et uxori victum quæret.
XXX	Mulier severa equum instratum manu dextra trahens.	Natus in alios imperium habere volet.

TAURUS.

☿ *Primus Decanus* (ASICATH) *Mercurii : arationis, sationis, structuræ, deductionis coloniarum, scientiarum civilium, geometriæ.*

I	Vir baculo taurum agens ad macellum.	Natus carnifex erit.
II	Mulier manu caudam equi adprehendens.	Natus otiosus erit.
III	Vetula peplata. Alias mulier verenda subligaculo tecta.	Nata in senectute virum adpetet, et cupiet juvenis videri.
IV	Mulier dextra flagrum tenens.	Natus iracundus erit.
V	Bos in aheno sedens.	Natus hospitalis erit.
VI	Vir triceps, dextra porrecta indicans.	Natus sapiens erit et illustris.
VII	Mulier formosa stans.	Natus superbus erit.
VIII	Mulier tristis in seliquastro sedens.	Natus tristis et abjectus erit.
IX	Vir flagellum gestans agnos et capras pascens.	Natus opilio erit et bubulcus.
X	Duæ mulieres simul stantes cane inter ambas ludente.	Natus otiosus erit, rebus Venereis operam dans.

☽ *Secundus Decanus* (VIROASO) *Lunæ : potentiæ, nobilitatis, dignitatis, imperii in gentes.*

XI	Avis magna, instar corvi, stans.	Natus erit avarus.
XII	Mulieres duæ stantes, manibus copulatis.	Natus bonæ voluntatis erit.

XIII	Duæ mulieres invicem se verberantes.	Natus rixosus erit.
XIV	Vir manu baculum tenens.	Natus dirimet litigantes.
XV	Septem aves in aere volantes.	Natus instabilis erit.
XVI	Vir sedens super asino.	Natus piger erit, tardus in omnibus.
XVII	Taurus ad arborem per medium corporis adligatus.	Natus quotidie negotiis laboriosis implicabitur.
XVIII	Duo tauri capitibus sese incursantes.	Natus furiosus erit.
XIX	Mulier aquam ex olla in aliam transfundens.	Natus dulcia verba dabit.
XX	Duo canes se invicem mordentes.	Natus invidus erit.

♄ *Tertius Decanus* (AHARPH) *Saturni : miseriæ, servitutis, feritatis, necessitatis, vilitatis.*

XXI	Ursus retro respiciens.	Nascetur malevolus et iracundus.
XXII	Tres viri manibus se tenentes.	Nascetur ἄστοργος.
XXIII	Vir in tergum cadens.	Natus per omnia infelix erit.
XXIV	Vir incurvus baculo incumbens.	Natus imbecillus erit in iis, quæ faciet.
XXV	Vir insistens baculo.	Nascetur fortis in factis suis.
XXVI	Vir stans, manu indicans.	Natus erit pacificus.
XXVII	Ager cum segete. Alias manipuli non colligati.	Natus divitias coget.
XXVIII	Mulier freno equum trahens.	Natus volet aliis dominari.
XXIX	Mulier freno asinum trahens: alias hircum cornibus trahens.	Nata volet imperare viro.
XXX	Structura speciosa.	Delectabile factum significat.

GEMINI.

♃ *Primus Decanus* (THESOGAR) *Jovis : tabellionatus, calculi dati et accepti, petitionum, scientiarum inutilium.*

I	Duo viri manibus per mutua connexis.	Nascetur hilaris.
II	Vir unus duos nudos trahens.	Nascetur finium captor.
III	Vir testudine canens.	Natus homines oblectabit.

IV	Vir uxorem manu trahens.	Nascetur hospitalis.
V	Vir sinistra ballistam, dextra zonam gerens.	Natus accinget se ad bellum.
VI	Vir dextra libram tenens.	Nascetur mercator.
VII	Duæ sponsæ manibus copulatis.	Natus uxorem ducet.
VIII	Faber ferrum cudens: mulier stans otiosa.	Nascetur fugitans laboris.
IX	Rex sedens pomum, sive pilam mundi dextra gerens, sceptrum sinistra.	Natus imperium obtinebit.
X	Vir virum elevans humo.	Natus amice cum omnium moribus conveniet.

♂ *Secundus Decanus* (VERASUA) *Martis: angustiarum, laboris, inquisitionis rerum ærumnosæ, agilitatis indecoræ.*

XI	Aquila tres pullos suos supervolitans.	Nascetur auguriis deditus.
XII	Duæ mulieres stantes et flentes.	Natus tristis erit.
XIII	Tres corvi una stantes.	Nascetur invidus et avarus.
XIV	Duæ vulpes gallinas vorantes.	Nascetur gulosus et avarus.
XV	Vir septem habens capita.	Natus multorum sensuum erit.
XVI	Pons ultra aquas.	Natus laborabit sine fructu.
XVII	Vir sine manibus stans otiosus.	Nascetur homo nulli rei.
XVIII	Vulpes velociter currens.	Natus semper laborabit.
XIX	Ærumnosus baculum gestans.	Natus viator erit.
XX	Serpentes tres in terra prostrati.	Natus sapiens erit.

☉ *Tertius Decanus* (TEPISATOSOA) *Solis: oblivionis, dedignationum, jocandi, cavillandi, futilia audiendi.*

XXI	Vir sedens in equo.	Natus eliens erit.
XXII	Duæ aves colloquium simul serentes.	Nascetur anceps.
XXIII	Vir decrepitus innitens baculo.	Nascetur ærumnosus et otiosus.
XXIV	Duæ mulieres congratulantes et sedentes.	Natus erit lætus.

XXV	Vir librum apertum manu tenens.	Nascetur studiosus.
XXVI	Duo canes invicem mordentes.	Nascetur litigiosus.
XXVII	Mulier otiosa stans et flens.	Natus erit vagabundus.
XXVIII	Duo tauri, alter altero major.	Nascetur laboriosus.
XXIX	Canes tres currentes contrario itinere.	Nascetur venator nobilium.
XXX	Duo viri singulos canes trahentes.	Nascetur venator principum.

CANCER.

♀ *Primus Decanus* (SOTHIS) *Veneris: alacritatis, communionis, amabilitatis.*

I	Vir et mulier manibus copulatis congratulantes.	Nascetur lætus et amabilis.
II	Mulieres duæ otiosæ instar duarum turrium stantes.	Nascetur otiosus.
III	Duo viri stantes coram duabus mulieribus sedentibus.	Natus alteri ad libitum serviet.
IV	Virgo stans otiosa virum exspectando.	Nascetur libidinosus.
V	Mulier stans virum exspectando.	Nascetur luxuriosus.
VI	Vir capram tenens in olla ærea.	Nascetur fatuus.
VII	Vir zona capram trahens.	Nascetur carnifex.
VIII	Mulier stans post domum sese abscondens.	Nascetur piger atque lascivus.
IX	Mulier dextra fusum tenens.	Natus laboriosus erit.
X	Vir dextra cistam tenens.	Natus laboriosus erit.

☿ *Secundus Decanus* (SYTH) *Mercurii: jocositatis, confabulationis mulierum, divitiarum, ubertatis.*

XI	Navis stans in aquis.	Natus piscator erit.
XII	Vir spolium animalis humero portans.	Natus cerdo erit.
XIII	Puer sedens librum apertum tenens cum calamo.	Natus studiosus erit.

XIV	Agnus coronam habens auream in capite.	Nascetur aurifaber.
XV	Rex murium super tecto recubans in nido suo.	Natus continebit se intra domum.
XVI	Avis pedibus serpentem tenens.	Natus gaudebit.
XVII	Mulier stans otiosa.	Nascetur piger.
XVIII	Duæ mulieres alea ludentes.	Natus gaudebit.
XIX	Vir cuspidem dextra, sinistra fistulam tenens.	Nascetur histrio.
XX	Canis sedens in curru.	Nascetur piger.

☽ *Tertius Decanus* (THUIMIS) *Lunæ : venationis, retrahendi fugitivos, armis res repetendi, adversandi omnibus.*

XXI	Currus stans vacuus.	Natus vanis operam dabit.
XXII	Vir stans otiosus.	Natus piger erit.
XXIII	Aqua profluens.	Nascetur instabilis.
XXIV	Equus equum insiliens.	Natus super alios evehi volet ad culmen dignitatum.
XXV	Equus liber vagans in campestribus.	Natus erit instabilis.
XXVI	Aqua fluens ex montibus.	Natus mobilis erit.
XXVII	Equus frenatus.	Natus serviet.
XXVIII	Duo viri sub arbore sedentes, avem in arbore adspicientes.	Nascetur otiosus.
XXIX	Vir suspensus in patibulo.	Natus fur erit.
XXX	Navis fluitans in aquis.	Nascetur nauta, aut piscator.

LEO.

♄ *Primus Decanus* (APHRUIMIS) *Saturni : crudelitatis, maleficiorum, violentiæ, patientiæ laborum, audaciæ, libidinis.*

I	Vir tenens dextra caput Leonis.	Natus fortis erit.
II	Navis uno latere inclinata in aquas.	Natus in aquis infortunatus erit.
III	Vir sedens in scabello tristis.	Natus erit tristis.
IV	Piscis natans in aquis.	Nascetur prudens et astutus, magnatibus suspiciendus.

V	Serpens tortuose humi jacens.	Nascetur invidus.
VI	Vir strictum gladium dextra tenens.	Natus rixosus erit, aliis adversans.
VII	Vir leonem equitans.	Natus erit magnis viribus, et sapiens.
VIII	Flamma ignis laborans in igne.	Natus opera ignis exercebit.
IX	Vir ornatus et vestimentis cultus.	Nascetur superbus.
X	Mors stans, manibus falcem tenens.	Nascetur homicida.

♃ *Secundus Decanus* (SITHACER) *Jovis: rixarum nesciorum, necessitatis miserorum, victoriæ vilium per nescios, occasionem enses distringendi, prœliorum.*

XI	Mulier stans, ventrem denudans.	Nascetur impudicus.
XII	Mulier bene ornata, et formosa.	Nascetur castus et pudicus.
XIII	Taurus in pascuis stans.	Nascetur stabilis in factis suis.
XIV	Vir stans otiosus.	Natus otiosus erit.
XV	Canis aut leo in gramine jacens.	Natus fortis erit.
XVI	Asinus frenatus.	Natus indisciplinabilis erit.
XVII	Camelus stans.	Nascetur animosus aç fortis.
XVIII	Clavis cellularia.	Natus potestatem obtinebit.
XIX	Vir freno equum trahens.	Natus cliens erit.
XX	Manus chartam tenens.	Natus nuntius erit.

♂ *Tertius Decanus* (PHUONISIE) *Martis: amoris, societatis, non decedendi de jure suo pro rixis vitandis.*

XXI	Vir manu clavem tenens.	Nascetur hospitalis.
XXII	Vir jacens ut mortuus.	Natus imbecillus erit.
XXIII	Vir biceps.	Natus erit diversorum sensuum.
XXIV	Vir dextra serram tenens.	Natus sapientiam meditabitur.
XXV	Vir natans in aquis.	Natus piscator erit.
XXVI	Vir ligone operans.	Nascetur agricola.
XXVII	Vir falcem dextra tenens.	Nascetur laboris studiosus.
XXVIII	Tres viri simul deambulantes.	Natus otiosus erit.
XXIX	Vir et mulier manus copulantes.	Natus amabilis erit.
XXX	Vir in equo sedens, ut servus.	Natus alienus serviet.

VIRGO.

⊙ *Primus Decanus* (THUMIS) *Solis : seminandi, arandi, herbarum, urbium condendarum, opum cogendarum, vitæ dirigendæ.*

I	Mulier bene ornata exspectans spectaculum viri.	Nascetur amator, aut amatrix.
II	Duæ mulieres otiosæ stantes.	Natus otiosus erit et vagabundus.
III	Vir librum rationum tenens manu sua.	Nascetur mercator.
IV	Vir bobus arans.	Nascetur agricola.
V	Aquila quiescens.	Natus sine labore mercator erit.
VI	Mulier bene ornata stans otiosa.	Natus otiosus erit.
VII	Mulier simplex stans otiosa.	Nascetur piger.
VIII	Vir sub abiete sedens.	Nascetur pastor.
IX	Mulier vultu rubicundo, bene ornata, stans otiosa.	Nascetur iracundus atque otiosus.
X	Vir bene ornatus stans otiosus pomum manu tenens.	Natus deambulator erit.

♀ *Secundus Decanus* (THOPITUS) *Veneris : quæstus, opum cogendarum, avaritiæ.*

XI	Equus albus frenatus currens.	Natus velox erit.
XII	Vir nigro vultu, rubris indutus.	Natus malus erit.
XIII	Duæ mulieres rosas colligentes.	Natus jocosus erit.
XIV	Bos stans in pascuis.	Nascetur laboriosus.
XV	Duæ mulieres simul lætæ stantes.	Natus jucundus erit.
XVI	Duæ canes simul currentes.	Nascetur venator.
XVII	Castrum pulchrum sepe circumdatum.	Natus tutus erit.
XVIII	Arbor frondosa in gramine.	Natus silvis operabitur.
XIX	Vir sedens equo, ut servus.	Natus cliens et famulator erit.
XX	Avis talpam, aut murem, persequens.	Natus alterius generis homini adversabitur.

☿ *Tertius Decanus* (APHUT) *Mercurii : senectutis, debilitatis, pigritiæ, læsionis membrorum ex morbo, arbores evellendi, civitates devastandi.*

XXI	Vir stans, dextra aurum, sinistra argentum tenens.	Nascetur dives.
XXII	Mulier nuda hircum et agnum humeris bajulans.	Nascetur impudicus.
XXIII	Vir navicula navigans.	Nascetur nauta.
XXIV	Anser collo ad pilam adligatus.	Natus restrictus erit ad laborem.
XXV	Vir funda lapidem mittens.	Natus litigiosus erit.
XXVI	Duo viri mutuo colloquentes.	Natus disciplinatus erit.
XXVII	Mulieres duæ otiosæ stantes.	Natus otiosus erit.
XXVIII	Aves aliquot in terra, aliæ volantes.	Natus reditus multos habebit.
XXIX	Ros sive pluvia cadens super gramen.	Nascetur religiosus.
XXX	Mutus stans quietus.	Nascetur fatuus.

LIBRA.

☽ *Primus Decanus* (SERUCUTH) *Lunæ : justitiæ, juris, veritatis, avertendi fortes ab imbecillis, adjuvandi miseros et pauperes.*

I	Vir utraque manu spiculum tenens.	Nascetur pugnator.
II	Neocorus cum Thuribulo.	Nascetur religiosus.
III	Vir manibus et pedibus debilitatis.	Nascetur miser et laboriosus.
IV	Vir arvum equis arans.	Nascetur agricola.
V	Avis nigra rubris pedibus et rostro.	Nasectur crassus.
VI	Vir aratrum trahens.	Nascetur agricola sine sensu.
VII	Vir dextra annulum tenens.	Nascetur amator, aut amatrix.
VIII	Mulier flens super infirmo.	Natus tristis erit.
IX	Vir dextra strictum gladium in sublime tenens.	Natus rixosus erit.
X	Avis nigra rostro humi inclinato.	Natus totus immundus erit.

♄ *Secundus Decanus* (ATERECHINIS) *Saturni : quietis, ubertatis, vitæ bonæ ac securæ.*

XI	Vir nigris vultu et manibus, pedibus albis.	Nascetur tardus et instabilis.
XII	Mulier stans circumspiciens.	Nascetur vagabundus et otiosus.
XIII	Vir et mulier a se invicem desciscentes.	Natus contentiosus erit, et ab aliis divisus.
XIV	Speculum magnum parieti adpensum.	Natus superbus erit.
XV	Duo corda simul pendentia.	Natus mundanus erit.
XVI	Camelus currens.	Nascetur fortis ac velox.
XVII	Merula dulce canens.	Nascetur jocosus.
XVIII	Villa cum domibus bene ornatis.	Natus dominabitur rure.
XIX	Castrum pulchrum monti impositum.	Natus nobilis erit.
XX	Ara pulchra, bene instructa.	Natus religiosus erit.

♃ *Tertius Decanus* (AREPIEN) *Jovis : gulositatis, concubitus masculorum, carminum hilarium, adfectionis malorum saporum.*

XXI	Vir asinum, aut equum equitans.	Natus eques erit et servus.
XXII	Equi duo sellis instrati.	Natus multum adpetet, parum adipiscetur.
XXIII	Medicus urinam per vitrum inspiciens.	Nascetur medicus.
XXIV	Homo inferiori parte equus baculo draconem percutiens.	Nascetur robustus.
XXV	Pavo stans in gramine.	Nascetur superbus.
XXVI	Vir leonem baculo percutiens.	Natus victor bello erit.
XXVII	Arbor frondosa in horto.	Nascetur olitor.
XXVIII	Vir ligone terram rimans.	Nascetur laboris patiens.
XXIX	Mulier otiosa stans.	Nascetur otiosus.
XXX	Lepus ex silva currens.	Natus instabilis erit.

SCORPIUS.

♂ *Primus Decanus* (SENTACER) *Martis : rixarum, tristitiarum, deceptionum, detrectationum, perditionum, insidiarum.*

I	Vir spiculum manu tenens.	Nascetur fur et nequam.
II	Vir insidens elephanto.	Nascetur fortis et stabilis.
III	Vir stans otiosus.	Nascetur malus et otiosus.
IV	Cithara lætitiam signans.	Nascetur jucundus.
V	Vir partibus inferioribus defectus.	Natus inchoabit, et non perficiet.
VI	Asinus, aut equus frenatus, sellis instratus.	Natus pauca perducet ad effectum.
VII	Vir sedens marsupium dextra tenens, scyphum aureum sinistra.	Nascetur mercator et dives.
VIII	Gallus gallinaceus magnus stans.	Natus scriptor erit.
IX	Puer in tina sedens.	Natus non multi intellectus erit.
X	Facies multum distorta.	Natus mirabilis opinionis erit.

⊙ *Secundus Decanus* (TEPISEUTH) *Solis : deceptionum, detrectationum, novas inimicitias inter homines serendi, et veteres confirmandi.*

XI	Vir cauda scorpionem tenens.	Nascetur invidus.
XII	Serpentem magnum muscæ pungentes.	Nascetur prudens, sed malus.
XIII	Turris pulchra ac fortis.	Nascetur robustus agricola.
XIV	Puteus aquis manans.	Nascetur mente instabili.
XV	Mulier pulchra stans otiosa.	Nascetur otiosus.
XVI	Mulier pauperi dans eleemosynam.	Nascetur misericors.
XVII	Lupus in campo currens.	Nascetur raptor.
XVIII	Mulier post januam sese abscondens.	Nascetur piger atque otiosus.
XIX	Canis rictu et auribus magnis.	Natus nobilis erit.
XX	Vir sedens in camelo.	Nascetur fortis.

♀ *Tertius Decanus* (SENCINER) *Veneris : bellorum, ebrietatis, violentiarum, scortationum cum ira, et prævalentia.*

XXI	Equus liber in campo.	Natus sine jugo erit.
XXII	Aqua magna fluens.	Nascetur instabilis.
XXIII	Rivuli multi ex fontibus manantes.	Nascetur instabilis.
XXIV	Mulier dextra fusum tenens.	Nascetur laboriosus.
XXV	Lupus anserem ore ferens.	Nascetur furax et rapax.
XXVI	Vir vestes humeris bajulans de spoliis.	Natus spoliator erit.
XXVII	Viri duo stantes et una colloquentes.	Nascetur jucundus ac socialis.
XXVIII	Ædificium aut templum magnum.	Natus multum orationi operabitur.
XXIX	Magister sedens cum libro aperto.	Nascetur studiosus.
XXX	Serpens magno capite.	Nascetur prudens.

SAGITTARIUS.

☿ *Primus Decanus* (EREGBUO) *Mercurii : audaciæ, libertatis, militiæ.*

I	Viri tres stantes sine capitibus.	Nascetur justus ac religiosus.
II	Vir ballista sagittans.	Nascetur rixosus omni tempore.
III	Vir indutus flammeis in Ariete sedens.	Nascetur rixosus.
IV	Vir humero spiculum bajulans.	Nascetur spoliator.
V	Mulier dorso cunas bajulans.	Natus laboriosus erit.
VI	Bos tricornis.	Nascetur homo multorum intellectuum.
VII	Mulier stans otiosa.	Natus otiosus erit.
VIII	Duo viri talis ludentes ad mensam.	Nascetur aleo.
IX	Strues lignorum ardens.	Natus opera ignis exercebit.
X	Portio auri, argenti et plumbi in terra.	Nascetur dives.

☽ *Secundus Decanus* (SAGEN) *Lunæ: timoris, ploratus, dolorum et sibi semper timendi.*

XI	Simia insidens lupo.	Natus alii dominabitur.
XII	Vir hircum equitans.	Natus omnibus contradicet.
XIII	Vir stans ligatis dorso manibus.	Natus vincetur.
XIV	Magister librum tenens apertum.	Natus doctus erit.
XV	Vir equo sella instrato adambulans.	Nascetur timidus.
XVI	Currus vacuus.	Nascetur homo a ratione vacuus.
XVII	Decrepitus innitens baculo.	Natus multum orabit.
XVIII	Vir altera manu avem cauda tenens, altera facem accensam.	Nascetur auceps.
XIX	Domus circumdata facibus ardentibus.	Natus laboriosus erit, metu undique obsessus.
XX	Viri tres ambulantes connexis brachiis.	Nascetur jocosus ac socialis.

♄ *Tertius Decanus* (CHENEN) *Saturni: obstinationis in proposito, contradictionis, dexteritatis in malo, rixis, et factis abominabilibus.*

XXI	Vir stans ornatu doctoris.	Nascetur sapiens.
XXII	Duo viri mutuo se gladio perfodientes.	Nascetur latro, aut homicida.
XXIII	Mulieres duo mutuo se pectora cultro transfigentes.	Nascetur homicida.
XXIV	Vir sese gladio transfigens.	Natus sibi ipse damnum inferet.
XXV	Vir humo vomens.	Nascetur crapulosus et laboriosus.
XXVI	Vir ludens bacillo ligneo.	Natus histrio et jocosus erit, id est, gesticulator.
XXVII	Vir pendens manibus.	Nascetur jocosus, id est, gesticulator.
XXVIII	Vir sedens in camelo.	Nascetur fortis.
XXIX	Vir se de lecto in lectum revolvens.	Natus puerilis erit
XXX	Vir dextra ferream soleam tenens.	Nascetur faber.

CAPRICORNUS.

♃ *Primus Decanus* (THEMESO) *Jovis : spatiandi, gaudendi, lucrandi, perdendi cum debilitate ac vilitate.*

I	Duo viri in forma similes.	Nascetur amicabilis ae jucundus.
II	Vir ferens arundinem.	Natus sine potestate erit.
III	Serpens magnus.	Natus sapiens erit.
IV	Duo rastra in campo.	Nascetur rustieus.
V	Duæ portæ apertæ.	Naseetur hospitalis.
VI	Vir bajulans caues humeris suis.	Naseetur rixosus.
VII	Duo viri enm muliere stantes.	Naseetur joeosus.
VIII	Manus avem tenens.	Nascetur auceps.
IX	Vir in terram cadens.	Natus debilis erit.
X	Vir utraque manu singulas upnpas ferens.	Natus auceps, aut venator erit.

♂ *Secundus Decanus* (EPIMA) *Martis : quærendi de rebus, quæ sciri non possunt, et sciscitandi ea, quæ ad finem perduci non possunt.*

XI	Rex coronatus literas accipit a nuntio.	Natus nuntius principis erit.
XII	Vir velociter eurrens.	Nascetur homo velox.
XIII	Vir humero portans exuvias hirci.	Natus carnifex erit.
XIV	Manns spienlum tenens.	Nascetur rixosus.
XV	Vir ingenieulatus.	Natus nobilis erit.
XVI	Vir equitans equo non frenato.	Natus sine potestate erit.
XVII	Vir eynocephalus.	Nascetur rixosus.
XVIII	Vir dimidiatns.	Natns pusillanimns erit.
XIX	Vir quatuor pedes habens stans otiosus.	Natus quiescet tunc, quum operandum erit.
XX	Simia in specnlo se intuens.	Nascetur homo superbns.

☉ *Tertius Decanus* (HOMOTH) *Solis: cupiditatis familiam gubernandi, non sufficiendi sibi, suspicandi.*

XXI	Magister librum apertum tenens.	Nascetur homo doctus.
XXII	Vir ligone terram fodiens.	Natus agricola erit.
XXIII	Vir mulierem manu trahens.	Natus amator erit.
XXIV	Doliarius dolia fabricans.	Natus artifex erit.
XXV	Vir manu avem gestans.	Natus nobilis erit.
XXVI	Silva pulchris arboribus consita.	Natus silvis operabitur.
XXVII	Vir in gramine jacens.	Natus debilis erit.
XXVIII	Vir terram ferens capite.	Natus dives erit.
XXIX	Mulier pulchra in scabello sedens.	Natus lætabundus erit.
XXX	Posteriora piscis.	Natus res inchoabit, neque absolvet.

AQUARIUS.

♀ *Primus Decanus* (OROASOER) *Veneris: ærumnarum pro lucro, inquietudinis, laborum, minutionum, paupertatis, vilitatis.*

I	Vir ambabus manibus singulas aves tenens.	Natus auceps erit.
II	Vir ambabus manibus caput suum tenens.	Natus tristis erit.
III	Vir una manu caput suum tenens.	Natus dolore plenus erit.
IV	Vir inequitans thesauro suo obcluso.	Natus mercator erit.
V	Mulier præcedens viro sequente.	Natus sollicitus erit.
VI	Vir ligneo bacillo ludens.	Natus jocosus erit, id est, gesticulator.
VII	Evaginatus cultellus humi jacens.	Nascetur bellicosus.
VIII	Vir manu catenam tenens.	Natus se non possidebit.
IX	Vir virum a terra elevans.	Nascetur otiosus.
X	Vir stans sine capite.	Natus sine potestate erit.

☿ *Secundus Decanus* (ASTIRO) *Mercurii : formæ, intellectus, mansuetudinis cum modestia, bonorum morum, complementi suæ figuræ et liberalitatis.*

XI	Vir armatus sine capite.	Nascetur nobilis sine potestate.
XII	Vir armatus regem percutiens.	Natus dominator regis erit.
XIII	Equites multi armati.	Nascetur rixosus, aut raptor.
XIV	Vir manu sua pedem amputatum tenens.	Natus tristis erit.
XV	Duo viri unicornem equitantes.	Natus rixosus erit.
XVI	Vir ignem manu tenens.	Natus opera ignis exercebit.
XVII	Mulier ægrs in lecto decumbens.	Natus infirmus erit ac otiosus.
XVIII	Noctua magna quiescens.	Natus invidus erit.
XIX	Vir caput amputatum manu tenens.	Natus potestatem habebit.
XX	Mulier decrepita baculo innitens.	Natus debilis erit.

☽ *Tertius Decanus* (TEPISATRAS) *Lunæ : detractionum et deceptionum.*

XXI	Vir vestitus supine humi decumbens.	Natus infirmus erit.
XXII	Vir securi alterius manus et pedes truncat.	Nascetur maleficus.
XXIII	Canes duo simul currentes.	Nascetur jocosus.
XXIV	Vir plorans manu se tergens.	Natus semper tristis erit.
XXV	Vir spiculum magnum gestans.	Nascetur fur et nequam.
XXVI	Fons fluens ex monte magno.	Natus instabilis erit.
XXVII	Domus multis sepibus circumdata.	Natus tutus erit in factis suis.
XXVIII	Vir bibens ex vasculo.	Natus lætus erit.
XXIX	Vir equo insidens tenens gladium strictum.	Natus rixosus erit.
XXX	Rex coronatus sedens.	Natus quiete regnabit.

PISCES.

♓ *Primus Decanus* (ARCHATAPIAS) *Saturni: anxietatis, cogitationum multarum, itinerum, migrationis de loco in locum, quærendi opes et victum.*

I	Duo viri unum caput habentes.	Nascetur rixosus et instabilis.
II	Vir humi sedens.	Natus rusticus erit.
III	Vir cuneum edens.	Natus pistor erit.
IV	Unicornis supina humi jacens.	Natus sine potestate erit.
V	Duæ virgines invicem obversæ.	Natus jucundus erit.
VI	Avis magna stans et edens.	Nascetur avarus.
VII	Vir manu nolam tenens.	Nascetur custos templi.
VIII	Vir in tina sedens perizoma habens in manu.	Nascetur balneator.
IX	Vir peregre proficiscens.	Nascetur religiosus.
X	Vir pistillo tundens in mortario.	Nascetur laboriosus.

♃ *Secundus Decanus* (THOPIBUI) *Jovis: gloriationis, animi elati, immiscendi se rebus arduis.*

XI	Vir cum baculo incedens.	Natus vagus erit.
XII	Juvenis bene ornatus retro respiciens.	Natus otiosus erit.
XIII	Vir et mulier equitantes animi caussa.	Nascetur otiosus.
XIV	Vir ligna secans in silva.	Nascetur operarius.
XV	Vir cum cultro evaginato.	Natus ad litem se parabit.
XVI	Vir avem, aut gallum gallinaceum manu ferens.	Nascetur nobilis.
XVII	Vir in aquam se mergens.	Natus erit sine intellectu.
XVIII	Duo equites confligentes.	Natus rixosus erit.
XIX	Vir gladio se transverberans.	Natus caussa sibi suæ mortis erit.
XX	Luna noctu lucens.	Natus instabilis erit.

♂ *Tertius Decanus* (ATEMBUI) *Martis : scortationis, amplexationis, oblectationis cum mulieribus, et otiationis.*

XXI	Duo viri mutuo se confodientes.	Nascetur homicida.
XXII	Mulier pannis laceris induta.	Nascetur impudicus.
XXIII	Mulier navigans.	Natus instabilis erit.
XXIV	Vir et mulier in lecto decumbentes.	Nascetur lascivus.
XXV	Vir lapidem funda mittens.	Nascetur rixosus.
XXVI	Mulier viro dormienti caput securi amputat.	Nascetur homicida.
XXVII	Vir nudus mingens.	Natus impudicus erit.
XXVIII	Vir equo adambulans altera manu avem, altera serpentem tenens.	Natus miræ subtilitatis erit.
XXIX	Piscis magnus in sicco.	Natus instabilis erit.
XXX	Mulier se in speculo cernens.	Nascetur superbus et incastus.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS SEXTI VOLUMINIS.